ARISTOTELIS de Republica, qui Politicorum DICVNTVR, LIBRI VIII, IOACHIMO Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete: locis aliquot nuper ab ipſo recognitis & emendatis.

Ad Franciſcum Valeſium Galliæ Regem potentiſſimum & Chriſtianiſſimum.

Eiuſdem Perionii in eoſdem libros Obſeruationes: & argumentum quo ordo & ſententia eorum librorum breuiter exponitur. itémque Index ampliſsimus rerum cognitione digniſsimarum, & maximè memorabilium.

EDITIO TERTIA.



PARISIIS
Ex typographia Thomæ Richardi, ſub Bibliis aureis, è regione collegij Remenſis.
1557.

Francisco Valesio Gallorum

REGI POTENTISSIMO, ET Christianissimo, Ioachimus Perionius Benedictinus Cormœriacenus S. P. D.

OMnes qui tuo isto & beato & diuturno imperio Francisce Valesi rex potentissime, aliquid laude dignum in omni artium disciplinarumq; genere protulerũt in lucem, id ferè in tuo clarissimo nomine diuulgari & apparere voluerunt: idq́ue se illi, vt mihi quidem videtur, facere debere putauerũt. Cùm enim & ij homines, qui initio regni tui iam ætate processerant, singulari tuo beneficio omnes bonas disciplinas, expulsis eiectisque quæ pro his inueterauerant, malis ac perniciosis, in tua Gallia natas esse viderent: & ij qui hos ad hunc vsque diem cõsecuti sunt, non solùm natas ex illorum sermone cognoscerent, sed cõfirmatas etiam atque cõstitutas decreto stipendio, qui tres linguas docerent, doctissimis hominibus, ipsi cernerent: sic vtrique, vt opinor, existimabãt, nisi tu, cuius benignitate se scire quæ scirẽt omnia intelligerent, ex ipsorum facultate & doctrina vel hũc fructum caperes, fore, vt ingrati animi crimen effugere non possent. Ego etiam, qui & eorum institutum ac factũ probarem, & iisdem tuis beneficiis vsum me viderẽ, (Lutetiæ enim Parisiorum, quam tu vrbem potissimùm huius beneficẽtiæ tuæ sedem esse voluisti, Latinis Græcísque literis sum eruditus) idem mihi imitandum putaui, vt qui particeps eram & socius vinculi, à referenda gratia ne abhorrerem. Atq; illi quidẽ, ad quod eos opus vel natura, vel fortuna deduxit, id secuti sunt, ac tibi dicauerunt. Ego autẽ, quod loco & auctoritate, quam tu summã in Repub. obtines, dignissimum videtur, id potissimùm ad te mittẽdum cẽsui. Nam cùm superioribus tẽporibus Aristotelis opera quædã, quæ eos potius qui priuatim in otio vitam degerẽt, attingere videntur, cõuertissem, alia, eáque prima, Frãcisco Bohero Maclouiorum põtifici, viro & docto, & magnis virtutibus ornato, quòd tum studiorum meorum patrocinium suscepisset: alia Ioanni Bellaio Cardinali, qui vt singulari est & doctrina & virtute præditus, sic publicã tuam in studiosos liberalitatem cùm in multis aliis, tum in me augẽdo imitaretur, scripsi. Cùm autem hoc tẽpore eiusdem auctoris octo lib. de Repub.

ad nostrorum cognitionem trāstulissem, cui eos melius & aptius, quàm tibi, cùm spōte mea summaq; voluntate, tum Ioannis Bellay Cardinalis cōsilio & adhortatione adductus, dicarem, habui certè neminem. Cuius enim vel grauitati, vel auctoritati hi libri, quibus Aristotelis de optimo ciuitatis statu, summoq; Reip. principe sentētia continetur, aptiores esse possunt, quàm tuæ? qui cùm in nostra Repub. summā potestatem habeas, eum te principem præstas, quem & ille describit, & Plato vult esse. Nā cùm & ille eū fingat atque formet, qui cæteris virtutibus omnibus longè antecellat: & Plato in sexto de Repub. libro, tum denique fore beatas Respub. putauerit, si aut docti, aut sapiētes homines eas regere cœpissent: aut qui regerēt, omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent: in quem tādem principem hodie hæc vtriusque de bono Reipub. rectore sentētia melius videtur cōuenire, quàm in te? qui nō solùm iis qui in tuo sunt imperio, omnibus ornamentis quæ in principe inesse debent, præstas, verūetiam cum cæteris regibus aut principibus nulla non re es cōparandus? qui vt per omne imperij tui tēpus doctrina & sapiētia abūdares, doctissimos sapientissimósque tibi homines semper adhibueris? ab adolescētia Franciscum Molinarem, tum Benedictum Theocrenum: his verò tēporibus Petrum Castellanū, virum virtutibus, artibúsque omnibus, quæ quidem libero homine dignæ sint, ornatissimū? Ioannemq; Ganeium, virum eruditissimum & sapiētissimum? Itaque non mirum, si tu, qui omne tuū studium in doctrina, intelligentiaq; ponas, vt vult Plato, & addiscens Solonis exēplo senescas, & doctissimos sapientissimósq; homines cùm alios permultos, tum eos quos hac epistola nominaui, amplissimis atque maximis honoribus adhuc semper ornaueris. Neq; enim qui tāta doctrina & sapiētia valet quāta tu, aut doctos homines ita vt tu charos habet, aliter ac tu facere potest. Quæ cùm ita sint, hos ego ad te libros misi, Rex, quos te dignissimos ex ea facultate Græcarū Latinarúmque literarū, quam sum tua benignitate cōsecutus, exprompsi. Quòd si ingratum immemoremq; beneficij, Ciceronis sentētia, omnes oderunt, nullumq; officium referēda gratia, vt eidem placet, ac rectè placet, magis necessarium est: hoc te vehemēter etiam atq; etiam rogo, humanissime rex, vt hos libros quos in tuo illustrissimo nomine diuulgo, tuæ auctoritatis ac maiestatis numine fretos, gratiores ad cæterorū manus venire facilè patiare. Vincat ac valeat tua maiestas, & potentia. Lutetiæ Parisiorum, nono Calend. Decembres, M. D. XLII.

IOACHIMI PERIONII ARGVmentum, quo horum octo de Republica librorum ordo & sententia breuiter exponitur.

SEntentia quidem quæ sit horum librorum, ipse Aristoteles decimo extremo de Moribus ad Nicomachum filium libro, qui cum his cohæret, explicat. Nam primùm quid de Republica senserint ii qui ante ipsum in hoc genere versati sunt, se expositurum esse pollicetur: deinde ex iis Rebuspublicis quas collegit, confirmat facilè nos perspecturos, & quæ sint Rerumpublicarum salutis causæ, & quæ interitus: & quid sit quamobrem aliæ præclarè, aliæ contrà administrentur. quibus cognitis, facillimè quæ omnium optima sit, quóque modo singulæ sint constitutæ, quibúsque legibus institutísque vtantur, intelligi posse. Sed quoniam hæc ille summatim tradidit, nos sigillatim, ídque quàm poterimus breuissimè de iisdem rebus differemus. Quia de ciuitate, ciuilíque societate his libris disputaturus est, primùm cuius causa vnaquæque, omniúmque optima constituta sit, docet: quo exordii genere ferè in libris suis omnibus vtitur. Deinde reprehensa Platonis de rege, ciuitatis rectore, patrefamiliàs, heróque sententia, quod in omni arte tradenda faciendum esse dicit, id ipse obseruat. Cum enim his libris quærat, quæ vis sit ciuitatis, eam ex partibus cognoscendam esse confirmat. Et quoniam ciuitatem ex familiis & viciniis vt partibus constare vidit, quid familia, quid vicus siue vicinia sit, exquirit. Intellexit autem familiam viro & vxore, vt partibus primis, contineri. de iis ergo primùm disserit, eorúmque societatem seu coniugium à natura constitutum esse docet, vt ciuitatem omnem etiam à natura ortam doceat, & constitutam. His ab eo expositis (neque enim sigillatim omnia explicanda sunt à nobis) hominem aptum esse natura ad hanc ciuilem communionem docet, non belluam: quòd ille boni & mali, iuris & iniuriæ notitiam, quæ hãc sola coniunctionem constituant, habeat, hæc non habeat. Tum de singulis partibus ciuitatis differit: quarum quoniam inuenit vnam esse rem familiarem, eius partes explicãdas suscepit, imperium seruile, rem vxoriam, & imperium paternum. Ac primùm de seruili imperio disputat, quod vt à natura cõparatum esse doceat, à natura esse generatum & id quod præest, & id quod paret, multis exemplis & rationibus docet. nec aliquod contra naturam negat esse. Inde alias rei familiaris partes persequitur, quas in tribus superioribus non duxerat, vt rei faciendæ & pecuniæ quærendæ rationem, ex quarum posteriore quæ à natura inuẽta sit, cum eius plurimis partibus, quædam contra naturam extiterit. Exponit ergo rationis quærendæ pecuniæ, quam natura peperit, omnes partes: agriculturã, rem pecuariam, piscatum, aucupium, venationem, cæteráque animantia hominis causa pa-

rata esse confirmat. Itémque alterius partes omnes, quæ repugnāte natura inuenta est. Tum de imperio paterno & re vxoria pauca dicit, & cætera ex iis quæ de Rebuspublicis à secundo libro ad extremum tradentur, esse cognoscenda confirmat. Hæc primi libri sententia est. In secundo autem, cùm sibi optimum ciuitatis statum proposuisset, aliíne eum populi & scriptores qui aliqua laude valerent, in Rebuspublicis suis tenuerint, exquirit. Ac primùm Platonis vtranque Rempublicam multis de causis, tum Phaleæ, Milesiorum, Lacedæmoniorum, Cretum, Carthaginensium, postremò Solonis, omniúmque qui aliquid de Republica præclarè scripserunt, repudiat & refellit: ita vt horũ omnium improbatis vel Rebuspublicis, vel de optimo ciuitatis statu sententiis, deinceps de ea suam interponat. Ac primùm in tertio libro, quid ciuitas sit, exquirit. Et quoniam ciuitatem omnem ex ciuibus constare vidit, primùm quid ciuis sit, inuestigat & tradit: tum quæ eadem ciuitas sit appellanda, quæ alia: quod boni ciuis sit officium, ídne à boni viri officio differat: qui incolæ ciuitatis ciues sint habendi, qui non habendi: quæ multorum populorum de ciuibus sententia & consuetudo in eis vel probandis, vel improbandis: tum quid Respublica sit, quótque eius sint genera, tradit. Tria autem dum inuenit pręclara & laudabilia, regiam potestatem, optimorum, & quæ communi omnium nomine appellatur, Rempublicam, triáque vitiosa his cōtraria, tyrannidem, paucorum opulentorum potestatem, & populare ciuitatis genus: eorum naturis explicatis, refutatáque nonnullorum de iis sentētia, quod cuiusque ius sit, quot illa genera contineat, exquirit, & inuētum refutat. Quoniámque non solùm Respublicas, sed etiam optimam sibi Rempublicam proponit, quid summam in Republica potestatem habere oporteat, quærit, plebémne, an diuites, an bonos, an vnũ virtute præstantem, an tyrannũ. Ac multitudinem quidem sic antè ponit, vt aliorũ de quoque vel quibusque aliis, ipse pulcherrimis sententiis firmissimísque rationibus refellat, conuellátque sentētias. Quanquã vnum qui cæteris virtute antecellat, vel etiã plures eius generis probat, eíque cæteros æquũ esse dicit obtēperare. His ita constitutis, singula genera in quæ Rempublicam diuisit, considerat, ac primùm regalem potestatē, eiúsque quatuor genera: deinde de optimati ciuitatis genere disserit: tum in quarto libro de vitiosis generibus, earúmque partibus dicit, posteaquam docuit quæ omnium sit deterrima, & vtra reliquarum ad eam propius accedat. primúmque spectat populare ciuitatis genus, eiúsque partes: deinde idem etiam in paucorum potestate sequitur. Ex his autem duabus quoniam ea quæ Respublica dicitur, extitit, his expositis, de ea disputat: tum de tyrannide, in quo & vniuscuiusque generis partes persequitur, & quæ sint earum dissimilitudines, & quamob rem tot fuerint explicat. Cúmque suprà quæ esset optima Respublica, vt dixi, eámque quæ à rectore optimo aut pluribus regeretur, optimam cōstituisset, deinceps ex rebus ipsis quæ possidentur, eam optimam concludit, in qua moderatæ earum & magnæ sint copiæ. Sed quoniã non solùm

eam optimam esse,quæ omnino esset optima,intellexit,sed eam etiam quæ potest esse optima,deinceps quæ cuique aut quibusque optima sit, quærit. Id quo facilius faciat,tres ciuitatis partes quæ ciuitatem quanque continent,constituit,ordinem senatorium, magistratus, & iudicum decurias: earúmque trium partium quis sit in quaque Reipublicæ forma modus, sed ferè vitiosus, ostendit,vt postea corrigat. Atque hæc quidem in quarto libro. In quinto autem,cùm vnumquodque ciuitatis genus eorum quæ enumerauit, à statu dilabi, mutaríque in alium videret, mutationis interitúsque,quas caueremus, & salutis quas retineremus causas tradidit. Ac primùm causas eas explicat, quæ cõmuniter ad omnium generum interitum exitiúmque pertinent:deinde singillatim eas quæ singulas aut cõmutant,aut euertunt funditus,tum quæ Respublicæ in quas potissimùm mutentur. Quem etiam ordinem seruat in causis salutis omnium,& cuiusque proferendis. In quibus omnibus infinitis vtitur exemplis Rerumpublicarum,cùm propè omnium gentium,tum vel maximè Græcorum. Eodémque modo in sexto libro quæ res populi paucorúmque potestatis partes & efficiant, & labefactent, & conseruent, ex iisque partibus quæ optima, quęque deterrima sit,explicat. Deinde qui magistratus, & quot constituẽdi sint,& quæ eis cura data sit,docet. Quoniam autem optimam Rempublicam inuestigat, & eam quæ quibusque optima sit, quoniámque optimum vitæ genus, id est beatam vitam cum optimo ciuitatis statu coniunctum esse cognouit, & bonis animi, corporis & fortunæ expleri: primùm vtra vita sit anteponenda,eáne quæ in Republica & in gerendis rebus ponitur,an ea quæ actione cernitur:deinde quæ res illa tria bona efficiant,in septimo octauóque libro constituit. Itaque vrbs quàm magna, & quo in loco sita esse debeat,docet: quantus numerus ciuium cùm omnium, tum eorum qui necessarii sunt,quæque eorum sit & vrbis descriptio,qui quæq; munera sustinere,& an parêre vicissim debeãt: tum qua ætate coniugium inire,grauidæ mulieres quid facere vel fugere, nati pueri primùm quæ facere & fugere,deinde qua ætate,quibus quótque artibus erudiri debeant: horum inquam omnium his duobus libris disciplina continetur.

RERVM ET VOCVM IN POLITICIS Aristotelis memorabilium, Index.

A priorem paginam folij indicat, B posteriorem.

D

M

FINIS.

Aristotelis de Republica, quæ POLITICA DICVNTVR, Libri octo, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

QVia omnem ciuitatem societate quadã contineri videmus, omnémque societatem vtilitatis alicuius causa constitutã: (omnes enim ad id quod bonum videatur, omnes suas actiones referunt) certè cum omnes bonum aliquod, tum vel maximè ea quæ principatum tenet, cæteràsque omnes continet, qualis est ciuitas ciuilísque societas, summum bonum inuestigat & exquirit. Ac eos quidem qui eundem putãt esse & ciuitatis rectorem, & regni, & rei familiaris, & seruilis imperij, non rectè sentire hinc apparet, quòd eos multitudine ac paucitate, non genere differre existimant: veluti si paucis imperet, dominum: si pluribus, patremfamiliâs: si etiam pluribus, rectorem ciuitatis regníve nominant. quasi verò nihil intersit inter ciuitatis regníque moderatorem: quoniã cum ipse præest, Rex: cum ex illius artis præscriptione vicissim imperat & paret, Gubernator ciuitatis dicitur. Quæ falsa esse facilè ij intelligent, qui ea quæ instituta hac disputatione trademus, considerabunt. Vt enim in cæteris artibus id quod concretum est, vsque ad indiuidua diuidendum est necessariò (hæ enim minutissimæ partes sunt rei) sic ea ex quibus ciuitas constat, si proponamus nobis ad considerandum, tum denique facilius & quæ sit eorum distinctio, Cap, 1.

& eáne arte tradi poßint, intelligemus. Quòd si quis à primo rerum ortu ducat exordium, is vt cæteris in rebus, ita in his optimum cognitionis ac scientiæ ordinem sequetur.

Principio necessarium est maris & fœminæ coniugiũ, quorum vterque sine altero debilis est, nec potest consistere, procreandi causa: idque non animi iudicio, sed vt in cæteris animantibus, & iis rebus quæ terra eduntur, naturale est desiderium, quale quicq; est, tale quid alterum relinquendi. Eius autẽ qui imperat, & eius qui paret, naturalis est coniunctio, salutis causa constituta. Nam & cuius animo natura vim ad prospiciendum consulendumque aliis tribuit, id natura præest, naturaque imperat: & cui à natura tributum est vt hæc ipsa munera corporis functionibus obeat, id natura & paret & seruit. Quocirca domini ac serui eadem sunt commoda, eædem vtilitates. Ac natura quidem fœminam à seruo discreuit. Neque enim tale aliquid natura facit, qualem fabri ærarij gladium Delphicum: sed vni instrumento vnum munus vsumque largita est. Ita enim probißimè instrumenta munus suum exequuntur, si vni, non multis officiis accommodantur. Apud Barbaros autem fœmina & seruus in eodem numero habentur, propterea quòd non habent quod natura imperet: omnísque eorum coniunctio & societas, heri ac serui iure continetur. Itaq; poëtæ aiunt, Barbaris Græcos decet præesse, quòd idem sit Barbarus & seruus. Ex his duabus societatibus familia prima constat, vt rectè Hesiodus dixisse videatur,

In primis tibi quære domum, sociamque, bouemque.

Bos enim pauperibus pro seruo est. Quæ igitur omnium

dierum à natura constituta societas est, Familia dicitur: quos Charondas ὁμοσιπύους, id est Conuictores, Epimenides Cres ὁμοκάπους. i. Contubernales nominat. Quæ autẽ ex multis familijs constat societas prima, non quotidiani vsus causa, Vicinitas vocatur. In vicinitatem autem quasi in coloniam quandam é domo exire videntur, quos nõnulli, vt ita dicam, Collactaneos appellant, & Liberos, & Nepotes. Quocirca principio ciuitates regibus paruerunt, quod & in gentibus etiam nunc manet. Ex ijs enim qui regibus obtemperarunt, coaluerunt. Omnis enim familia vni, qui ætate anteit, paret. Ita qui sanguine coniuncti erant, in colonias exierunt. Atque hoc ipsum est, quod Homerus ait, Iura dat vnusquisque liberis & vxoribus. Dispersi enim quondam & palantes hoc etiam pacto habitarũt. Deósque omnes aiunt ob eam causam regi parêre, quòd & eorum partim etiam nunc, partim quondam regibus paruerunt. atque vt formas sibi deorũ homines, sic vitas solent fingere.

Ciuitas autem, societas est ex multis viciniis constans atque perfecta, cui proposita est tanquam extremum ac finis, rerum omnium satis magna abundantia: cuius & origo ad viuendum, & institutio ad bene viuendum refertur. Itaque à natura ciuitas omnis orta & profecta est: siquidẽ primæ etiam consociationes, cum præsertim hæ ad eam referantur, & natura in extremo ac fine numeretur. Quale enim quicque est à primo ortu, talem cuiusque, vt equi, vt bouis, vt domus naturam esse dicimus. Præterea finis, idq; quò cætera omnia referuntur, in rebus optimis est, & rerum satis ampla copia ac finis, quiddam est præstantissimũ. Ex Cap. 2.

nimæ familiæ partes ſint dominus, ſeruus, vir & vxor, pater & liberi: quod quicque ſit horum trium, & quale eſſe debeat, videndum eſt. Hæc ſunt autem, dominatus, patrium imperium, & res vxoria: quoniam hæc ipſa proprio non appellatur nomine. Sint autẽ hæ tres quas commemorauimus. Eſt etiam quædam pars quam alij prudentiam domeſticam putant eſſe, alij eius partem maximam. quod quale ſit, vidẽdum eſt. Eã autẽ dico, quæ ratio quærendæ pecuniæ dicitur. Sed primum de domino & ſeruo diſſeramus, vt & ea quæ ad neceſſariũ cultũ conducunt, videamus, & nũ quid melius ad eorum cognitionem, quàm quę nunc de iis ſententia eſt, afferre poßimus. Partim enim dominatũ, artẽ quandã eſſe exiſtimant, idẽq; valere prudẽtiã domeſticam, domini in ſeruos imperium, & regiam poteſtatem, quemadmodum initiò diximus: partim contra naturam illud ipſum dominari & imperare putant. lege enim introductum eſſe vt hic ſeruus ſit, ille liber: natura autem nihil inter eos intereſſe. Itaque ne iuſtum quidem id eſſe, quoniam vi factum. Quando igitur in familiæ parte opes ſunt, & ars quæſtuaria rei familiaris pars, (neque enim vi ui poteſt, aut honeſtè viui, niſi res ad viuendum neceſſariæ ſuppetant) quemadmodum cæteris artibus, ſic rei familiari ſua inſtrumenta ſuppetant neceſſe eſt, vt opus & munus ſuis partibus abſoluatur. Inſtrumenta autem alia inanima ſunt, alia animata. Vt enim gubernatori, clauus inanimatus eſt: is autem qui proram gubernat, animatus (miniſter enim inſtrumenti ſpeciem gerit in artibus) ſic opes in inſtrumentis ſunt quæ ad vitam ſunt neceſſaria, & poſſeßio cõmoditatum copia, & ſeruus animata eſt poſſeßio, & mini-

ster omnis est quasi instrumentum omnium præstantissimum. Si enim suum quodque instrumentum munus quod iuberetur aut quod præsentisceret, exequi posset, vt quẽadmodum aiunt Dædali statuas, aut Vulcani tripodas, quos inquit poëta sponte sua ad prælia deorum venisse, sic & pectines texerent, & plectra lyram pulsarent: haud esset sané quòd vel architecti ministros, vel domini seruos requirerent. Ac ea quidem instrumẽta quæ commemoraui, ad faciendum accommodata sunt: ad agendum, possessio: quandoquidem pectine fit aliquid præter eius vsum, ex veste & lecto vsus tãtummodo capitur. Iam verò quoniã effectio ab actione specie differt, & vtrique instrumentis opus est, necesse est eorum eandem esse distinctionem. Et quia vita in actione, non in effectu consistit, efficitur vt seruus minister sit eorum munerum quæ ad actionem pertinent: possessio verò sic dicitur, vt pars. Vt enim pars non solum alterius pars est, sed alterius omnino, sic possessio. Itaque cum dominus serui solum sit dominus, nõ etiam illius: seruus tamẽ nõ solum heri seruus est, sed illius omnino. Ac quæ serui natura sit, quæ vis, ex hoc perspici potest, quòd qui non est sui iuris, sed alieni natura, is homo natura seruus est. Alterius autem homo est, quicunque & homo est, & in possessionis appellatione. Sed cum sit in possessione, instrumentum est & ad agendum aptum, & separatum. Vtrum autem natura talem aliquem genuerit, nécne, & satiúsne sit & iustum alicui seruire, nécne, sitque omnis seruitus contra naturam comparata, mox videbimus. Neque verò id difficile est & ratione exquirere, & ex iis quæ fiunt discere. Nam imperare & parêre

non solum necesse est, sed etiam vtile: quædamq; simul ac orta sunt & in lucem edita, ita dispertita sunt, vt eorum partim pareant, partim imperent & præsint. Atque multa sunt genera & eorum qui imperant, & eorum qui parent. Semper etiam vt quisque eorum qui præsunt & qui parent, præstantissima virtute est, ita imperium est præstātissimum: vt hominis imperium melius est, quàm bestiæ. Quod enim opus à præstantissimo quoque perficitur, id optimum est. In quo autem aliud imperat, aliud paret, in eo est eorum quoddam munus & officiū. Quæ enim ex multis constant partibus, vt fiat quiddam commune, siue partes continuatæ sint, siue secretæ & diuisæ, in iis omnibus perspicitur pars quæ imperat, & pars quæ paret: idque à natura tributum est rebus animantibus: quoniam in iis quæ beneficio vitæ non vtuntur, est quidam principatus quasi cōcentus. Sed hæc nō sunt huius disputationis. Animal autē primùm constat ex animo & corpore: quorū ille natura imperat, hoc paret. Sed quoniā id quod natura dedit, in iis potius quæ secundū naturam affecta sunt, perspici debet, quàm in iis quæ deprauata, idcirco homo qui optime & animo & corpore affectus sit, constituendus est, in quo id animaduerti licet. Deprauatorum enim & vitiose affectorum hominum sæpe videre licet corpus imperare animo, propterea quòd male & contra naturam affecti sunt. In animantibus igitur, vt dixi, primum cernere licet imperium herile, & ciuile: quoniam animus in corpus imperium habet domini, mens & ratio in cupiditatem ciuile ac regium. Ex quo perspicuum est, & secundum naturam esse, ac vtile esse corpori, animo obedire, & ei

parti in quibus versantur perturbationes, menti, & ei quæ rationis est particeps: æquo autem iure esse, aut vicißim parêre & imperare, obesse omnibus. Eadem est ratio hominis cæterorúmque animantium. Nam & cicures immanibus natura præstantiores sunt, & his omnibus parêre homini melius est, quoniam ita saluti suæ consulunt. Præterea mari & fœminæ à natura tributum est, vt hic præsit, illa obediat: cum mas præstantior sit, deterior fœmina. Eodémque modo in hominibus omnibus hæc necessario reperiuntur. Ac quorum quidem tantæ sunt dißimilitudines & distinctiones, quantum animus præstat corpori, & homo cæteris animantibus, eodem modo affecti sunt. Quorum autem munus & officium in functionibus corporis omne positum est, eáque maior & melior ex iis vtilitas nulla percipitur, sunt ij quidem natura serui, quibus hoc genere imperij parêre melius est, siquidem etiam iis quæ commemorauimus. Eum enim natura seruum fecit, qui alterius iuris esse potest, itáque in alterius est potestate: & eum, qui rationis est particeps, tantum quantum sensu mouetur, non vt eam habeat. nam cætera animalia sunt omnia rationis expertia, ac suis perturbationibus seruiunt. Atque etiam functionum minor in his quædam distinctio est. Nam eorum omnium quæ ad cultum corporis necessaria sunt, commoditas ex vtrisque percipitur & ex seruis & ex bestijs cicuribus. Naturæ igitur hæc voluntas est, vt inter liberorum corpora & seruorum aliquid intersit. Horum quidem firma fecit & robusta ad vsus vitæ necessarios: illorum erecta & inutilia ad eiusmodi munera & opportunitates: vtilia autem ad vitam ciuilem: quæ quidem disperti-

ta est in bellorum & pacis opportunitates. Ferè autem fit contrà, vt in his ingenuorum corpora, in illis animos inesse videamus. Perspicuum est enim, si tantæ in corporibus eorum solùm sint dissimilitudines, quantæ in deorum imaginibus, fore, vt eos qui vincerentur, dignos horum seruitute fateantur. Quòd si in corporibus id verum est, maiore quadam ratione in animis existũt hæ ipsæ varietates. Sed non est æquè facile animi ac corporis pulchritudinem cernere. At illud quidem perspicuum est, esse quosdam à natura liberos generatos, quosdam seruos: quibus & vtilis est & iusta seruitus.

Cap. 4. *Facilè autem intelligi potest, eos qui contradicãt, quodammodo verè dicere. Nam bifariam seruire dicitur, & seruus. Est enim quidam seruus contra leges. Lex enim conuentum est quoddam, quo bello capta, victorum esse dicuntur. quod quidem ius multi eorum qui leges scribũt, vt oratorem iniquæ rogationis accusant, quòd indignum sit, id quod vi captum sit, eius qui vim afferre potest, & vi superior est, seruum fieri, eique parêre. Ac aliis quidem hæc probatur sententia, aliis illa, atque in his sunt docti. Causa autem huius dissensionis, quódque rationes in vtranque partem excitauit, est, quia vt quæque virtus maximè munita est, ita vim afferre maximam potest: & quicquid superius est, id semper in alicuius boni præstantia cernitur: vt non sine virtute vis salua consistere posse videatur. Ita de solo iure esse controuersiam. Ob hanc enim causam nõnullis videtur ius à beneuolentia proficisci, aliis hoc ipsum ius esse, superiorem imperare: quandoquidem his rationibus separatis, reliquę neque firmitatis quicquam, neque vllam*

habent authoritatem ad persuadendum, non oportere eum qui præstantior sit, præesse & imperare. Omninóque nonnulli iure quodam, vt putant, freti & adducti (lex enim quoddam ius est) seruitutem eam quæ iure belli introducta est, & iustam esse aiunt, & negant: quoniam fieri potest, vt initium bellorum sit iniustum, & eum qui sit indignus seruitute, nunquam quisquam seruum esse fateatur. Alioqui isto pacto fiet, vt nobilissimus quisque & clarissimus, sit seruus, & ex seruis, si accidat vt captus vendatur. Itaque eos seruos appellare nolunt, sed barbaros. Quanquam cùm hoc dicunt, nihil aliud quærunt, vt initiò diximus, nisi seruum quem natura procreauit. Dicendi enim sunt aliqui necessariò, alij vbique serui, alij nusquam. Eadem est nobilitatis ratio. Suos enim non solùm domi nobiles, sed vbique existimant: barbaros domi modò. quasi aliquid sit omnino nobile & liberum, aliud non omnino. Id quod Teodecti Helena ait,

Diuina satam stirpe de parentibus,
Quis æquum putauerit hanc seruam dicere?

Hoc autem cùm dicunt, nulla re, nisi virtute & vitio seruũ & liberum, nobiles & ignobiles definiunt contineri. Volunt enim, vt ex homine homo, & ex bellua bellua nascitur: sic ex bonis nasci bonos. Atqui hoc natura vult & conatur efficere, sed tamen sæpe non potest. Ergo hoc quidem apparet, dissensionem hanc quadam ratione nixam esse, aliósque esse natura seruos, alios liberos, & quibus ex rebus statuti sint ij quorum alteri seruitus vtilitati est, alteri imperium: quorúmque alterum ius est & decet parêre, præesse alterum, eo imperij genere quod à natura datum

sit, ob eámque causam imperare. At ex iniusto genere imperij neuter vllum fructũ percipit, cùm præsertim eadem sit vtilitas partis & vniuersi, corporis ac animi: & seruus sit pars quædã domini, tanquã animata quædã pars corporis, sed tamen separata. Quocirca non solùm vtilitates quasdã vltro citróq; dominus & seruus capiũt, sed amicitia etiam cõiuncti sunt: quippe quos natura hoc pacto colligarit. Qui autẽ nõ hac ratione cõiuncti sunt, sed lege & vi, in iis cõtrà fit. Atq; hoc etiã perspicuũ est, nõ esse idem ius herile quod rationẽ ciuilem, neq;, vt aiũt quidã, omnia imperia similitudine cõtineri. Hæc enim liberorũ est natura, illa seruorũ: & in prudẽtia domestica vnus præest (omnis enim familia vni paret) ciuilis autẽ ratio liberis hominibus, & æquo iure viuẽtibus cõtinetur. Ac dominus quidẽ non ex scientia nominatur, sed ex eo quòd talis sit. Itémq; seruus & liber. Scientia autẽ & imperãdi & seruiẽdi dici potest. seruiendi, quã quidã Syracusis docebat. Illic enim mercede docebat pueros, sordida vulgariáq; munera. Est etiã ĩ his talibus disciplina, vt ars culinaria, & cætera ministeriorũ genera. Sũt enim officia alia aliis & liberaliora, & magis necessaria. atq; vt est in veteri prouerbio, Seruus seruo præstat, & dominus domino. Atq; hę quidẽ seruiẽdi artes sunt omnes. Imperãdi autẽ seruis ars est, quæ quẽadmodũ seruis vtendũ sit, præscribit. Nã dominus nõ in possessione seruorum, sed in vsu cernitur. Hac autẽ arte nihil magna laude aut gloria dignum continetur: quippe cùm quæ munera & officia seruus exequi potest, & debet, ea ille ex arte debeat præscribere. Quocirca quibus licet à periculis & malis abesse, eorum vicarius hanc gloriam adipiscitur: ipsi vel Rempub. gerunt, vel philosophantur. Quæstuaria autem ars ab his

diuersa est, quasi iusta quædam ars bellica, vel venatio. Atque de seruo & domino hactenus.

Omnino autẽ in omni possessione, & arte ea quę in quęrẽdis diuitiis posita est, inuestigãda, eandem rationem ordinémq; seruabimus: quãdoquidẽ seruũ in possessionis parte quadã collocauimus. Ac primũ quidem quærendum est, vtrũ ars parãdarũ diuitiarũ eadẽ sit quę rei familiaris disciplina, an eius pars quędã, vel ministra, si ministra, vtrã quẽadmodũ pectinaria textoriæ, an vt fabrica æraria statuariæ. neque enim eodẽ modo ministrant, sed altera instrumẽta præbet, materiã altera. Voco autem materiã, rẽ propositã ex qua aliquod opus efficitur: vt textori lanã, statuario æs. Ac non esse quidem eandem prudentiã domesticã & artem parandarum diuitiarum, hinc intelligi potest, quòd huius est parare, illius vti. Quæ enim ars est præter domesticã, quæ rebus iis vtatur quæ ad domũ familiámq; pertinẽt? Vtrum autem eius sit pars quædã, ánne aliud genus, de eo dissensio est. Si enim eius est qui arte parandarũ opũ præditus sit, vnde opes & possessiones parẽtur, intelligere & nosse, possessio autem & opes multas partes cõplectuntur: certè primùm existet quæstio, sit'ne agricultura pars quædam artis parandarũ opum, an genus aliud: & omnino ciborũ curatio & possessio. Atqui multa sunt ciborum alimentorúmque genera, ob eámque causam varia & hominũ & animaliũ genera viuendi consecuta sunt. Cũ enim pastu sublato, nihil loci vitæ relinquatur, fit, vt varietatem pastus varia animantium viuendi genera consecuta sint. Bestiarum enim congregatæ aliæ sunt, partim solivagæ, quocunque eis ad pastus capeßendos proficisci Cap. 5.

commodum est, propterea quòd nonnullæ animalibus vescuntur, aliæ frugibus, quædam his omnibus. Itaque pro horum commoditate atque delectu, earum viuendi genera natura distinxit. Sed quoniam non eadem res omnes delectat, sed alia alios, idcirco & earum bestiarum quæ viuis animalibus vescuntur, & earum quæ fructibus, vitæ genera inter se differunt. Eadem est ratio hominum. Magnæ enim in multis eorum viuendi generibus existunt varietates. Ac pigerrimus quisque greges pascit, propterea quòd ex cicuribus animantibus omnes etiam sine labore victum capiunt. quòd si necesse sit mutare locum animalibus propter pastus commoditates, ipsi etiam unà coguntur sequi, quasi agriculturam viuam colentes. Alij autem ex præda viuunt, aliíque ex alia præda: velut nonnulli venatione, quidam piscatu: cuiusmodi sunt ij omnes qui paludes, stagna, flumina vel mare accolunt: partim ex auibus & bestiis immanibus. Sed maximæ parti hominum terra res ad viuẽdum necessarias profert ex sese, domesticíque fructus. Ac viuendi quidem genera tot ferè sunt, quæ naturales functiones & commoditates in sese continent, nec contrahendo, nec cauponando victum comparant: pascendi ratio, agricultura, aucupium, piscatus, venatio. Sunt etiam qui his coniunctis, vitam cum voluptate traducant: eatenus quidem vitam, quæ plurima requirit, refercientes, quatenus aliquid desiderat, vt per se ipsa contenta sit: velut alij pascendi rationem cum prædandi, partim agriculturam cum venatione coniungunt. Eodémque modo alia vitæ genera, vt rerum vsus & inopia premit, ita sequuntur. Atque hæc quidem opportunitas ab ipsa natura videtur da-

ta omnibus, vt à primo statim ortu, sic cum perfecti sunt. Etenim primo ortu quædam animalia simul extra pariunt tantum alimenti, quantum satis sit dum id quod procreatum est, ipsum sibi parare possit: cuius generis sunt ea quæ vermes vel oua pariunt. Quæ autem animalia pariunt, ea in se alimentum ad quoddam tempus continent, quod lactis naturam dicimus. Quapropter eodem modo de perfectis naturis iudicandum est, eas quæ è terra gignantur, animantium, bestias omnes hominum causa generatas esse, vt cicures & ad vsum, & ad victum: immanes & feræ si non omnes, at certe quamplurimæ ad victum cultúmque natæ videantur, vt ex iis & vestes & cæteræ commoditates opportunitatésque caperentur. Si igitur nihil inchoatum & imperfectum, neque sine causa facit natura, necesse est hæc omnia hominum causa fabricatam esse naturam. Quocirca ars etiam bellica, vi sua & natura quæstuaria est quodammodo. Venatio enim pars illius est, qua contra belluas vtendum est, eosque homines, qui cum aptos animos ad parendum habeant, tamen parêre nolunt, quòd iustum sit hoc bellum natura. Vnum igitur genus artis parandarum rerum natura tanquam pars, subiectum est prudentiæ domesticæ, quod quidem vel suppetere & adesse oportet, aut certè hanc parare, vt conditio & quasi thesaurus pecuniarum suppetat, quæ & ad vitam necessariæ sunt, & ad societatem ciuilem domesticámque perutiles. Et certè his veræ diuitiæ contineri videntur. Harum enim facultatum ampla satis copia & abundantia ad bene beatéque viuendum, infinita non est, quemadmodum Solon in poëtica dixit,

Nescit homo rebus finem reperire cupitis.

Est enim modus appositus, quemadmodum aliis artibus. Neque enim vllius artis instrumentum est multitudine infinita, neque magnitudine. Atqui opes, multorum instrumentorum & commoditatum in re familiari & ciuili ratione locum obtinent. Ex quo perspicuum est, quæstuariam quandam artem à natura propositam esse & iis qui remp. & iis qui rem familiarem tuentur.

Cap. 6. *Est autem aliud genus quærendarum opum, quod in quærendis pecuniis occupatum esse volunt: & certè ita æquum est dicere. qua quidem arte factum est, vt diuitiarũ & possessionum neque modus vllus, neque finis esse videatur: quam plerique ab ea de qua diximus, propter vicinitatem non separant, cum nec eadem sit, nec illi valde dissimilis. illam enim natura, hanc non natura, sed quædã exercitatio & ars potius cõparauit: de qua differẽdi hinc capiamus exordiũ. Duplex est vniuscuiusque rei quæ possidetur, vsus, & vterque per se ac vi sua est ille quidem comparatus, sed non eodem modo: verùm alter proprius, alter rei nõ est proprius: vt calcei inductio in pedes, & commutatio, quorum vtrumque vsus est calcei. Is enim qui commutat calceum cum eo cui opus est, precij vel cibi loco, vtitur ille quidem calceo quia sit calceus, sed à proprio vsu discedit: quandoquidem non contrahendi causa institutus est. Eadem est ratio reliquarum rerum quarum est possessio. Est enim commutandarum rerum ratio primùm à natura profecta, quòd aliarum rerum maiores copias, aliarum minores quàm satis esset, homines haberent. Ex quo etiam illud perspicuũ est, artem eam quæ in quæ-*

rendis pecuniis posita sit, à natura non esse ortam: quippe cum quantum satis erat ipsis, necesse fuerit eos contrahendis rebus implicari. Ac in prima quidem societate, id est in familia, perspicuum est ei nihil loci relictum fuisse: sed cum iam maior esset societas. aliorum enim omnia erant communia, aliorum priuata erant multa & varia, quæ quenque pro rebus asperis ad contrahendum impellebant necessarió. id quod etiam nunc multæ barbaræ nationes contrahendis rebus obseruant: quæ, res eas quarũ vsus est aliquis, rebus eiusdem generis mutent, nihil præterea, velut vinum pro frumento & dant & accipiunt, aliáque generis eiusdem. Hæc igitur mutandarum rerum ratio, nec repugnante natura orta est, nec pars eius est quæ in quærendis pecuniis cernitur: quippe quę ad expletionem copiarum quas natura desiderat, sit inuenta. quanquam ex hac illa nata est. nec iniuria. Nam cum ab externis auxilium peteretur, inuehendis iis rebus quibus egebant, & exportandis iis quibus abundabant, numi vsus comparatus est necessarió. Cum enim non facilè deferri possent quæ ad viuendum secundum naturam necessaria erant, ob eam causam ad res contrahendas eiusmodi aliquid inter eos conuênit dare & accipere: quod cũ in rebus esset vtilibus, vsum ad vitam accommodatum afferret, cuiusmodi est ferrũ & argentum, & si quid aliud eiusmodi. Atq; id primùm certa magnitudine & pondere terminatũ fuit omnino, deinde etiã forma impressa est, vt à mensura liberarentur. forma enim, magnitudinis & ponderis nota fuit. Cũ igitur num⁹ cõtrahẽdarum rerũ causa iam introductus esset necessario, aliud genus quærendarum pecuniarũ, quod cauponãdi di-

citur, consecutum est: quod primùm forsitan simpliciter natum est, deinde vsu & exercitatione ars quædam maior accessit, vnde & quo pacto permutandis pecuniis plurimũ lucri faceret. Itaque ars parandarum pecuniarum in numo versari videtur maximè, eiusque officium esse, posse perspicere vnde parari possit magna pecuniæ vis & copia. valere enim videtur ad parandas opes & pecunias: quandoquidem diuitias & opes sæpe in magna vi numorum ponunt & copia, propterea quòd in iis ratio quærendę pecuniæ & cauponaria cernantur. Contrà interdum nugæ numus videtur, & lex vna omnino: natura autem nihil esse, quod si mutent ij qui vtuntur, precij nullius est, neque ex eo vtilitas vlla ad vsus vitæ necessarios percipitur: & cui magna vis sit pecuniæ, ei frequẽter necessarius vitæ cultus victúsque deerit. Atqui absurdum est, eas diuitias esse, quibus abundantem liceat fame enecari: quemadmodum de Mida illo narrant fabulę, cui propter stultum optatum, ea quæ apponebantur, aurum fiebant omnia. Quocirca alias diuitias quærunt, aliámque artem parandarum pecuniarum. atque rectè ij quærunt. Est enim alia ars quærendarum opum, & aliæ diuitiæ, quas natura approbat: atque hæc quidem prudentię domesticæ subiecta est, tãquam pars generi: illa autem cauponatrix pecunias non omni ratione, sed permutandis pecuniis parat, & in pecuniis tota occupata est. Nam & initium dat numus & finem cõtrahendis rebus. Itaque nullus finis & modus est diuitiarum quæ hac quærendi ratione parantur. Vt enim medicina est valetudinis quasi infinitæ & immensæ, & vnaquæque ars nullum modum in fine suo adipiscendo adhibet (studio-

ſißimè enim ad eum cupiunt omnes peruenire) iis autem quæ ad finem ferunt, modum apponit (finis enim propoſitus eſt omnibus) ita hæc ars quærēdæ pecuniæ, fini ſuo modum nullum apponit: finis autem eiuſmodi eſt in diuitiis & in pecuniarum poſſeßione. At verò prudentiæ domeſticę, non iſtius rationis parandarum pecuniarum propoſitus eſt finis. neque enim hic rei familiaris finis eſt. Quapropter hoc quidem perſpicuum eſt, modum quendam omnium diuitiarum huic tenendum eſſe neceſſarió. Sed contrà fieri video. Omnes enim ſine modo opes augent & pecunias. In cauſa eſt earum vicinitas, quoniam alterius vſus in alteram transfertur, cum in eodem numo vtraque pecuniæ quærendæ ratio verſetur. Eſt enim eiuſdem vſus poſſeßio, ſed non eadem ratione: verùm huic alius finis propoſitus eſt, illi pecuniarum amplificatio. Quocirca nonnulli rei familiaris officium in hoc ſtatuunt, in eáque permanent ſententia, vt vel conſeruādas eſſe pecuniarum copias, vel certe ſine vllo modo augendas exiſtiment. Hanc autem animi affectionem & opinionem, viuendi, at non bene beatéque viuendi cupiditas attulit. quæ cum ſit infinita, effectū eſt, vt infinitarum rerum quæ quidem illam efficiant, inflammati auiditate raperentur. In quibus autem cupiditas ſpectat ad commodā & ſuauem vitā, ab iis expetuntur diuitię ad perfruendas voluptates. Ita cum hoc quoq; in poſſeſſione poſitum eſſe appareat, omne eorum ſtudium in pecuniis congerendis accumulandiſque ponitur, ob eámque cauſam aliud quærendæ pecunię genus extitit. Cū enim voluptas modū tranſeat, eā queſtuariā quę immenſas voluptates pariat, expetūt. quod ſi augendis pecuniis cōparare &

adipisci non poßint, hoc alia via aggrediuntur, omnémque rationem & artem quam natura non sinit, adhibent. nō est enim fortitudinis pecuniā facere, sed audaciā: nec rei militaris aut medicinæ, sed illi victoria proposita est, huic valetudo. At isti omnes artes pecunia dirigunt, quasi hic sit illis finis propositus, & quòd ad finem referenda sint omnia. Ac ratio quidem quærendæ pecuniæ, quæ non est necessaria, quæ sit, quáq; de causa desiderata sit à nobis, diximus. De necessaria etiam disseruimus, eamq́ue ab illa seiūximus, & rei familiaris disciplinæ cui natura cohæret, subiecimus: vt in victu cultúq;, non, quemadmodum illa, infinito & immenso, sed moderato consisteret.

Cap. 7. *Illud autem perspicuum est, quod initio quærebatur, sitne patrisfamilias, & eius qui ciuilem societatem tuetur, propria quęrendæ pecuniæ ratio, necne, verum hęc illis suppetere & adesse debeat. Vt enim homines non gignit ciuilis ratio & societas, sed cum acceperit à natura, illis vtitur: sic victum & cultum natura, terra, & mare, aut aliquid aliud suppeditare debet, ex iísque hæc rectè curare paterfamilias. Neque enim artis est texendi, lanas conficere, sed eas iam confectas ad vsus suos accommodare, ex eísque probas & aptas à non probis & aptis internoscere. Etenim quærat aliquis, quid ita prudentiæ domesticæ pars est, pecuniarū & opum quærendarum ratio, medicina nō est, cum præsertim opus sit, vt victum & alias res necessarias habere, sic valere familiam? Sed quoniam est quatenus & paterfamilias, & qui præest Reipublicæ, medicinam tenere debeat, estq́ue quatenus non debeat, sed medici illud iam est officium: ita est quatenus patremfamilias*

pecuniæ quærendæ rationem ſcire oporteat, eſt quatenus non oporteat: ſed eius artis officium eſt, quæ illius adminiſtra eſt. Hoc autem natura, quemadmodum ante dixi, ſuppetere debet maxime. Naturæ enim munus eſt & officiũ, eis quos generauit & procreauit, res præbere ad victum neceſſarias: cum præſertim omni naturæ ex eo à quo generata eſt, cibus relinquatur. Itaque omnibus à natura tributa eſt ars ea quæſtuaria quæ ex fructibus & animantibus vtilitates percipit. Cum autem eius duo ſint genera, vt dixi, quorum alterum cauponatricis, alterum rei familiaris eſt: hoc neceſſarium eſt ac laudabile, illud cõmutandis rebus accommodatum eſt, idémque vituperabile: nec iniuria. non enim natura id genuit, ſed rerũ vltro citróque contrahendarũ ratio: iuréq; quidem optimo in hominum odia incurrit fœneratio, quoniã ipſa pecunia fructus eius eſt, nec ad permutandas res, cuius cauſa cõparata eſt, refertur. Fœnus autem pecuniam auget & amplificat, ex quo etiam nomen inuenit: quoniam quæ procreata ſunt, ſimilia ſunt procreatoribus, & fœnus ex pecunia pecuniã parit. Nunc quoniam de iis quæ ad artem & cognitionẽ pertinebant, ſatis multa diximus, ea exponenda ſunt quæ ad vſum pertinent. Harum quidem rerum de quibus dicimus, liberalis eſt ac ingenua ars & cognitio, vſus autẽ neceſſarius. Partes autem artis quærẽdarum opum, ex quibus vtilitas aliqua percipi poteſt, hæ ſunt, vſu peritum eſſe quæ rerum copiæ ſint exquibus maximæ vtilitates capiantur, & vbi ſint, & quomodo capi poßint: veluti equorum commoditas quæ ſit, aut boum, aut pecudum, itémque cæterorum animalium Rerum enim vſu cognoſcendum eſt, iis omnibus

inter ſe comparatis, ex quibus maximæ commoditates opportunitatéſque capiãtur, quibúſque in locis. In aliis enim locis felicius alia gignuntur. Deinde in cultura agrorum, eáque & nuda & conſita, id videndum eſt, itémque in apum operibus, reliquorúmque animaliũ aquatilium vel volatilium, ex quibus commoditates & vtilitates capi poſſunt. Ac veræ quidem rationis pecuniæ quærendæ, hæ ſunt primæ partes. Eius autem quæ deflexit, pars vel maxima eſt mercatura: cuius tres ſunt partes, nauigatio, inuectio, & negotiatio. quæ hoc inter ſe differũt, quòd aliæ tutiores ſint, aliæ maiores vberioréſq; fructus afferãt. Secunda eſt, fœneratio. Tertia, mercenariorum omnium: cuius vna pars in ſordidis artibus verſatur, altera in iis quæ arte non conſtant, ſed ſolius corporis opera & induſtria. Eſt etiam tertium genus quærendæ pecuniæ, inter hoc & ſuperius locatum. Quæ enim ex terra gignuntur & oriuntur, nec fructum, ſed commoditates afferunt: eorum partim cum ea quam natura peperit, partim cum ea quæ degenerat, conſentiunt: qualis eſt arbornm conſectio, & omnis è terra eruendi ratio. Hæc autem multa genera complectitur. Multa enim ſunt genera eorum quæ è terra eliciũtur. Sed de his omnibus dictum eſt omnino, & generaliter: propria autem accuratáque diſputatio, ad functiones & quæſtum illa quidem aliquantum adiumenti afferret, ſed tamen grauis eſſet commoratio. Artificio autem maximo conſtant quæſtus ij, in quibus minimùm fortuna poteſt. Sordidiſsimi ſunt, in quibus corpora inquinantur. Maximè illiberales, qui vſu plurimo corporis egent. Ignobiliſsimi, qui minimùm virtutem deſiderant. Sed quoniam de

his quidam ſcripta volumina reliquerunt, vt Chares Parius, & Apollodorus Lemnius, de cultura agrorum & nudorum & conſitorum, item alij de aliis ſcripſerunt multa: hæc quidem ab illis petat cui curæ eſt: quæ autē diſperſa ſunt præcepta, quibus rationibus adepti ſunt diuitias ij qui valent opibus, colligere debemus. Hæc enim omnia iis proderunt, apud quos in honore & precio eſt pecuniæ quærendæ ratio. Cuius generis eſt illud Thalis Mileſij (præceptum enim quoddam eſt pecuniæ faciendæ) quod illi propter ſapientiam qua valebat plurimum, attribuunt: generale autem quoddam præceptum eſt. Cùm enim obiiceretur ei propter paupertatem ſapientiæ ſtudium, vt inutile, animaduertiſſe aſtrologia dicitur olearum vbertatem fore: & hyeme antequam florere cœpiſſent, cùm parua pecuniæ vis ſuppeteret, arris datis omnium olearum quæ erant in agro Mileſio & Chio, paruo coëmiſſe, quia nemo pluris liceretur. Cúmque tempus veniſſet, multíque cōcurrerent, eis tanti quanti voluit vendidiſſe: ita magna pecuniæ copia coaceruata, oſtendiſſe etiam philoſophos, ſi id commodum eſſet, pecuniam facere poſſe: ſed in ea re ſtudia eorum non verſari. Ac Thales quidem ad hunc modum ſapientiæ ſpecimen edidiſſe dicitur. Hoc autem ad rationem, vt dixi, faciēdæ pecuniæ omnino pertinet, ſi quis ſibi vni venditionem parare & vendicare poſſit. Itaq; ciuitates quædam hanc ſibi facultatem reſeruant, cum pecuniæ deſunt. Sibi enim ſolis rerum venalium venditionem vendicant. In Sicilia autem quidam pecunia, quam apud ſe conditam habebat, ex ferrariis omne ferrum coëmit. Poſtea verò quàm ex mercaturis redierunt mercatores, ille vnus ven-

debat non magnopere aucto precio, sed tamẽ pro quinquaginta talentis centũ accepit. Hoc cùm Dionysius animaduertisset, & pecunias exportare eum iußit, nec tamen iam Syracusis manere voluit, qui copias ipsius rebus inutiles inuenisset. Thaletis quidem & huius eadem præsensio est: quoniam vterque sibi vni arte quadam venditionem attribuit. Quarum rerum cognitio etiam iis qui Reipublicæ præsunt, magnos vsus affert, propterea quòd pecuniæ faciendæ rationem vt familiæ, sic vrbes, ac multò etiam magis desiderãt. Quapropter quidam in Repub. hanc vnam rem prosequuntur.

Cap. 8. Tres autem rei familiaris partes statuimus: vnam in dominatu, de quo suprà disseruimus: alterã in paterno imperio, tertiam in re vxoria. quoniam pater & vxori præest & liberis, quanquam non eodem genere imperij: sed vxori, ciuili: liberis, regali potestate. Nam & mas ad principatum aptior est natura, quàm fœmina: nisi fortè alicubi contra naturam accidat: & quæ antiquiora perfectáq; sunt, quàm iuniora & imperfecta. Ac in ciuilibus quidem imperiis quàm plurimis, quoniam pari iure esse volunt natura duce, nullúmque haberi delectum, commutantur is qui præest, & is qui paret. sed tamen cùm est quod imperat, & quod paret, tum fit vt sit quædã & formarum, & sermonum, & honorum præstantia: quemadmodum Amasis de pelui ea in qua pedes lauabat, orationem habuit. Atqui mas si cum fœmina comparetur, eo semper genere excellere videbitur. Liberorum autem imperium regale est. Quod enim procreauit ac genuit, id vt præsit, & amicitiæ ratio, & senectutis postulat: quod quidem genus est regalis pote-

Herodot. lib. 2.

statis. Itaque præclarè Homerus Iouem appellauit regem horum omnium, cùm dixit: Parens hominúmque deumq́;. Natura enim in rege dißimilis, genus idem esse debet: qua quidem re & maior natu minori, & procreator natis præstat. Hoc igitur perspicuum est, prudentiam domesticam in hominibus, quàm in rerũ quæ inanimæ sunt copiis: in virtute eorum comparanda, quàm in facultatibus quas diuitias opésque dicimus: in liberis, quàm in seruis, plus operæ studiíque ponere. Ac primùm de seruis quærat quispiam, sit'ne eorũ virtus præter eas quæ in corporis officio & administratione cõsistunt, alia his illustrior & clarior? vt temperantia, vt fortitudo, vt iustitia, cęteræque generis eiusdem. an verò nulla præter corporis administrationes? Habet enim hoc dubitationem in vtranque partẽ. Si enim inest, quid inter eos & liberos intererit? Si non, certè id absurdũ est, cum & homines sint, & rationis compotes. Quod idem ferè de vxore & liberis quęritur, eorúmne sint aliquę virtutes? & deceátne vxorem temperantem esse, fortem, atque iustam? Et puer sit'ne libidinosus & temperatus nécne? Omninóque hoc considerãdum est, sint'ne is qui præest natura, & is qui paret, iisdem virtutibus, an aliis atque aliis prędidti? Si enim vterque probitatis compos esse debet, cur omnino hunc imperare, illum parêre oporteat? Neque enim hoc differre possunt, quòd in altero maiores virtutes insunt, in altero minores: presertim cùm parêre & imperare specie differant, maiores & minores virtutes non differant. Quòd si hic præditus esse debet, ille non debet, id mirum est. Si enim is qui præest, non sit moderatus & iustus, quomodo bene imperabit? Si is qui paret, quo pacto

modestè parebit? Nam intemperans & ignauus si sit, nullum officium sequetur. Ergo hoc quidem perspicuum est, vtrunque virtutibus præditum esse oportere, sed aliis atq; aliis: quemadmodum ea omnia quæ natura vult obedire. Quod in animo quàm primũ animaduerti licet, cuius vna pars natura imperat, altera obedit: quarũ diuersas virtutes esse dicimus, velut huius habere rationẽ, illius non habere. Perspicuum est igitur, eandem cæterorum esse rationem. Quocirca natura fecit complura & quæ imperãt, & quæ parent. Nam & liberi alio genere imperij seruis præsunt, & mares fœminis alio, & alio vir liberis. iisque omnibus datæ sunt partes animi, sed datæ sunt cum delectu quodã: vt in seruo non sit pars ea quę valet cõsilio: in fœmina insit illa quidẽ, sed imbecilla: in puero inchoata & imperfecta. Quod eodem modo de virtutibus iis quæ more perficiuntur, iudicandum est, illis omnes præditos esse oportere, non eodem modo, sed quantum cuique satis sit ad suum munus fungendum. Itaque eum oportet qui pręsit, perfectis atque absolutis virtutibus quæ more gignũtur, esse præditum & ornatum. Est enim munus & officium architecti, & ratio architecti nomen obtinet: cæteros autem, quantum quenq; decet. Quare perspicuum est, virtutem moralem hos omnes habere oportere, neque eandem esse vxoris & viri temperantiam, neq; fortitudinem & iustitiam, quemadmodum Socrates putauit: sed hanc fortitudinẽ aptam ad imperandum, illam ad ministrandum & seruiendũ. Similis est ratio cæterarũ. Quod ij facilius perspiciunt, qui res singulas considerant. Errant enim ij qui omnino aiunt virtutẽ esse, bene animo esse constitutum, vel recta facere, aut si quid

aliud eiusdem generis: multóque rectius dicunt qui virtutes enumerant, vt Gorgias; quàm ij qui isto pacto rem definiũt. Ita quod poëta de mulieribus dixit, Mulieri ornamentum affert taciturnitas, viro non item. id de omnibus existimare debemus. Quoniam autẽ puer imperfectus est, profectò virtutem qua est præditus, non ad se & res suas, sed ad perfectum, & eum qui regit referre debet, itémque seruus ad dominũ. Et quia seruum vsus afferre ad res necessarias posuimus, idcirco perspictuum est, in eo & virtutem paruam desiderari, & tantam vt neq; propter intemperantiam, neq; propter ignauiam officio desit. Sed quęrat quispiam, id quod modò dictum est, si verum sit, etiámne artifices virtute præditos esse oporteat. Sæpe enim propter intemperantiam officia deserũt. At magna est dissimilitudo. Cum enim seruus sit communionis vitæ particeps, ille longè ab ea abhorret, tantúmq; ad virtutem spectat, quantum ad seruitutẽ: quippe cùm artificem eum qui in sordida arte versatur, certa quædam seruitus constrictũ teneat. Seruum etiam natura genuit, sutorem nõ item, neq; vllum alium opificẽ. Hoc igitur perspicuum est, seruũ his talibus virtutibus informari instituiq; à domino oportere: non qui instructus sit arte, quæ valeat ad docenda munera imperij herilis. Nõ igitur audiẽdi sunt ij qui ratione seruos spoliãt, eósque solùm dicto audientes esse confirmant. Admonendi enim sunt serui potius, q̃ pueri. Ac de his quidẽ satis multa diximus. De viri autem & vxoris, patris & liberorũ virtutibus, & in mutuo eorum sermone ac cõsuetudine quid honestum sit, quid minus honestum, & quemadmodum id quod rectum est persequi, quod prauum ac vitiosum de-

perspicuum

clinare oporteat, iis libris quibus de Repub. disseremus, necesse erit dicere. Quoniam enim familia omnis pars est ciuilis societatis, hæc autẽ familiæ sunt partes, & partis virtus ex totius virtute spectanda & æstimanda est: idcirco necesse erit nos qui totam Rempub. nobis proponimus, & liberos instituere, & vxores: si modò aliquid interest ad ciuitatem bene moratam, & liberos & vxores esse moratas. Atqui interest necessariò, cùm presertim media pars liberorum hominum ex mulieribus cõstet, & pueri ciuilis communitatis socij oriãtur. Quapropter quoniã de his dictum est, de cæteris autem in aliis libris disserendũ erit, hac disputatione quam modò habuimus, vt quæ terminum habeát, prætermissa, aliud initium dicendi faciamus. Ac primùm quæ de optimo Reipub. statu dicta sunt, videamus.

ARISTOTELIS DE REpublica Liber II.

Cap. I. QVoniam autem nobis propositum est quærere quæ sit societas ciuilis omnium optima, iis quibus in vita degenda omnia ex animi sententia euenire quàm facillimè poßint, aliæ etiam Respublicæ quibus vtuntur ciuitates quædam, quæ bonis legibus dicuntur regi, cognoscendæ sunt: & si quæ aliæ quæ à nonnullis commemorantur, bene constitutæ videntur, vt & virtus perspiciatur, & vtilitas. Quòd si quid præterea etiam exquiremus, non est cur videatur hęc omnino commentitia quæstio: præsertim cùm hanc viam & rationem disputandi inducere videamur, quò d eæ quę

nunc etiam ſtant, non ſint præclarè conſtitutæ. Exordium *autem primùm capiendum eſt, quod huic ſermoni natura cōſtituit. Neceſſe eſt enim aut omnium ciuium eſſe omnia communia, aut nulla, aut quædam eſſe, quædam non eſſe. Ac vt nulla ſint communia, profectò fieri non poteſt: cùm præſertim & Reſp. quædam ſit ſocietas, & primùm neceſſe ſit ciues locum habitare communem. Locus enim æqualitas eſt vnius ciuitatis, ciues autem eiuſdem ciuitatis ſocij. Sed vtrum quæ communia eſſe poſſunt, ea omnia melius ſit ciuitatem quæ bene conſtituenda ſit, communia habere, an aliqua habere, alia non habere, quæſtio eſt. Fieri enim poteſt, vt ciuibus inter ipſos liberi communes ſint, communes vxores, communes denique poſſeſſiones, vt eſt in Platonis rep. Illic enim Socrates ait oportere & liberos, & vxores, & poſſeſſiones eſſe communes. In quo id quæri poteſt, vtrū præſtat ita rem habere, vt his ſit temporibus, an vt lex in repub. ſcripta præſcribit. Cùm verò multas alias incommoditates in ſe cōtinet vxorum inter omnes communitas: tum id cuius cauſa putat hoc pacto legibus ſanciendum eſſe Socrates, ex rationibus non perſpicitur effici. Iam verò fieri non poteſt, quemadmodum modò dixi, vt ad eum finem quem ciuitati ait propoſitum eſſe oportere, id dirigatur. Quo autem modo diuidendum ſit, nihil exponit: id eſt, quo pacto vna ciuitas quàm optima efficiatur ex omnibus. aNm hoc ſibi proponit Socrates. Atqui perſpicuum eſt, ſi ciuitas progreſſionibus vtatur, ac minor fiat, eam ne ciuitatem quidem fore. In multitudine enim quadam conſiſtit ciuitas: quæ ſi magis vna fiat, & augeatur, certè & ex ciuitate familia, & ex familia homo conſtabit: quan-*

doquidem familiam vnam quàm ciuitatem & hominem magis vnum dicimus quàm familiam vnam. Ita etiam si quis id facere posset, tamen quia hoc pacto ciuitatem euerteret, facere non deberet. Neque verò ex multis solùm hominibus constat ciuitas, sed etiam ex hominibus qui specie differunt: quippe cùm ex sui similibus non constet ciuitas. Aliud enim societas belli est, aliud ciuitas. Illa enim multitudini vtilis est, etiamsi specie differat: quoniam auxilij causa cõparata est belli societas, vt si maius põdus deprimat. Qua etiam re ciuitas à gente distabit, si non per vicos diuisa sit multitudo, sed vt Arcades. Ex quibus autem vnum constare debet, ea specie differũt. Itaque talio, quemadmodum in libris de moribus dixi, ciuitates continet: quandoquidem id in liberis populis & pari iure viuentibus vigeat necesse est. Nam cùm non poßint omnes magistratum gerere, nisi annuum, vel siqua alia sit præscriptio aut tempus constitutum, isto pacto fiet, vt omnes magistratum gerant: quomodo si sutores & fabri mutarentur, nec iidẽ semper fabri & sutores essent. Quoniam autem hic ciuilis societatis status melior est, certè eosdem semper esse in magistratu melius est, si fieri poßit. Apud quos autem id fieri non potest, propterea quòd natura omnium par est causa & conditio: simul etiam æquum est, siue salutaris, siue perniciosus sit magistratus, omnibus ad magistratus aditum patere: meminisse debent, sibi qui pari iure viuant, abeundum esse magistratu vicißim tanquam à principio sint similes. Alij enim imperant, alij parent vicißim, quasi alij facti. Eodemq; modo eorũ qui præsunt, alij alios magistratus gerunt. Ex quibus perspicuum

est, natura non esse ita comparatam vnam ciuitatem, vt quidam confirmant: & quod ciuitatibus summum bonum esse dictum est, id ciuitates euertere. Atqui quod cuique bono est, id quenque conseruat. Alia etiam ratione perspici potest, valdè in vnam ciuitatem redigere velle, non esse melius. Nam & familia munitior est, quàm vnus homo: & ciuitas, quàm familia: quæ tum se velit esse ciuitatem, cùm accidit, vt sit multitudinis satis munita communitas. Quòd si id magis expetendum, quod seipso contentum est: etiam quod minus vnum est, eo quod magis vnum est, magis expetendum est.

Neque verò esse hoc summum bonum ciuitatem vnam esse, quàm maximè illud videtur docere ratione, si omnes simul dicant meum & non meum, quod putat Socrates argumento esse perfectè vnam esse ciuitatem. Omnes enim dicitur duobus modis. Ac si tanquam singuli, fortassis magis fiat quod vult Socrates effici. Suum enim quisque filium eundem dicet, eandémque vxorem. quod eodem modo de facultatibus, & de quaque re iudicandum est. Nunc non ita aiunt ij qui communibus vtuntur vxoribus & liberis: sed ita dicunt omnes, non quòd vnusquisque eorum. Itémque facultates omnes dicunt suas, non autem vnusquisque eorum. Hoc igitur perspicuum est, captionem quandam esse, si omnes dicamus. Nam verbum, omnes, & vtrunque, numerum dicit parem ac imparem, propterea quòd duobus modis dicitur, & in argumẽtatione ex eo cõcertationis causa cõparatæ ratiocinationes oriũtur. Quapropter eandem rẽ suam omnes dicere, alio modo rectum est, sed fieri nõ potest, alio modo nihil cõsentaneum. Cap. 2.

Aliud etiam incommodum ſequitur. Quod enim multorum commune eſt, id minimè curæ eſt. Suum enim cuique curæ eſt: quod autem commune eſt, minori quàm quantum ad quemque ſpectat. Nam quaſi alius curet cętera, ita magis negligunt: ſicut fit interdum, vt complures ſerui deterius miniſtrent quàm pauciores. Iam vniuſcuiuſque ciuis erunt mille liberi, & hi non vniuſcuiuſque, ſed cuiuſuis ęquè quiſque eſt filius: ita omnes ſimiliter negligent. Singuli etiam ciues iſto pacto ſuum eſſe dicent eum, quícum præclarè vel malè agitur, qualicũque ſint numero: quaſi ſuum certum eſſe milleſimum quemque, aut omnes qui eiuſdem ciuitatis ſint, confirmantes, cùm id illis veniat in dubium. Incertum eſt enim cuínam nati ſint liberi: atque ij nati an ſalui ſint & incolumes. Quanquam quęſtio eſt, vtrum iſto pacto dicere ſuam quemque rem eandẽ eſſe ex duobus millibus vel ex decem melius ſit: an potius eo modo, quo in ciuitatibus ſuum eſſe quid confirmant. Alius enim filium ſuum, alius fratrem ſuum eundem appellat, alius nepotem, & ſiqua alia cognatio & coniunctio eſt, vel ſanguinis, vel propinquitatis, vel affinitatis, ipſius primùm, deinde eorum qui ab ipſo nati ſunt: præterea alium ſodalem, alium curialem. præſtat enim nepotem germanum eſſe, quàm iſto pacto filium. Atqui ne vitari quidem poteſt, quin nonnulli ſuos fratres, liberos, patres & matres eſſe putent: cùm præſertim ex ſimilitudinibus parentum quæ in natis exiſtunt, ſibi de ſe inter ſe fidem facere poſſint. Quod quidam eorum qui terræ ambitum exquirunt, aiunt euenire. Eſſe enim aiunt nonnullorum populorum ſuperioris Lybiæ vxores communes, cùm interim filij

ex similitudinibus internoscantur. Sunt etiam aliorum animantium quædam vxores, cuiusmodi sunt equę & boues: quæ solent valdè similes parentibus natos edere. qualis illa fuit equa Pharsaliæ, quę iusta vocabatur. Iam verò incommoda hæc vt plagas, vt cædes, & quæ inconsultò, & quæ voluntate suscipiuntur, vt pugnas, vt contumelias, quæ impia & nefaria sunt in parentes, & in propinquos, non ita in extraneos, non facilè vitare possunt ij qui hunc statum Reipub. inuehunt. Quinetiam sæpius ea eueniant necesse est, si ignorēt, quàm si cognoscant. Quòd si oriantur, ea expiare possunt qui norunt: qui ignorant, non possunt. Atq; etiam illud absurdum est, eum qui communes liberos posuerit, concubitum solum adimere amantibus, amorem non adimere, neque vsus alios, quos esse patri cum liberis, & fratri cum fratre, quoniam etiam solus amor obscœnus est, est indecorum maximè. Illud etiam absurdum est, concubitum ipsum non ob aliam causam sustulisse, nisi quia nimia voluptas oriatur: & nihil interesse putare, sit'ne parens an filius, an fratres qui commisceantur. Quanquam agricolis hæc mulierum liberorúmque communitas, vtilior est futura, quàm custodibus. Leuior enim ita demùm amicitia futura est, si sint communes & mulieres & liberi, quales debent esse ij qui parent in imperio, non rebus nouis studere. Omninóque contrà fiat hac lege necesse est, quàm ea patiantur, quæ rectè latis legibus efficiuntur, quámque id cuius causa Socrates ita statuere putauit oportere de liberis & vxoribus. Ciuitatibus enim nihil maius aut melius amicitia dari potest. Sic enim minimè inter nos seditiones orirentur. Ac ciuitatem ex eo quòd vna sit, maximis laudi-

bus ornat Socrates, quod & videtur, & ille ait esse amicitiæ munus: quemadmodum Aristophanem scimus in libro quem Plato de amore scripsit dicere, amantes propter ardorẽ amoris cõiungi, & ex duobus vnũ effici. Atque hîc quidẽ necesse est vtrũque interiisse, vel alterũ. In ciuitate autẽ à tali societate & cõmunitate necesse est amicitiã leuẽ & imbecillam oriri: vt nec sit necesse filium patrem suum appellare, nec patrem filium. Vt enim si aliquantum dulcedinis in magna copia aquæ fusum sit, temperatio & commixtio sensu non percipitur: sic curæ est necessitudo & propinquitas, quæ ex his nominibus ducta inter omnes intercedit: in tali republica minimè necesse sit vel patrem curæ esse vt filio, vel filium tanquã parenti, & fratres alterum alteri. Duæ enim causæ sunt, quę hominibus inter ipsos necessitudinem amorémque gignunt & conciliant, id quod priuatum est, & id in quo est causa diligendi. Quorum neutrum hominibus qui hoc genere Reipub. vtuntur, inter ipsos intercedere vllo pacto potest. Atque etiam ex illa ratione de transferendis liberis qui nati erunt, vt alij ab agricolis & opificibus ad custodes, alij ab iis ad illos transferantur, magna sequitur confusio & perturbatio: quo tandẽ pacto licebit, aut necesse erit, eos qui dederint aut transtulerint, quos quibus dederint internoscere. Iam verò ea etiã quæ suprà dicta sunt incommoda, vt plagæ, vt amores, vt cædes, facilius hîc nascentur necessarió. Neque enim iam fratres, neque liberos, neque parentes appellabunt custodes ij, qui aliis ciuibus traditi erunt: neque rursus ij, qui à custodibus ad alios ciues transferentur: vt verendum sit, ne quid tale committatur, propter coniunctionem sanguinis.

Ac de liberorum quidem ac mulierum communitate hactenus. Deinceps considerandum est, quo pacto constituere debeant ij qui optimo Reipublicæ genere vsuri sunt: vtrum omnia quæ possessionis appellatione continentur, communia esse, ánne priuata. Quæ quidem quæstio ab illis quæ de liberis & mulieribus legibus tradita sunt, separari potest: vt quæramus, constitutis illis priuatis, vt nunc sunt apud omnes, sit'ne melius rerum possessiones & vsus esse communes, velut solum priuatum esse, fructus autem in commune collatos expendere, quod quidem faciunt nonnullæ nationes: an contrà, fundum communem esse, & publicè coli, fructus autem tribui ad suos cuique vsus, quo societatis genere barbari quidam coniuncti esse dicuntur: an communes & fundos & fructus. Ac si alij sint aratores, aliud genus ídque facilius consequetur: sin sibi ipsi laborent, profectò rerum possessionem, & quasi supellectilem, multa incommoda sequentur. Etenim si percipiendis commoditatibus, subeundísque laboribus non sint pares, certè ij qui maiorem fructum capient, & plus laboris impēdent, eos qui magnas vtilitates percipiant, cùm minus operæ contulerint, criminabuntur. Cùm autē vitæ coniunctio, rerúmque humanarum omnium, tum vel maximè harum difficilis societas & communio est. Idque eorum qui iter vnà faciunt societates declarant, quorum ferè dissidia fiunt, ita vt leui de re offensiore inter se animo soleant effici. Iam verò famulis iis infensi sumus maximè, quos plerūque ad munera vulgaria adhibemus. Hęc igitur & alia eius generis incommoda rerum communitas inue- Cap. 3.

bit. Quæ autem nunc stat ratio, si & moribus & bonarum legum præscripto exornetur, ab illa distabit plurimúm. Sic enim vtriusque generis vtilitatem complectetur, id est & eam quæ ex communione, & eam quæ ex proprietate rerũ percipitur. Nam communes quodam modo debent esse, omnino autem priuatæ. Officiorũ enim & curarum partitio criminationes nõ gignet inter ciues, imò verò proficiet, cùm suum quisque quasi locum ordinémque tuebitur. virtute autẽ fiet, vt vsu (quemadmodum est in prouerbio) amicorũ omnia sint communia. Est etiam nunc in eodem modo præscriptum, tanquam id fieri possit, cùm in quibusdam ciuitatibus, tum vel maximè in iis quæ præclarè administrantur, in quibus alia sunt, alia esse possunt. Cùm enim suum quisque tenet, eo amicis prodest, aliis rebus communibus vtitur. vt Lacedæmone, in qua seruis alij aliorum vtuntur vt suis, itémque equis & canibus, si viatico in agris regionis egeant. Perspicuum est igitur, ad Reipu. statum melius esse, res priuatas esse, vsu autem communes fieri. quod vt fiat, legislatoris erit prouidere. Iam verò dici non potest, quàm iucunda sit cuique rerum suarum cogitatio. Neque enim fortuita aut superuacanea est amicitia, qua se quisq; diligit: sed à natura profecta est. Nam sui diligentem esse, id demum iure vituperatur, quòd non est seipsum diligere, sed nimium: quemadmodum cupidum esse pecuniæ. quandoquidem student omnes rebus eius generis. Atque etiam gratificari & opitulari amicis, vel peregrinis, vel sodali iucundissimum est. quòd si res & possessiones priuatæ sint, extat: sin vna fiat ciuitas, tollitur. Sic etiam duarũ virtutum officia perspicuè tolluntur: temperantiæ, id quod vxo-

ribus præstatur (est enim præclarum officium & opus, ab ea quæ aliena sit, abstinere se propter temperantiam) & liberalitatis, id quod in rebus dandis cernitur. neq; enim perspicuum erit an sit liberalis, nec vllum liberale officiũ munúsque præstabit. quippe cùm in rerũ quæ occupantur vsu, consistat liberalitas. Præclara igitur & humana hæc legũ cõdendarum ratio videri potest, de qua qui audit, eam libenter approbat, existimans ita admirabilem quandã omnibus inter omnes amicitiam futuram: præsertim si quis de incõmodis & malis, quæ nũc in Rebusp. extant, queratur: quasi ex eo quòd facultates communes non sint, oriantur. actiones dico, quæ inter ciues sunt contrahendarum rerum, falsorũ testium iudicia, locupletũ assentationes: quorũ nihil cõmunitatis rerum exterminatio, sed hominum vitium inuehit: quandoquidem multò plura dissidia fieri videmus eorũ qui omnia habent communia, quàm eorum qui priuatas res tenent. verùm paucos eorum qui in commune omnia conferũt, inimicitias & simultates inter se gerere animaduertimus, quòd eos qui priuatas res habent, multos cum illis paucis comparamus. Iam verò æquum est, non solùm cõmemorare quot malis liberabuntur ij qui res cõmuniter tenent, sed etiam quibus bonis carebunt. quãquam hæc quidem viuendi ratio omninò esse nullo modo potest. Socratem autẽ in hunc errorem lapsum esse, eò quòd non rectum finẽ proponat, existimare debemus. Debet enim & familia & ciuitas vna esse quodammodo, non omninò: quoniam est quidam terminus constitutus, extra quẽ si egrediatur, iam non erit ciuitas. est quatenus stabit illa quidẽ, sed tamen si paulùm absit ab eo, vt perdat ciuitatis nomen, deterior ci-

uitas habebitur. Vt si quis concentum faciat vnum eundémq; sonum, vel versum ad pedē vnū redigat. sed debet cùm sit multitudo, vt suprà diximus, communi institutione & disciplina, vna effici. & certè absurdum est eum qui disciplinā inuehere velit, eáque putet ciuitatem fore beatam, his rebus talibus existimare ad rectam viam dirigi posse, non moribus, non philosophia & legibus. quales sunt possesßiones quas legislator Lacedæmone & Cretæ in epulis sodalitatum voluit esse communes. Sed hoc ipsum ignorare non debemus, multorum temporum & annorum habendam esse rationem, in quibus ista si præclara & honesta fuissent, homines minimè latuissent. Inuenta enim ferè sunt omnia, sed alia inducta non sunt, aliis non vtuntur ij qui norunt. Sed hoc perspici licebit maximè, si quis re ipsa eiusmodi Rempub. conditam videat. Neque enim ciuitatem fundare poterit, nisi partiatur & seiūgat alia in sodalitates, alia in curias & tribus, vt nihil aliud legibus cautum esse videatur, nisi ne custodes arent. Quod quidem etiam nunc Lacedæmonij facere conantur. Forma verò Reipub. quæ futura sit inter eos quorum omnia erunt communia, nec Socrates ipse tradidit, nec facilè tradi aut explicari potest. Nam cùm ciuitatis multitudo ferè ex aliorum atque aliorum ciuium multitudine constet, tamen de iis nihil expositum est vtrum aratorum inter ipsos res communes omnium esse debeant, an priuatæ singulorum, & liberíne ac mulieres communes, an propriæ atque priuatæ. Etenim si eadem ratione res omnes communes erunt omnium, quid inter hos & illos custodes intererit? aut quæ maior autoritas in iis erit, qui eis imperabunt, aut in iis qui

à doctrina ad imperij prouinciam sustinendam venient? nisi forté tale aliquid fingunt, quale Cretes: qui cùm cæterorum omnium seruis potestatem concedant, solùm gymnasia & armentaria vetant. Quòd si vt in aliis vrbibus, sic apud illos hæ res institutæ erunt, quæ tandem forma erit communitatis? Nam in vna ciuitate duæ sint necesse est, eæque inter se contrariæ: quippe cum alios faciat custodes, quasi præsidia: alios aratores, quosdam opifices, alió sq; ciues. Criminationes verò, & iudicia, cæteráque mala quæ in aliis ciuitatibus inesse ait, apud hos existent omnia. Quanquam confirmat Socrates, non multùm eos desideraturos leges propter educationem & institutionem, vt de rebus ciuilibus & forensibus, aliísque eiusdem generis, disciplinæ cura solis custodibus relicta. Iam verò possessiones omneis potestati custodum permittit, certa collata pẽsione. Atqui multò verisimilius est eos fore difficiles, sublaturósque animos, magis quàm ij serui qui apud nonnullos hilotiæ, penestiæ ac seruitia dicuntur, solent. Sedenim an æquè hæc necessaria sint, nécne, nunc quidem nihil explicatum est, nec quæ deinceps consequuntur, quæ eorum res publica sit, quæ disciplina, quæ leges: cùm nec inuentu facile sit, nec paulùm intersit ad tuendam custodum communionem, quibus moribus aliqui sint præditi Quòd si mulieres facit communes, priuatas autem res, quis rem familiarem administrabit? vt viri earum, res quæ in agris nascuntur curant, etiamsi communes res sint, & aratorum mulieres. Absurdum etiam est eadem mulieres, quæ viros, studia decere, belluarũ similitudinib. docere, ad quas rei familiaris cura nihil pertinet. Atque etiã de magistratibus

periculorum plena eſt Socratis inſtitutio. Vult enim eos eſſe perpetuos, quod ſeditionis in Repub. ſeminarium eſt, etiã apud eos qui abiecto demiſſóque animo ſunt: quãtò magis apud eos qui magno animo ſunt præditi, & ad bellum nati? Ei autem faciendos eſſe perpetuos magiſtratus neceſſariò, hinc perſpici licet, quòd non aliàs aliis animis diuinum aurum miſcetur: ſed ſemper eiſdem, cùm ipſe cõfirmet in aliis ſimulatque orti ſint, aurum, in aliis argẽtum miſceri, æs autem & ferrum in iis qui opifices & aratores ſint futuri. Iam adempta beata vita cuſtodibus, legiſlatori faciundum eſſe ait, vt beata ſit ciuitas. Atqui fieri non poteſt vt tota ſit beata, niſi multæ eius partes, vel omnes, vel certè aliquæ beatæ vitæ ſint compotes: cum præſertim non ſit eorundem vita beata, quorum eſt par numerus, qui quidem in toto eſſe poteſt, & in neutra parte: quod de beata vita dici non poteſt. Quòd ſi cuſtodes non ſint beati, qui alij erunt? non enim quidem certè opifices, aut ſordidarum artium multitudo. Ac Reſpublica quidem, de qua dixit Socrates, hæc incommoda & mala, aliáque non leuiora inuehit.

Cap. 4. Similis eſt ferè legum ratio, quas ſcripſit poſtea. itaque de Repub. quæ illic conſtituitur, pauca dici eſt melius. Nã in libris de Repub. breuiter expoſuit Socrates, quæ ratio & forma communium liberorum, & vxorum, & poſſeſſionum, & Reipub. ordinis eſſe debeat. Cùm enim in duas partes multitudo eorum qui eandem ciuitatem incolunt, tributa ſit, in aratores, & in eos qui bellicis officiis ſtudeãt: tertia autem ex his, ſit eorum qui conſilio iuuant, & poteſtate ciuitatẽ tenent: aratores quidem & opifices nullúmne magiſtratum gerant, an aliquem, & vtrum arma ferre

& bellum gerere nécne debeāt, nihil statuit Socrates. Mulieres autem & bellum gerere vult, & iisdem artibus quibus custodes erudiri. reliquam disputationem aliis nihil ad rē pertinentibus refersit, & qualis custodum institutio esse debeat. Quod autē ad leges attinet, maxima ex parte leges sunt, quibus pauca de Republica dixit: quā dum vult maximè patere ciuitatibus, paulatim rursus ad alterā Remp. deducitur. Excepta enim mulierum possessionúmque communitate, cætera eadem vtrique Reipub. concedit. Nam & disciplinā eandem concedit, & iis qui necessariis muneribus fungi non possunt, victum. Eodémque modo de sodalitatibus statuit, nisi quòd in hac sodalitates mulierum esse ait oportere, & illam mille arma ferētium, hanc quinque millium. Ac omnes quidem Socratici sermones ferè minus necessariis rebus referti sunt, iísque & ornatum, & res nouas, quǽque disputatione egeant cōsectantur. præclari autem omnes certè esse non possunt. Nam quod attinet ad hanc multitudinem quam commemoraui, hoc intelligendum est, eis qui tot sint, Babyloniæ, vel alicuius alterius vrbis, cuius innumerabiles sint incolæ, regione fore opus, ex qua quinque millia inertium hominum alenda erunt, aliáque numerosior turba mulierū atque seruorum. Proponere quidem ad tractandum quam quisque materiam velit, licet: sed tamen nihil quod fieri non potest, proponēdum est. Aiunt autem legislatorem in ferendis legibus duarum rerum habere oportere rationem, regionis atque hominum. Præterea illud etiā rectè addi potest, finitimorū locorū rationem ducendam esse, vt ciuitas vitam quæ se digna sit possit degere. Neque enim solùm ei necessarius est vsus eo-

rum armorũ quæ ad regionem & agrum ipsius defendendum apta erũt, sed ad alia etiam loca vel tuẽda, vel etiam inuadenda. Quòd si quis nõ hoc vitæ genus probet, in ciuitate neq; priuatim, neque publicè, tamen hostibus ciues nõ solùm cùm intra fines veniunt, sed etiã cùm inde excedũt, terrorẽ afferre debent. Atque etiam videndum est, ne fortè satius sit multitudinem possessionum alio modo, eóque planiore describere. Tantam enim esse ait oportere, vt tẽperatè viuatur: quod tantùm valet, vt si quis dicat, vt benè viuatur, quod latius patet. Iam verò fieri potest, vt tẽperatè quidem viuatur, sed miseré. Atqui descriptio & modus melior sit, si ad temperatè liberalitérque viuendum referatur. Si enim vtrunque seiunctum sit, alterum luxum, alterum difficultatem laborémque consequetur: quandoquidẽ hæ affectiones, virtutes sunt, quæ in facultatum atque diuitiarum vsu solæ versantur. veluti facultatibus clementer aut fortiter vti non licet, moderatè & liberaliter licet. vt necesse sit hos vsus in eis ipsis consistere. Illud etiam absurdum est, eũ qui possessiones æquas & pares faciat, multitudini ciuiũ non consulere, procreationémque liberorum incertam dimittere: quasi verò propter liberorum orbitates quot sint cunque, eidem multitudini satis sit æquanda, propterea quòd nunc etiam ciuitatibus hoc ipsum vsuuenire videatur. Atqui nõ tam subtilis tum ratio ciuitatũ, quàm nunc, esse debuit. Nunc enim quoniam opes, & facultates inter se diuidit multitudo, quantacunque sit, nemini quicquam deest: tum verò, cùm nulla fieret bonorum partitio, necesse erat aratores, siue minor siue maior eorum numerus esset, nihil obtinere. Quin etiam modus procreãdorum

liberorum potius quàm bonorum statuendus erat hoc fine, vt certum quendam numerum procreandis liberis non excederent: quem numerum qui constitueret, is & euentus rerum spectaret, si fortè ex iis qui nati essent, excederent è vita: & aliorum orbitates. Quę res si vt in plurimis vrbibus prætermittatur, necessariò egestatem ciuibus afferet, ex egestate seditiones fraudésque nascentur. Phidon quidem Corinthius legislator vetustissimus, ciuibus parẽ domorũ numerum permanere putabat oportere, cum antea impares multitudine sortes habuissent. In his autem legibus contrà est. Sed quis sit horum optimus status, mox disserendũ erit. In his etiam legibus ea prætermissa sunt omnia, quę ad magistratus pertinẽt, quẽadmodum iis præstabunt qui in eorũ erunt imperio. Ait enim oportere, quẽadmodum stamẽ ex alia lana quàm ex liciis texitur, sic eandem cum iis qui parent eos qui imperãt habere rationem. Porrò cùm facultates augeri sinat vsque ad quincuplũ, cur hoc in solo ad certum terminũ fieri non potest? Atque etiã videndum est, ne fortè ædificiorum diuisio ad rem familiarẽ conferat. Binas enim ædes cùm separatim diuisisset, cuique attribuit, cùm difficile sit duas domos habitare. Tota autẽ descriptio neq; populari, neque optimati genere cõtinetur, sed medio quodã statu, quã politiã nominãt, quod ex iis cõstat qui arma ferũt. Ac si hãc cõstituit ciuitatibus vt latissimè patẽtẽ & ad plurima pertinentẽ, fortassis præclarè dixit: sin vt optimã post primã Rempub. non præclarè. Sunt enim fortasse, qui Laconũ Rempub. anteponant: aut etiam aliam, quæ magis sit in potestate optimorũ. Ac nõnulli quidem sunt in ea sententia vt dicant, optimũ ciuitatis statum ex omnibus

Rebuspub. confusum esse oportere. Itaq; laudant Rempub. Lacedæmoniorum. constare enim eam alij ex paucorum, vnius, populíque potestate confirmant: dicuntque regnum vnius imperio, senum imperium paucorum potestate contineri: in Ephororum autem magistratu, quòd de populo creentur, populi potestatem intelligi. Alij autem in Ephoris tyrannidem spectari volunt: in sodalitatibus vitáq; quotidiana, populi potestatem. At verò in his legibus Socratis sententia est, eam Rempub. quæ sit omnium optima, ex populi & tyranni imperio constare oportere, quæ imperia vel omnino in numero Rerumpublicarum non sunt reponenda, vel certè in numero deterrimarum. Verior est ergo eorum qui plures miscent, oratio & sententia. Quò enim quæque Respub. ex pluribus confusa est, eò melior est. Deinde nihil in ea inesse videtur, quod eius imperij cui vnus præest, sit proprium: omniáque potius à paucorum & populi potestate mutuata est: ita tamen, vt ad id imperiū potius cui pauci præfecti sunt, deflectere videatur. Quod ex ratione mandandorū magistratuum perspici licet. Nā ex delectis sortitionem fieri, commune vtrique est: locupletiores autem cogi venire ad comitia, mādare magistratus, cæteráq; munia & officia publica obire, cæteros verò præteriri, eius imperij est cui pauci præsunt: itémque id conari, vt plures ex locupletibus magistratus obtineant, & maximo censu. Senatorum etiam cooptationem facit ad idem paucorum imperium pertinere. Cooptari omnes illos quidē necesse est: sed ex prima classe, deinde totidem ex secūda, tum ex tertia: nisi quòd non omnes necesse est, qui sunt ex tertia & quarta. Ex quarta autem classe ij soli necessariò

cooptandi sunt, qui sunt primæ & secundæ. Deinde ex his parem numerum à quoque censu declarari censet oportere. Ita futuri sunt plures ex maximo censu, iíque meliores ob eam causam, quia non sint cooptati necessarió. Hanc quidem Rempub. non ex eo imperio quod est in paucorum & vnius potestate constare oportere, ex iis intelligetur, quæ dicentur tum cùm de hac ipsa Repub. erit disputandi locus. Illa etiam ratio deligendorum magistratuum, qua ex delectis delectus habetur, periculosa est. Nam si qui etiam pauci coire velint, semper mandabuntur eorum arbitratu magistratus. Atque eorum quidem quæ ad Rempub. pertinent eam quæ in legibus Platonis constituitur, hæc ferè ratio est.

Sunt etiam aliæ Respub. partim priuatorum, partim philosophorum, eorúmque qui in Reipub. luce versantur. quæ ad harum vtramque similitudine non propius accedunt, quàm eæ ipsæ quæ constitutæ sunt, & ad quas vitæ ciuilis rationem omnes hoc tempore dirigunt. Nemo est enim alius qui nouam hanc liberorum vxorúmque communitatem, & mulierum sodalitates instituerit: potiúsque ab iis quæ necessaria sunt, capiunt omnes exordium. Quibusdam enim in eo maxima vis posita videtur, si rectè cōstituantur fines & quasi termini facultatum, quòd dicant de iis omnes seditiones inter ciues oriri solere. Itaque Phaleas Carthaginensis hoc primus induxit. Ad bonorum enim possessionúmque æquationem illius omnis pertinet oratio & sententia: quod ille facile factu putabat, cùm primùm ciuitates condebantur, conditis iam illis non item: sed tamen ad æquationem ita celerrimè reuocari posse, si Cap. 5.

locupletes dotes darent, nec acciperent: pauperes contrà acciperent, nec darẽt. Plato autem leges ſcribens, certum quendam modum in iis concedendum cenſuit, cùm interim vetuit, vt ſuprà dixi, ne cui ſupra quincuplum poſſeſſionum minutiſsimarum liceret tenere. Sed quod nũc ignoratur, id intelligere debẽt ij qui tales leges ferant, eis qui multitudinẽ facultatum conſtituunt, liberorum etiam cõſtituendã eſſe multitudinem. Etenim ſi bonorum minores ſint copiæ quàm liberorum numerus, profectò lex tollenda erit neceſſariò: quòd ſi nõ tollatur, pernicioſa erit, ꝙ multi ex diuitibus fient pauperes, cuiuſmodi ferè homines nouis rebus ſtudere ſolent. Vim quidem non paruam in bonorum æquatione ineſſe ad ciuilem ſocietatem, nõnulli etiã veteres intellexiſſe vidẽtur, vt Solon ſanxit: & apud alios lex eſt, quæ vetat, ne agri tantũ quantũ quiſque concupierit, teneat. Itémque leges vetãt, ne bona vendãtur. Quẽadmodũ Locris lex eſt, qua cauetur ne vendãtur, niſi calamitas inſignis accidiſſe oſtẽdatur: & præterea vt hæreditates veteres retineantur. quod quidẽ ius abrogatũ & irritũ, etiã Leucade, ſtatũ eorũ ciuitatis in populi imperium cõmutauit. Ex eo enim factũ eſt, vt iam non à cenſu ſtato & certo magiſtratus adipiſcerẽtur. facultatũ autem bonorúmque æquatio eſſe poteſt, ſed quæ aut nimiũ magna ſit, vt lautè: aut anguſta nimis, vt tenuiter viuatur. Ex quo perſpicuum eſt, nõ ſatis eſſe, bona ad æqualitatem ab eo qui leges ſcribit reuocari, niſi modus exquiratur. quem ſi quis adhibeat atque præſcribat omnibus, nihil tamen proficiet: cùm præſertim cupiditatum potius quàm facultatum ſit retinenda æquabilitas, quam nemo qui non legibus inſtitutus ſit, aſ-

ſequetur. Sed Phaleas dicet fortaſſe, hoc à ſe cautum eſſe: quippe qui cenſeat duarum rerum æquabilitatem in ciuitatibus vigere debere, facultatum, & inſtitutionis. Sed quæ ſit futura inſtitutio & diſciplina, explicandum fuit. Nam vnam eſſe & eandem, nihil adiuuat: cum præſertim fieri poſſit, vt eadem & vna ſit: ſed eiuſmodi, qua homines erunt ad augendas pecunias, vel honores, vel vtrumque propenſiores. Iam ciues non ſolùm quia impares ſunt facultates, ſed etiam quia honores, inter ſe diſsident. Contráque fit in vtroque, quoniam plerique in ſeditione ſunt propter bonorum inæqualitatem, magni viri, ſi ſint pares honores. Ex quo illud, Inhiat honoribus tam malus quàm bonus. Non ſolùm autem homines ad iniuriam faciendam aggrediuntur, vt res quæ deſunt ſuppeditent: quarum ille remedium bonorum æquationem exiſtimat, vt ne furentur frigore vel fame coacti, verùm etiam vt capiant oblectationem, neque concupiſcant. Itaque cùm rerum neceſſariarum maiore quadam cupiditate tenentur, tum vt ei cupiditati medeantur, adducuntur, vt eos iuſtitiæ capiat obliuio. Ita fit, vt non huius cauſa ſolùm, verum etiam ad perfruendas voluptates concupiſcant. Quod ergo his tribus remedium reperietur? Nonnullis res familiaris parua & induſtria, aliis temperantia. Tertium, ſi qui velint oblectari per ſe, non poſſunt niſi è philoſophia remedium quærere. Nam cæteræ artes homines deſiderant, quandoquidē ad ſummas iniurias faciendas aggrediuntur nonnulli, vt omnium rerum nimias copias ſuppeditent, non vt res ad viuendum neceſſarias comparent. veluti tyrannidem exercent, non vt ne frigore obrigeſcant. Itaque magnus honos propoſitus

est, si quis non furem, sed tyrannum interfecerit. Ita ad leues solũ iniurias propulsandas ratio Reipu. Phaleæ valet. Præterea multa ille instituit, quibus fiet, vt præclaré ciues inter se in ciuili societate se gerant. Atqui debent etiam præclarè se gerere & aduersus finitimos, & aduersus exteros. Respu. ergo sit oportet munita & instructa contra vim hostium, de qua nihil ille sanxit. Itemq; possessionũ diuitiarúmque copiis abundare debet. Neque enim ad ciuilis societatis solũ vsus suppeditare debent, sed ad propulsanda etiam pericula, quæ ab externis impendére possunt. Quocirca nõ tam copiæ suppetere debẽt, vt eas finitimi, iique superiores adipisci concupiscant: qui autem iis prediti sint, non possint eos qui infesti veniãt propellere. neque verò tã paruæ, vt eæ nõ satis sint, ad eorũ qui pares sint viribus bellũ perferendum. Ac ille quidem nihil de his constituit. Intelligendũ est autem, magnas diuitiarũ copias esse vtiles. Atque is quidẽ modus & finis optimus fortasse cõstituetur, vt iis qui superiores sunt, nõ sit bellum vtile propter earum nimiam affluentiam, sed ita vt si non sint tãtis opibus præditi. Vt Eubulus, cum esset Autophradates Atarnen oppugnaturus, eũ quanto tẽpore oppidum capere posset, cõsiderare, & eius temporis snmptuum rationem habere iussit. Se enim velle etiã minore sumptu captã Atarnen iã relinquere. Quæ cùm dixisset, & Autophradaten in candẽ sententiam traxit, & vt obsidione oppidũ solueret, impulit. Aequatio ergo bonorum inter ciues, aliquid illa quidẽ valet ad tollendas eiiciendásque è ciuitate seditiones, sed non multúm. Sũmi enim viri id molestè ferent, vt qui non æquis & paribus copiis præditi esse debeant. Itaque sæpe

existunt factiosi & seditiosi. Iam verò insatiabilis est hominum improbitas, quibus primùm satis sunt duo oboli: cùm autem eos consecuti sunt, tum semper plus expetunt, dum infinitas opes congesserint. Nunquam enim expletur, nunquam satiatur cupiditatis sitis: quã tamen vt expleãt, plerique viuunt. Quibus rebus remedio est, non opum & bonorum æquatio, sed potius disciplina, qua ij quos natura insigni quadam probitate ornauit, ita præcolentur & præparabuntur, vt & ipsi augere in immensum opes nolint, & improbi nõ possint. Quod fiet, si inferiores sint, neque violentur. Neque verò opum & bonorum æqualitatem rectè definiuit: quippe cùm agros tantummodo pares faciat, & serui, pecudes, pecuniæ, magnúsque supellectilis apparatus in diuitiis possessionibúsque numerentur. Aut igitur horum omnium æquatio quęrenda fuit, aut moderatio quædam, aut certè prætermitti omnia debuerunt. Idem ciuitatem paruam facere videtur suis legibus, si modò artifices omnes publicè præbeantur, neque ciuitatem aliqua ex parte augeant. Atqui si publici habendi sunt ij, qui publica opera & munia obeant, ad eam formam quę est Epidamni, & eam quam aliquando Diophantus Athenis præscripsit, dirigi debent. Ac ex his quidem quæ de Phaleæ Repub. diximus, facilè perspici potest quid rectè ille, quid contrà sanxerit.

Hippodamus autem Milesius fuit, Euryphontis filius: qui & ciuitatum diuisionem inuenit, & Piræum incidit, cùm esset reliqua etiam vita lautior, propter gloriæ cupiditatem, vt nonnullis nimia videretur in vita diligentia & accuratione, cùm capillorum prolixitate, tum cultus Cap. 6.

splendore, vestitu præterea & cultu corporis tenui illo quidem, sed calido, nec hyeme solùm, sed etiam in summis caloribus. Is cùm rerum omnium causas & naturas studiose exquireret, primus eorum qui ad Rempublicam non accesserunt, aliquid de optimo ciuitatis statu instituit dicere. Constituit autem ciuitati decem virorum millia, eámque in partes tres distribuit, in opifices, in agricolas, in eos qui bellarent, & qui arma ferrent. Agrum etiam tres in partes diuisit, in sacrum, in publicum, & in priuatum: sacrum eum, vnde sacra diis fierent: publicum eum, qui bellantibus victum suppeditaret: priuatum, agricolarũ. Idem tria tantummodo legum genera esse voluit. Nam de quibus iudicia fierent, ea tria esse numero, contumeliam, damnum, mortem. Lege etiam forum instituit, in quo summa erat autoritas, ad quod causæ reiiciendæ essent, de quibus minus præclarè iudicia facta viderentur: idque ex senibus qui delecti essent, confecit. Iudiciáque censuit in foro facienda, non suffragij voce: sed vnumquenque tabellam deferre voluit, in qua scriberet sententiam, si omninò & planè iudicio condemnaret: sin omninò absolueret, inanem & vacuam relinqueret. Quòd si partim condemnaret, partim absolueret, id exponeret. Neque enim hac ex parte hodie quicquam rectè cautum esse putabat, quòd ij qui hoc vel illud iudicarent, peierare cogerentur. Tulit etiam legem de iis qui aliquid quod è Republica esset inuenissẽt, vt gloriam adipiscerẽtur: filiósque eorum qui in bello morte occubuissent, publicè alendos censuit: quasi nondum id apud alios lege cautum esset: cùm & Athenis hæc lex etiam hoc tempore sit, & in aliis vrbibus. Magistratus

autem omnes à populo mandari voluit: populúmque ipsum tribus ciuitatis partibus contineri. Qui verò creati essent magistratus, eos Rempublicam curare voluit, résque peregrinorum & pupillorum. Atque hęc sunt ferè omnia, & maximè commemorabilia, quæ Hippodamus suis legibus complexus est. Diuisio autem multitudinis ciuiũ primùm dubitationem afferre potest. Nam cum opifices, aratores, & equester ordo omnes sint ciuitatis socij: aratorésque non ferant arma, & opifices neque agros habeant, neque arma: efficitur, vt ferè in seruis eorum qui arma ferũt, habeantur. Venire quidem in societatem omnium honorum non possunt, quippe cùm necesse sit ex iis qui arma ferant & imperatores deligere, & eos qui ciues tueantur, & summos magistratus. Sed tamẽ quo tandem modo Respub. chara esse posit iis, ad quos Respub. non pertinet? Atqui superiores reliquis duabus partibus esse debent ij qui arma ferunt, cuiusmodi non facilè esse possunt ij qui pauci sint. Quod si fiet, quid attinet cæteros Rempublicam tenere, & eorum ius potestatémque esse, mandare magistratus? Præterea agricolæ cui vsui erunt ciuitati? opificibus enim opus est, sine quorum opera & diligentia esse ciuitas non potest: atque ex arte, quemadmodum fit in quibusdam vrbibus, fructum capere possunt. Aratores autem si iis qui arma ferunt, res quę ad vitam degẽdam pertinẽt, pararent & suppeditarent, rectè illi quidem in aliqua ciuitatis parte numerarẽtur. Nunc verò priuatas possessiones tenent, eásq; priuatim sibi colũt. Iam verò si commune solũ, ex quo ij qui in bellicis officiis versantur, victum sibi parabunt, ipsi arabũt: non erit aliud genus equitũ, aliud agrico-

larum: quod vult legiſlator. Sin alij aliqui ſint qui priuatos agros colent, & equitum, certè quarta quædam pars erit ciuitatis, quæ cum nulla conſpiret atque conſentiat. Quòd ſi quis eoſdem ponat, qui & priuatos agros & communes arent, primùm copia fructuum deerit quos quiſque ſeret duabus familiis. Deinde quid cauſæ eſt, quamobrem non ſtatim ex iis agris, qui ad eos ſorte obuenerint, & ſibi ſumant, & militibus præbeant res ad viuendum neceſſarias? Quæ certè omnia magnam in Rempublicam inducēt confuſionem. Neque verò lex de iudiciis rectè lata eſt, quę vult in iudiciis adhiberi diſtinctionem ſi omninò fiant, atque arbitrum fieri ex iudice. hoc in arbitrio & permultis aliis fieri poteſt. Conferunt enim arbitri inter ſe capita rei de qua controuerſia eſt. At in iudicio non poteſt. quinetiam plerique eorum qui leges ſcribunt, cauent, ne iudices inter ſe verba faciant. Deinde quid eſt quamobrem iudicium non confuſe & perturbatè fiat, cùm iudex debere iudicabit, non tantùm autem quantum petitor contendet? vt ſi, exempli cauſa, hic viginti minas deberi confirmabit, iudex autem decem tantùm iudicabit: aut hic plus, ille minus, alius quinque, alius quatuor: atq; hac ratione partientur, vt alij omnia debere, alij nihil iudicent, quis tandē erit modus diſcernendarum ſententiarum? præterea peierare nemo cogit eum qui abſoluat aut condemnet omninò, ſi crimen omninò & ſine fraude in ius vocatum ſit. nec iniuria: non enim is qui abſoluit, nihil deberi, ſed viginti minas iudicat: ſed is demùm peierat, qui cùm non putet viginti minas deberi, tamen condēnat. De iis autē qui aliquid inuenerint quod Reip. cōferat, vt honores conſequantur, id lege

cauere non abest à periculo. Idq́ue solùm benignè audiendum est. Nam & calumniæ patet, & ad Rempub. perturbandam, si ita res ferat, valet. Sed in aliam quæstionem & disputationem hoc totum cadit. Vtrum enim tollere & abrogare patrias leges, siqua sit alia melior, perniciosum sit, an salutare ciuitatibus, quæstio est. Itaque non est facile assentire, cùm asseretur. siquidem non est vtilis mutatio. Quanquam fieri potest, vt aliqui legum abrogationem, & Reipub. euersionem tanquam publicè prosit, inducant in ciuitatem. Sed quoniam eius mentionem fecimus, pauca preterea disseri est melius, cùm præsertim de eo, vt dixi, inter nonnullos sit dissensio. Ac mutari tollíque eas melius esse videri pòtest, quippe cùm in aliis etiam artibus vtile videatur. Veluti medicina contra patrios mores & leges mutatur atque variatur: & gymnastice, omninóque artes omnes atque facultates. quarum cùm vna ciuilis scientia ponatur, certè eodem modo de ea iudicemus necesse est. Idq́ue re ipsa ex eo perspectum est, quòd veteres leges nimis stultæ & barbaricæ fuerunt. Nam & ferro armati incedebant Græci, & vxores inter se emebant. omnésque reliquæ leges veterum certè inchoatæ & rudes erãt omninò. vt Cumis de cæde lex est, Si actor multos testes ex suis agnatis produxerit, cęde cũ qui accusatus sit, teneri. Omnes autem non patrios mores, sed ea quæ bona sunt, sequuntur: verisimiléque est primos illos homines, siue terrigenæ fuerint, siue ex aliquo interitu seruati, æquè fuisse & vulgares & imprudentes. ac fama obtinuit de terræ filiis, vt si eorum iudiciis stare absurdum esse videatur. Præterea ne scriptas quidem leges præstat immobiles immutabilesque

seruare. vt enim in cæteris artibus, sic in ciuili ratione accuratè ac limatè scribi omnia nō possunt. Cùm enim omninò & generatim scribendum sit necessariò, actionésq; ipsæ in rebus singulis versentur, illud certè perspicuum est, leges aliquas interdum esse mutandas. Qui autē aliter rem spectabunt, iis timidè & pedetentim ad id veniendū esse videbitur. Nam cùm sit illud ipsum melius quod quæritur, perexiguum: consuetudo autem cupidè abrogandarum legum, perniciosa: profectò in iis qui leges rogāt, atq; in principibus quidam errores ferendi sunt. Neque enim tantum proderit is, qui irritam legem fecerit: quantum is qui morem parendi principibus sustulerit, nocebit. Falsúmque est exemplū sumptum ab artibus. aliud est enim artem, aliud legem tollere. Cùm enim lex vim nullam ad parendum nisi consuetudine capta habeat, quę nisi diuturnitate temporis non capitur: profectò facilis legum quæ extent, in alias nouas commutatio, naturæ legis infirmatio est. Deniq; si mutandæ sunt, hoc quæro, utrū omnes & in omni forma Reipublicæ, nécne, abrogandæ sint? Et vtrum cuiuis id liceat facere, an quibusdam? hoc enim magnopere refert. Quapropter hanc quæstionem quæ aliorum temporum est, missam hoc tempore faciamus.

Cap. 7. De Lacedæmoniorum autem Rep. & Cretum, ac ferè de cæteris omnibus, duo videnda sunt: vnum, sit nécne sit aliquid in eis rectè & aptè ad optimum ciuitatis statum sancitum legibus. alterum, an aliquid fundamento & formæ illius Reipub. quæ eis proposita est, repugnet. Illud quidem inter omnes constat, ei ciuitati quæ præclare administretur & regatur, res quæ ad victum cultúmq; pertinent,

suppetere oportere. Quemadmodũ autem suppetere oporteat, non ita facile factu est cognoscere. Nam & Thessalorũ Penestia, sæpe Thessalos, & Hilotes Lacedæmonios, quasi res aduersas semper obseruantes, oppresserunt. Cretibus autem nihil adhuc tale accidit, credo quòd finitimæ vrbes etsi inter se bellum gerunt, tamen nullum auxilium ferant eis qui deficiunt, quoniam nulli vsui esse eis potest, cùm habeant etiam finitimos. At Laconibus finitimi omnes hostes fuerunt, Argiui, Messenij, Arcades. A Thessalis enim initiò defecerunt, quòd tum etiam cum finitimis Achæis, Perrhæbis & Magnetibus bellũ gererent. Quòd si nihil aliud, at certè illa cura difficilis est, quemadmodum aduersus eos illi gerere se debeant. Nam & indulgentia lasciuiunt ac insolescunt, séque dominis æquandos iudicant, & in vita dura laborúmque plena insidias nectunt, & oderunt. Ex quo perspicuum est, eos non inuenire optimum ciuitatis statum, quibus hoc ex illa seruitute accidit. Iam verò mulierum licentia & Reipublicæ instituto detrimentum affert, & bonis legibus ciuitatis. Vt enim familiæ partes sunt vir & mulier, sic ferè existimandum est, ciuitatem bifariam esse diuisam, in virorum mulierúmque multitudinem. Ita in quibus Rebuspublicis ea quæ ad mulieres spectant officia vitiose descripta sunt, in eis mediæ ciuitatis parti legem nullam datam esse existimare debemus. quod quidem illic contigit. hoc enim cùm instituerct is qui leges Lacedæmoniis dedit, totam vrbem continenter viuere, id in viris præstitisse videtur: in mulieribus neglexit omninò, quippe cùm intemperatè viuant in omni luxu & libidine. Quocirca in eiusmodi

Repub. diuitiæ in honore ſint & precio neceſſe eſt, præſertim ſi muliebri imperio regantur. cuiuſmodi ſunt quædam genera hominum, qui ſunt ad rem militarem & bellicam apti, vltra Gallos: aut ſi qui ſunt alij, apud quos cõcubitus marium inter ſe perſpicuè probentur. Primus enim qui fabulas inuenit, Martem cum Venere copulauit: nec iniuria. Aut enim ad concubitus marium, aut ad muliebre imperium, procliues ſunt hi tales. Itaque id ſit apud Spartas, in quorum imperio multa à mulieribus adminiſtrantur. Quanquã quid intereſt, vtrum mulieres præſint, an ij qui præſunt, mulieribus pareant? cùm idem conſequatur. Cúmque audacia nulli rei vulgari ſit vſui, nec niſi bello proſit, Laconicæ mulieres etiam in hoc plurimùm obfuerunt: id quod in Thebanorum incurſione declararunt. Quod enim fit in pleriſque oppidis, vt mulierum nullus ſit vſus, id fecerunt: maioréque tumultu & turba quàm hoſtes, omnia impleuerunt. Ac initio quidem iure quodam matronis Spartarum hæc conceſſa licentia eſt. Diu enim propter expeditiones domo abfuerunt, tum cùm bellum cum Argiuis, & rurſus cum Arcadibus, Meſſeniíſque geſſerunt. Cùm autem in ocio eſſent, ſe ipſi legiſlatori præbuerunt illi quidem, quaſi præcultos & præparatos militari vita, quæ multas virtutis partes continet: mulieres autẽ dicitur Lycurgus ad leges traducere noluiſſe, ſed cùm repugnarent, rurſus deſtitiſſe. Cauſæ ergo euẽtorum hæ ſunt, quas etiam huius peccati & erroris eſſe conſtat. Sed nos non hoc ſpectamus, cui venia tribui aut non tribui debeat, verùm quę recta & optima ſit ciuitas. Quæ autem de mulieribus vitioſe & perperam ſancita ſunt, non ſolùm vidẽtur, quem-

admodum suprà dictum est, dedecus & maculam per se Reipublicæ infligere, verumetiam pecuniæ cupiditatem inuehunt. Deinceps ea culpari possunt, quæ ad inæqualitatem possessionū pertinēt. Hinc enim factum est, vt cùm nonnulli nimias opes haberent, alij perexiguas, ad paucos tota regio veniret. quod legibus improbè præscriptum est. Nam cùm emere & vendere agros quicunq; suppeterēt, sanxerit non licere, ídque præclarè, tamen dandi & relinquendi iis qui vellent potestatem dedit: cùm id necesse sit hoc vel illo modo euenire. Sunt etiam ferè mulierum duæ partes ex quinque in quas totus ager diuisus est, & quòd multæ orbæ sunt, & quòd magnæ dotes dantur. Atqui melius fuit nullam, aut exiguā, aut certè mediocrem sanciri. Nunc orbam puellam dare licet nuptum, cui videtur. qui si obierit mortē nullo instituto hærede, illa cuilibet legat. Itaque regio quæ potest álere suis fructibus mille equites & quingentos, & peditum triginta millia, ne mille quidem numero alit. Res autem declarauit, non præclarè ab eis hanc constitutam esse rationem. Neque enim plagam vnam pertulit ciuitas, sed paucitate ciuium funditus interiit. Quanquam fama est, eos superioribus regibus donasse aliquos ciuitate: ex quo factum sit, vt vrbs tum cùm bellum multos annos gereret, frequētaretur. Atque aiunt aliquando Spartiatis decem millia fuisse. Sed tamen siue ita est, siue secus, præstat exæquatis possessionibus vrbem virorum multitudine celebrari. Lex etiam de procreandis liberis huic rationi contraria est. Cùm enim cuperet is qui leges Spartis dedit, quamplurimos Spartas esse ciues, adhortatus est, vt quàm maximum liberorum numerum pro-

crearent. Est enim apud eos lex, eum qui tres filios suscepisset, præsidij, & stationis: qui quatuor, omnium munerum vacationem habere. Atqui perspicuum est, si multi sint, & ager ita diuisus sit, multos pauperes futuros necessarió. Quinetiam Ephororum ratio vitiose constat. Nam cùm huic magistratui rerum maximarum permissa sit potestas, iíque qui ei præsunt è populo omnes sint, sæpe eueniet, vt magistratum adipiscantur homines admodum egentes, qui inopia coacti venalia omnia habebunt. Quod cùm sæpe anteà declararunt, tum hoc tempore in Andriis. quorum quidam pecunia corrupti, quantum in ipsis fuit, totam ciuitatem funditus euerterunt. Et quia hic magistratus plus potest quàm satis sit, estque par tyrannidi, ij populares esse etiam reges coëgerunt, vt hac etiam parte Respub. detrimentum caperet. Populare enim ciuitatis genus ex Repub. natum est. ea quæ est in optimorum potestate. Ac Rempub. quidem hic magistratus continet, quoniam quietus est populus, quòd ei ad summum magistratum aditus pateat. Itaque siue eius qui leges scripsit prouidentia, siue fortuitò & casu id accidit, certè Reipub. conducit, cum præsertim siqua Respub. in suo statu salua semper futura est, ea & stare partes omnes ciuitatis & permanere velle debeat. Ac reges quidem vt eo sint animo, facit regia dignitas: vt clari & boni viri, senatorius ordo, quoniam hic magistratus virtutis est merces: vt populus, Ephoratus, ad quem aditus patet omnibus. Sed hic magistratus suffragiis mandari debuit omnibus, non ea ratione qua hodie mandatur. est enim nimiùm puerilis. Et quoniam iudicia eis qui sunt vulgò, permissa sunt de rebus magnis, ob eam cau-

ſam eos non ſuo arbitratu iudicare melius fuit, ſed ex ſcriptis legibus. Genus etiam viuendi quod ſequuntur Ephori, inſtituto ciuitatis minimè congruit. Nam cùm ſit diſſolutius, cæteríſque in rebus ſeuerius & durius, fit vt non poßit ferri, ſed clàm à lege diſcedētes voluptatibus corporis perfrunntur. Ne ſenatorius quidem ordo apud eos rectè conſtitutus eſt. quanquam enim hoc dici poteſt, Reipublicæ rationibus conducere, ſenatores eſſe qui æquitatis laude valeant, educatíque ſint & inſtituti probis moribus: tamen in eorum poteſtate eſſe per omne tempus ætatis rerum grauißimarum iudicia, de hoc diſſenſio eſt. Eſt enim vt corporis, ſic animi ſenectus. Cùm autem ea ratione inſtituti ſint, vt etiam is qui leges tulit, eis vt non bonis viris diffidat, id minimè tutum eſt. Atqui multis in rebus Rempublicam & ſordidè & ambitioſe adminiſtrare, videre licet eos, quibus ad hunc ordinem pātēt aditus. Quocirca melius eſſet eos rationes referre. Nunc autem non referunt. Ephororum autem poteſtas rationem poſcit geſti magiſtratus ab omnibus, quod Ephoratus nimis magnum donum habet. Nos autem non iſto modo confirmamus rationes referri oportere. Iam & cooptatio ſenatorum iudicio ipſo puerilis eſt: & eum magiſtratum petere qui dignus ſit, non rectum eſt. Debet enim & voluntate ſua, & inuitus venire ad imperium is qui dignus eſt magiſtratu. Nunc verò quod in reliqua Reipublicæ deſcriptione, hoc etiam loco legiſlator facit, vt quos ciues cupiditate gloriæ & ambitu imbuit, iiſdem in cooptandis ſenatoribus vtatur. Nemo enim magiſtratum petit, qui non gloria ambitionéque ducatur.

Et certè ad ſcelera maláq; omnia quæ volũtate ſuſcipiuntur, ferè vel ambitione homines, vel pecuniæ cupiditate impelli ſolẽt. De regia autem poteſtate, ſit'ne melius ea ciuitates regi, nécne, alia diſputatio eſt. Melius quidem certè eſſet, non eo more quo paßim hodie vtuntur, ſed reges ex ſua quenque vita iudicari. Eum autem qui leges ſcripſit, deſperare ſe poſſe reges ad virtutem & bonitatem deducere, argumento illud eſt, quòd eis vt non ſatis bonis diffidit. Quocirca legatos hoſtes vnà miſit, atq; in regum diſcordia ſalutem Reipub. eſſe exiſtimauit. Neque verò ſodalitates, quæ phiditia dicuntur, præclarè ſancitæ ſunt legibus. Decuit enim publicè potius, vt in Creta, omnia ſuppeditari, conuentúmque fieri. Apud Lacedæmonios autem ſuum quiſque conferre debet, etſi nonnulli ſunt valde tenues, qui hos ſumptus ſuſtinere non poßint. ex quo fit, vt nonnihil accidat contra eius qui leges ſcripſit voluntatem & ſententiam. Vult enim hoc de ſodalitatibus inſtitutum eſſe populare, cùm hoc pacto ſancitũ, quiduis potius quàm populare videatur. Neque enim admodum pauperibus aditus patêre vllo modo poteſt, cum interea hi fines & termini Reipub. apud eos patrij cõſtituti ſint, vt qui hoc munus ferre nequeat, nulla cum eis ſocietate & communione iungatur. Legem autem quæ de nauarchis lata eſt, & alij nonnulli improbarunt, & rectè improbant. Seditiones enim inducit in ciuitatem. Nam cùm reges imperatores ſint, perpetua claßis præfectura ferè alterum regni locum tenet in ciuitate. Atque id quod legiſlator ſibi proponit, in eam reprehenſionem incurrere poteſt, quam perſecutus eſt Plato in libro de Legibus. Nam ad bellicam

virtutem, quæ pars virtutis est, queque ad vincendum valet, omnis legum descriptio dirigitur. Itaque qui bello salutem adepti sunt, in imperio conciderũt: propterea quòd pace & ocio uti nesciãt, neque vllam artem aliam bellica meliorem excoluerãt. Hoc autem peccato illud non est leuius, quòd ea bona de quibus digladiari homines solent, virtute magis procedere quàm vitio existimabant: atque id quidem præclaré. Quòd autem hæc ipsa virtuti anteponenda ducebant, non præclaré. Pecuniarum etiam publicarum ratio apud Spartiatas non rectè collata est. Neque enim in ærario quicquam est, vt cùm grauia bella gerere coguntur, ægrè pecunias conferãt. Nam quoniam plurimum agri tenent, non exquirunt inter se quæ conferre debeant: ex quo legislatori vsu venit, vt qua re vtilitati consuluisse videbatur, ex ea maximum detrimentum Respublica ceperit. Nam & ciuitatem pecuniis exhausit, & priuatos homines ad pecuniæ cupiditatem impulit. De Lacedæmoniorũ Republica hactenus dictum sit. Hæc enim sunt reprehensione dignissima.

Huic est finitima Cretensis, in qua pauca insunt nõ deteriora, minus splendida permulta. Nam Cretum Respub. Lacedæmoniorum maxima ex parte imitata esse & videtur & dicitur. Et multæ res veteres minus perfectæ atque absolutæ quàm nouæ videntur. Dicitur enim Lycurgus cùm Charilai regis tutela relicta, procul à patria abesset, in Creta multos annos contriuisse propter cognitionem. Erant enim Lacedæmoniorum coloni Lyctij. Sumpserunt autem ij qui in coloniam deducti erant, eam legum descriptionem quæ in iis vigebat, qui ea loca incolebant. Itaque Cap. 8.

accolæ nunc iisdem legibus vtuntur, tanquam eas Minos primùm scripserit. Hæc autem insula percommodè ad imperium Græciæ nata atq; sita videtur. Nam & toti mari imminet, cùm ferè Græci omnes mare accolãt: & abest paulùm hinc Peloponnesus, illinc Asiæ locus is qui est ad Triopium & Rhodum. Quocirca maris imperium Minos obtinuit, & insulas alias depopulatus est, in alias colonos misit: ad extremum cùm Siciliam inuaderet, illic ad Caminũ excessit è vita. Cretensis autem descriptio & ratio, Laconicæ proportione respondet. Vt enim apud Lacedæmonios serui, qui ab illis Hilotes dicuntur, arant: sic apud Cretes, accolæ. Apud vtrosque sodalitates sunt: & quondam Lacones non Phiditia, sed Andria, vt Cretes nominabant. Ex quo perspicuum est, id genus sodalitatis illinc fuisse translatum. Similis est etiam ratio Reipublicæ. Nam & Ephororum eadem est autoritas ac potestas, quæ eorum qui Cosmi appellantur in Creta: nisi quòd Ephori sunt quinque numero, Cosmi decem. & Gerones pares sunt senibus, quos Cretes Consilium vocant. Regale autem ciuitatis genus fuit primùm, deinde id Cretes repudiarunt, principatúmque in bello Cosmi tenent. Omnibus in senatu datur locus, sed nullius sententia valet, nisi senum & Cosmorum decretis assentiatur. Ac sodalitatis quidem melius à Cretibus quàm à Lacedæmoniis habita ratio est. Lacedæmone enim viritim suam quisque partem conferunt: alioqui lex, quemadmodum suprà dictũ est, eos ratione Reipub. priuat. At in Creta hoc potius fit publicé. De omnibus enim fructibus, & pecudibus quæ percipiũtur ex publicis, & copiis quas accolæ afferũt, pars

alia deorum ſacris, publicíſque muneribus, alia ſodalitatis epulis conſecrata eſt, vt publicè omnes & mulieres & pueri & viri alantur. Multa autem ſapienter de tenuitate & continentia in victu, is qui ſcripſit leges, diſſeruit. Ad mulierum etiam diuortia, vt ne multos filios procrearent, concubitu marium inter ſe præſcripto, illos philoſophorum more hortatus eſt: quod vtrum vitioſe & improbè, nécne fecerit, alius erit diſputandi locus. Perſpicuum eſt igitur, ea quæ ad communem victum pertinent, melius apud Cretes quàm Lacedæmonios eſſe inſtituta. At Coſmorum poteſtatem quàm Ephororum deterius. Quod enim malũ eſt in Ephororum magiſtratu, vt quiuis paſsim eum adipiſcatur, id etiam in illis ineſt. Quod autem illic Reipub. prodeſt, hîc deeſt. Illic enim quia mandatur omnibus, populus cui ad ſummum magiſtratum aditus patet, Rempub. eſſe ſaluã cupit. hîc non ex omnibus Coſmi deliguntur, ſed ex certis familiis: ex iiſque qui Coſmi fuerint, ſenatores cooptantur. De quibus eadem dici poſſunt, quæ dicta ſunt de iis qui Lacedæmone creantur. Nam & non referre eos rationem geſti magiſtratus, magiſtratúmque perpetuum gerere, maius eſt eis præmium, quàm pro dignitate: & non ex ſcriptis legibus imperare, ſed ſuo quenque arbitratu ac libidine, plena res periculi videtur. Nam quòd populus cui negantur hi honores, in otio viuit, non eſt argumento, id præclarè conſtitutum. Nihil enim Coſmis quæſtus propoſitum eſt, ſicuti eſt Ephoris: qui quidem procul ab iis qui corrumpant, habitẽt in inſula. Quamq́ue huic morbo medicinam adhibent, ea abſurda eſt, nec ad ſocietatem ciuilem, ſed ad dominatum aptiſsima Sæpe enim

Cosmos nonnulli coëuntes vel collegæ, vel priuati eiicere solent. Cosmis etiam interim licet abire magistratu. quæ certè omnia melius esset lege fieri, quàm hominum, quæ non est tuta regula, volũtate. Omnium autem vitiorum, nullum neque fœdius neque deterius ea confusione, quã potentes coniurati sæpe inducunt, cùm pœnas Reip. nolunt pendere. Ex quo perspicuum est, hac descriptione particulam aliquam Reipub. non Remp. sed dominatum cõtineri. Solent etiam plerunque populo amicísque subornatis id genus ciuitatis quod vnius dominatu tenetur constituere, atque inter se bellis ciuilibus dimicare. Ecquid interest vtrum hoc tale malum grassetur, an quodam tempore iam non stet ciuitas eiusmodi, ciuilísque societas dirimatur? Ciuitas profectò eiusmodi, periculis opportuna est, si qui eorum qui possunt aggredi vellent: sed quemadmodum dixi, eam loci natura tutatur, qui inde procul peregrinos & exteros remouit. Itaque & Cretibus sui accolæ in fide permanent, & Hilotes sæpe defecerunt: quoniam cum extremo imperio Cretes nulla societate iuncti sunt. Sed recens externum bellum in insulam translatum est: quod quàm sint illic infirmæ leges indicauit. Hæc habui quæ de Republica Cretum dicerem.

Cap. 9. *Carthaginenses etiam præclara Repub. vtuntur, & cùm multa egregiè instituta habent, si cum cæteris conferantur, tum vel maximè quędã, quæ ad Lacedæmoniorum Remp. similitudine accedant. Hæ enim Resp. tres & inter se finitimæ sunt quodammodo, & cæteris valdè dissimiles, Cretum, Lacedæmoniorum, & Carthaginensium, apud quos multa sunt præclarè instituta. Rempub. autem præ-*

clarè cōstitutam esse, hinc perspici potest, quòd populus integrum Reipub. statū adhuc seruauit: neque seditionis, quę quidem cōmemoratione digna sit, autor fuit vnquam, neque tyrannum probauit. Lacedæmoniorum autem Reipu. par est, ac similis. Nam & victus communis sodalitatum Phiditiis, & centum quatuor virorum magistratus, Ephoris pares sunt: nisi quòd non deterior est horum institutio, cùm Ephororum magistratum quiuis paßim adipiscatur, hūc optimates. Regibus etiam atque senatui eadem ratione reges ac senes qui illic instituti sunt respondent, sed melius est, reges nec ex eadem familia & gente, nec ex qualibet creari: sed si in aliqua gente homines sint præstanti virte, siue ætate, ex iis deligi. Quibus enim hominibus rerum vel maximarum potestas permissa est, ij si tenues sint, & maxima detrimenta afferunt, & Lacedęmoniorum Reip. iam attulerunt. Ac siqua sint in hac Repub. quæ propter nimiam progreßionem reprehendi improbaríque poßint, quæ certè sunt plurima, ei sunt cum cæteris omnibus communia, de quibus diximus. Eorum autem quæ ad causam Reipub. quæ in potestate est optimorum, & omnno Reipu. pertinēt, partim ad populum magis, partim ad eam Remp. cui pauci præsunt, inclinat. Nam alia ferre, alia non ferre ad populum, Regum & senum ius est, si vnum idémque omnes sentiant: sin dissentiāt, populi ius est. Quæ autē hi retulerint, non solùm ius est populo approbare, ac sequi magistratuum sentētiam, verumetiam de iis iudicare. Quòd si quis velit iis quæ referuntur contradicere, ei conceditur, quod in reliquis Rebuspub. non licet. Nam quòd Quinqueuiratus, cui multarum rerum & grauium ius est, ab

illis creatur, & Centumuiratus qui est summus magistratus à Quinqueuiris, quódque hos magistratus diutius gerunt quàm cæteros, (nam & cùm abierunt magistratu, & cùm designati sunt, imperant) hoc in eo genere Reipub. cui pauci præsunt, numerãdum est: quòd autẽ nullum præmium eis proponitur, neque sortitò mandatur, et siquid aliud tale est: quòd denique iudicia omnia fiunt à magistratibus, nec alia ab aliis, quẽadmodum apud Lacedæmonios, ad id ciuitatis genus accommodandum est, quod est in potestate optimorũ. Status autem Carthaginẽsium ex eo genere imperij cui præsunt optimi, in id cui pauci, commutatur maximè, quadam ratione quæ multis probatur. Non enim optimum quenque solùm, sed etiam opulentißimum creari putant oportere: quòd inops præclarè magistratum gerere, & in otio viuere non queat. Cùm ergo proprium sit eius Reip. quam pauci administrant, mandare locupletißimo cuique magistratum: eius autem quæ in optimorum potestate est, virtuti: profectò descriptio hæc Reipublicæ tertia erit, qua etiam Carthaginenses vtuntur, cùm præsertim hæc duo cùm in omnibus, tum in maximis magistratibus, vt regibus & imperatoribus mandandis, sequantur & spectent. Debet autem maximo vitio dari legum scriptori hæc ex genere optimati commutatio. Hoc enim iam ab initio necessariò videndum est, vt optimi in pace poßint viuere, vt à decoro ne discedant, neque in magistratu, neque priuati. Quòd si opibus & copiis otij gratia consulendum est, malè se res habet, cum summus quisque magistratus, vt regnũ, & munus imperatoriũ, pecunia cõtenditur. Diuitias enim in maiore honore & precio hæc lex ha-

bet quàm virtutẽ, atque in totã ciuitatem pecuniæ cupiditatem. Quæcunque autem opinio de cuiusque rei honore ac precio in principibus extiterit, eadem in cæteris ciuibus necessariò secutura est. & qua in ciuitate nõ maximus virtuti honos tribuitur, in ea optimus ciuitatis status stabilis & firmus esse nullo modo potest. Hoc verò consentaneum est, vt ij qui emunt magistratus, quæstui habere assuescant Rempu. cùm ad eos largitionibus ascenderint. Haud enim verisimile est, pauperẽ eúmque bonum virum velle habere quæstui Rempu. improbũ autem nolle, qui quidem imperium largitione sit adeptus. Itaque iis qui habent à natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus sunt, & gerenda Respu. est. Quò melius fuit, si legum scriptor bonorum virorum copiam prouidebat fore, attamen eorum otio consulere in magistratu. Atque etiam vitiosum est, eundem multos magistratus gerere, quod apud Carthaginenses gloriæ ducitur. Vnus enim vnum munus & officium optimè exequitur. Idque vt fiat, legum scriptori prouidendum est: non sanciẽdum, vt idem & tibicen sit, & sutor. Quocirca in magna ciuitate quò pluribus ad honores aditus patet, eò id & ad ciuilem societatẽ, & ad populare ciuitatis genus aptius est, & accommodatius: quódque à pluribus, id omne, vt dixi, & melius & celerius conficitur: id quod in bellicis nauticisque muneribus perspici licet, in quibus per omnes diffusa est imperandi parendíque ratio. At cùm ciuitas eo genere imperij regitur, quod in potestate paucorum est, hoc effugiunt optimè, quòd vt semper aliqua ciuitatis pars copiosa & locuples sit, reliquam in alias ciuitates quasi in

colonias deducunt. Hac enim ratione medentur Reipub. eámque constituunt. Atqui hoc fortè, temerè ac casu fit, cùm legum scriptor, ne inter ciues seditio oriri queat, diligentia sua prouidere debeat. Nũc si calamitas aliqua incidat, secedátque plebs, nullum pacis remedium leges afferre possunt. Ac de Lacedæmoniorum quidem, Cretum & Carthaginensium Rebuspublicis, quæ iure laudantur, hactenus.

Cap. 10. Eorum autem qui aliquid de Repub. disseruerũt, nonnulli in gerendis rebus non sunt versati, sed vitam priuatim in otio traduxerunt: de quibus omnibus si quid memorabile est, id ferè cõmemorauimus. Alij leges scripserunt, quorum partim suis ciuitatibus, partim nonnullis gentibus & nationibus, cùm ipsi Rempub. administrassent, quorum alij leges modò scripserunt, alij etiã de Repub. vt etiã Lycurgus, vt Solon, qui & leges dederunt, & Respub. constituerunt. De Lacedæmoniorum Repu. diximus. Solonem autẽ nonnulli quidem sapiẽtem fuisse legum scriptorẽ existimãt. nam & ciuitatis statũ qui in manu est, paucorũ, qui valdè immoderatus esset, eũ sustulisse, & populum à seruitute vindicasse, & in patria sua cõstituisse id genus Reip. quæ est in populi potestate, Repu. præclare tẽperata atque permixta. Esse enim Ariopagi consilium eius Reipu. proprium cui pauci præsint, magistratuũ autem mandãdorum rationẽ eius quæ in potestate est optimorũ, iudicia, popularis. Solon autẽ illa duo quæ prius erãt, mea quidẽ sententia non sustulit, consilium & magistratuum deligendorum rationem: populare verò genus constituit, cùm iudicum decurias fecisset ex omnibus. Itaque nonnulli ei vitio ver-

tunt, quòd alterum sustulerit, iudicio & foro ad quod sortitò deligebantur, data omnium rerum potestate. Quando enim hoc conualuit, tum populi quasi tyranni animo obsecuti, Rempub. in eam qua nunc vtimur, popularem commutarunt. Ac Ariopagi consilij autoritatē Ephialtes & Pericles imminuerūt, iudicibus mercedem Pericles statuit: atque hoc modo populares omnes augendo, Rempub. ad popularem statum, qui nunc est, deduxerunt. Quanquam nō Solonis hoc iudicio & studio, sed casu potius accidit. Nam cùm populus bello Medico præfecturæ classis autor extitisset, sustulit animos: perniciosósque patronos suæ causæ adhibuit, bonis Rempub. contrà gerentibus. Alioqui Solon eam populo potestatem dedit, quę maximè necessaria erat, vt & magistratus mandaret, & eorum quæ quisque in magistratu gessisset, rationem reposceret: cùm præsertim populus nisi eius sit hoc ius, & seruitute opprimi soleat, & ob eam causam ad bellum inimicitiásque se conuertere. Magistratus autem omneis ex censu descripsit, vt primores ciuitatis & locupletes, qui quingentos modios & iugera haberent, aut qui ex tertio censu equites appellarentur, eos soli adipiscerentur. Quartum censum attribuit mercenariis, quibus ad honores iter præcluditur. Scripserunt etiā leges, & Zaleucus Locris iis qui ad Occidentē pertinent, & Charondas Catinēsis suis ciuibus, aliisq; Chalcidicis ciuitatibus, quæ sunt Italiæ & Siciliæ finitimæ. Volunt etiam nonnulli, Onomacritum primum scribendarum legū laude valuisse, eúmque in Creta hanc artem excoluisse, quò diuinatione admonitus accessisset, cùm Locrus esset: denique cum Thalete magnam ei necessitudinem fuisse.

Thaletis autem auditores fuisse Lycurgum & Zaleucũ, Zaleuci Charondam. Sed hæc qui dicunt, dicunt inscitia temporis. Scripsit etiam Thebanis leges Philolaus Corinthius. Fuit autem Philolaus ex gente Bacchiadum, qui postea quàm amator fuisset Dioclis eius qui vicit ludis Olympicis, vt ille exosus amorem matris Alcyones, relicta patria Thebas se contulit, illic vterque excessit è vita: visuntúrque nunc etiam eorum sepulchra, quorum ex vtroq; alterum videri potest, cùm interim ex alterius sepulchro Corinthiorum ager cõspici possit, ex alterius non possit. Ferunt enim fabulæ sic eos præscripsisse, Dioclem quidẽ propter animi offensionem, vt ne cerni posset ex terræ tumulo Corinthius ager: Philolaum autem, vt posset. Hanc igitur ob causam apud Thebanos habitarunt, quibus leges Philolaus scripsit, cùm de aliis quibusdam rebus, tum de procreãdis liberis, quas vocant illi θετικοὺς, id est leges de procreãdis liberis. atque illud ab eo propriè lege sancitum est, vt numerus hæreditatum seruetur. Charondæ autem nulla propria est, nisi iudicia de falsis testibus. primus enim de eo disputauit. Accuratione autem, diligentia & elegantia in scribendis legibus, eos etiam qui nunc sunt, legum scriptores, longè multúmque superauit. Philolai est possessionum inęqualitas. Platonis autem, & mulierum & filiorum & bonorum communitas: communis & mulierum victus: & præterea lex de ebrietate, vt sobrij sint præfecti conuiuiorum: & de exercẽdis bellicis officiis, vt in meditatione & exercitatione ipsa vtraq; manu vtantur, quòd dextra manus vtilis esse minimè debeat, læua inutilis. Draconis sunt leges, sed quas Repub. constituta scripsit. In eius autem le-

gibus nihil legitur, nec cuius fuerit inuentor, nec quod sit memorabile, nisi pœnarum acerbitas. Scripsit etiam Pittacus leges, non Rempub. Lex autem illa eius est, vt ebrij si quem pulsauerint, grauiores dent pœnas, quàm si id fecissent sobrij. Nam quoniam maior est numerus eorum qui vinolenti insolescant, & alios verberent, quàm sicci, non habuit rationem veniæ, quæ potius ebriis danda sit: sed vtilitatis. Androdamus etiam Rheginus leges scripsit Chalcidensibus, iis qui sunt in Thracia, cuius extant de cæde leges, & de hæreditatibus. Quanquam nihil ei tanquã autori & inuentori tribui potest. Ac de Rerũpu. cognitione ac scientia, & earum quæ principatum tenent, & earum quæ à nonnullis constitutæ sunt, hactenus.

ARISTOTELIS DE REPVblica Liber III.

QVI proposita est ad considerandum ciuitas, quæ ac qualis quæque sit, is ferè primùm debet, quid ciuitas sit, videre. Nunc enim hac de re omnis est dissensio. aliíque ciuitatẽ aiũt rem gessisse: alij non ciuitatem, sed imperij genus cui pauci præsint, aut certè tyrannum. Nos viri ciuilis & scriptoris legum, omnem curam & industriam in ciuitate constituenda positam videmus. Respubli. autem eorum qui eandem incolunt ciuitatem, quædam descriptio est. Cúmque ciuitas cõcretum quiddam sit, quemadmodum aliud quid totum, constétque ex multis partibus, profectò prius quærendus est ciuis. Nam quoniam multitudo quædam Cap. I.

ciuium est ciuitas, fit, ut quis sit appellandus ciuis, exquirendum esse videatur: præsertim cùm de ciuis appellatione sæpe controuersia oriatur, quòd non eundem omnes ciuem esse concedant. sitq́ue aliquis in populari genere ciuitatis ciuis, qui in imperio cui pauci præsint, ciuis minimè habeatur. Ac eos quidem qui alio quouis modo hāc adepti sunt appellationem, veluti eos qui ciuitate donati sunt, prætermittere debemus. Ciuis autem non ex eo iudicandus est, quòd eandem ciuitatem incolat. municipes enim & serui eandem incolunt: neque ij habendi sunt ciues, quibus inter ipsos ita est officij iuriśque societas, ut & causam dicant & litigent. hoc enim iuris est etiam inter eos, inter quos tesserarum communio est. Quanquam municipes non omninò eius sunt participes societatis, sed quemadmodum pueri qui nondum virilem togam sumpserūt, aut senes qui exautorati sunt, sic illi ciues dicendi sunt quodammodo, non ciues omninò, sed cum adiunctione: hi ciues inchoati, illi veterani. Nihil enim interesse hinc perspici licet, quòd eū qui ciuis sit omninò, quærimus: & eum cui hæc quasi nota quæ elui debet, non sit inusta. quandoquidē & de iis quibus ignominiæ nota inusta est, & de exulibus hæc eadem quæri refellíque possunt. Ciuis autem qui omninò ciuis est, alia re nulla definitur, quàm iudicij magistratúsque cōmunione. Magistratus verò alij tempore distincti sunt, ut quosdam non liceat omninò eundem bis gerere, aut præscriptis quibusdam temporibus: aliis nullum tempus præfixum est, cuiusmodi sunt iudex & senator. Et quanquam sunt, qui hos tales magistratus esse negent, ob eámque causam eis iter ad magistratus præcludant: tamen ridiculum est, eis

qui summa potestate præditi sint, adimere magistratũ. Sed nihil nostra interest, cùm præsertim in nomine omnis versetur controuersia. Incertum est enim quo nomine cõmuni vterque iudex senator appellari debeat. Explicãdæ autem rei gratia, appellemus nullis certis temporibus circunscriptum liberúmque magistratum. Ita in ciuium numero eos reponimus, qui huiusmodi societate cõmunionéque continentur. Ergo qui ciuis maximè in ciues omnes, de quibus dixi, cõuenit, is ferè huiusmodi est. Intelligendum est autem, earum rerum quarum subiunctæ res specie differant, & quiddam est primum, quiddam secundum, & sic deinceps: aut nihil omninò, aut parùm, quatenus tales sunt, cõmercij habere cũ illis. Atqui Respu. inter se specie differre cernimus, earúmq; partim posteriores esse, partim antiquiores. Nam & earũ quæ labefactantur, & earum quæ collabuntur, posterior sit origo necesse est, quàm earum quæ labefactari nequeunt. Quas autẽ collabi dicamus, pòst intelligetur. Ita fit, vt alius etiã in alio Reip. genere sit ciuis. Quocirca in eo genere Reip. quod est in populi potestate, ciuis est maximè is quẽ diximus: in cæteris generibus, vt poßit haberi in tali numero, non tamen necesse est. Nonnullis enim nec populus est, nec senatus legitimus, sed indictus, & ius dicunt vicißim. vt Lacedæmone in causis aliis rerum quæ contrahuntur, alius Ephorus ius dicit, in causis cædis senes, & in aliis alius fortè magistratus. Eadẽ est ratio Carthaginensium. Omnes enim causas magistratus quidam iudicant. Atenim ciuis definitioni adhibetur correctio, quandoquidẽ in aliis Rebusp. nõ magistratus perpetuus, senator aut iudex appellatur, sed eorum magistratui certum tem-

pus præstitutũ est. Eorum enim aut omnibus, aut quibusdam permissa est iudiciorum vel omnium, vel aliquorum potestas. Ac ciuis quidem quis sit, ex his facilè perspici licet. Cui enim cõcessa est sententiæ dicẽdæ, vel iuris dicũdi potestas, eum ciuem huius vel illius ciuitatis esse dicimus. Ciuitas autem est horum talium, quę satis munita sit rebus ad viuẽdum necessariis, multitudo. Definiunt autem nonnulli vsu ciuem eum, qui ex vtroque parente ciue sit, non ex altero tãtummodo, vt ex patre, vel ex matre. alij etiam ad plures volũt pertinere, veluti ad auos duos aut tres, aut etiam plures. His ita accommodatè ad Rempub. & citò constitutis, nonnullis in dubium venit, tertius ille aut quartus quo tãdem modo ciuis sit futurus. Gorgias quidẽ Leontinus partim fortasse quòd non haberet quod diceret, partim quòd sententiam suam fronte occultaret, confirmauit: vt mortaria sunt quæ ab artificibus effecta sunt, sic Larissæos eos esse, qui ab artificibus facti essent. Esse enim quosdam Larisseorum effectores. Sed hoc vnum ac simplex est. Etenim si ex definitione quæ tradita est, in ciuitatis societatem venissent, certè ciues fuissent, præsertim cùm illud ipsum ex vtroque ciue ortum esse, in primos qui incoluerunt ciuitatem vel condiderunt, conuenire nequeat. Illud autem potius dubitationem afferat in iis qui mutato ciuitatis statu, ciuitate donati sunt. Quod Athenis fecit Clisthenes exactis tyrannis, qui multos peregrinos & seruos municipes in numerum tribuum asscripsit. Quanquam omnis hæc quæ cum istis est controuersia, non in eo versatur, quis ciuis sit appellandus, sed iure, an iniuria. Illud etiam quæri potest, sit'ne ciuis quisquam nisi iure sit: quòd idem

valeat iniquus, quod falsus. Quoniã autem quosdam magistratus præesse videmus contra leges, quos præesse illos quidem cõcedimus, sed non rectè, & ciuis magistratu quodam & imperio definitus est, (cui enim ad hunc vel illum magistratum aditus patet, is est, vt diximus, ciuis) profectò hos etiam ciues dicere debemus. de illo autem, iure, an contra iura, cum eo prior cohæret quæstio. Illud enim nonnulli quærunt, quando ciuitas fecit, & quãdo non ciuitas: veluti cùm ex eo ciuitatis statu qui est in paucorum potestate, aut in tyrannorum vita, in eum mutatur Respub. cui præest. Tum enim nec conuentis stare volunt nõnulli, quòd non ciuitas, sed tyrannus eum ciuitate donauerit: nec alia eiusdem generis seruare, quasi quædam Republicæ viuẽdi causa, non vt vniuersorum vtilitati cõsulatur, sint constitutæ. Quapropter si nonnullæ Respu. in potestate sunt populi, hoc pacto certè confitendum est, huic ciuitati æquè, & huius Reipu. & eius cui pauci præsunt, & eius quæ à tyrannis administratur, acta esse attribuenda.

Huius autem quæstionis explicatio propria hoc loco videtur, quo tandem modo eadem ciuitas, aut non eadem, sed alia dicenda sit? Ac perspicua huius rei quæstio in loco hominibúsque versatur. fieri enim potest vt locus & homines coniuncti semper sint, & vt alij alium locum incolant. Atque hæc facilior quæstio est. Nam cùm multis modis dicatur ciuitas, est quodãmodo huius quæstionis facilis explicatio. Quod eodẽ modo iudicandũ est, cùm homines locũ eundem incolunt, qua ex re ciuitas vna esse existimãda est. non enim ex mœnibus: quippe cùm Peloponneso vna mœnia liceat circunducere. Cuiusmodi fortasse est Babylon, Cap. 2.

omnísque quæ gentis potius quàm ciuitatis circunscriptionem contineat. quæ quidem cùm capta esset, fama est tertio die quandam partem vrbis non sensisse. Sed hæc res alio loco commodè disputabitur. Nam magnitudo vrbis ei cognita esse debet, qui in Repu. versatur, & vtrum vnam an plures esse vtile sit. At verò si iidem sint eiusdem loci incolæ, vtrum quoad idem incolarum genus maneat, eadem vrbs appellanda sit: etiamsi alij intereant semper, alij oriantur, quemadmodum fluuios eosdem soliti sumus dicere, eosdem fontes, etsi semper alia aqua consequatur, & alia erũpat: an verò homines iidem ob eam causam dicendi sint, & vrbs alia, quæstio est. Etenim si societas quædam est ciuitas, eáque ciuium societas, certè si Reipub. mutetur forma & status, ciuitatis etiam status mutetur necesse est. quemadmodum chorum interdum Comicum, interdum Tragicum esse dicimus, cùm sæpe iidem sint homines. Itémque omnem aliam communionem & compositionem diuersam dicimus, si aliud genus sit compositionis. veluti concentum eorundem sonorum alium esse dicimus, interdum quia Doricus, interdum Phrygius. Quæ cùm ita sint, perspicuum est eandem ciuitatem maximè habita ratione Reipub. esse dicendam. Nomine autem alio, aut eodem eam appellare licet, tum si iidem, tum si omninò alij eam homines incolãt. An autem æquum sit decidere de rebus, nécne, cùm in aliud Reipu. genus mutatur ciuitas, alia disputatio est.

Cap. 3. Deinceps vtrum eadem virtus viro bono & bono ciui tribuenda sit, nécne, videndum est. Atque si hæc quæstio tractanda est, virtus & officiũ ciuis primùm pingui quadam Minerua planéque exquirendum est. Vt igitur nau-

ta vnus est sociorũ, sic ciuem esse dicimus. Nautarum autẽ etsi dißimilia sint officia (alius est enim remex, alius gubernator, alius prorã regit, alius alio appellatur nomine) tamẽ hoc perspicuũ est, quæ cuiusq; accuratißimè tradetur definitio, eam officij propriã fore, itémque communẽ quandã in omnes esse casuram. Officium est enim eorũ omnium, nauis saluti prospicere, cùm præsertim vnusquisq; nauta eius cupiditate ducatur. Similiter cùm ciuium, etiamsi dißimiles sint, officium sit societatis saluti consulere: societas autem sit ipsa Respub. efficitur, vt ad Rẽpu. virtus ciuis officiúmque referatur. Quòd si plura sunt Reipu. genera, profectò illud perspicuum est, boni ciuis vnum munus & officium perfectũ esse non posse. Et quanquam perspicuum est, fieri posse vt is qui bonus sit ciuis, virtutẽ ex qua bonus vir nominetur, non consequatur: tamen alio etiam modo licet disputando eodem sermone de optimo ciuitatis statu disserere. Nam quoniam ex omnibus qui probi sint, constare ciuitas nullo modo potest, omnes autẽ suum quisque munus præclarè obire debent, ídque à virtute proficiscitur: quoniámque ciues omnes similes esse non possunt: certè nunquam vna eadémque ciuis & boni viri futura virtus est. Nam & boni ciuis virtus in omnibus inesse debet, quòd hoc modo ciuitas optima erit necessariò, & viri boni nõ potest, quin necesse sit omnes bonos esse ciues eos, qui beatam Rempublicam incolant. Præterea quãdo ex dißimilibus rebus cõstat ciuitas, quemadmodum & animal ex animo & corpore, & animus ex ratione atq; appetitu, & familia ex viro ac muliere, & rei faciendæ ratio ex domino ac seruo, sic ciuitas ex his omnibus, ac preterea aliis dißimilibus formis

constat: necesse est non vnam esse virtutẽ ciuium omnium: sicut non eadem laus est eorum qui chorum agunt, præsultoris, & eius qui illi secũdus est. Ex quibus perspicuũ est, quamobrem non est omninò eadem virtus omnium. Sítne autẽ eadem alicuius boni ciuis ac viri virtus, quæstio est. Nos quidem eum qui sapienter præsit, bonum ac prudentẽ esse dicimus: eum autem qui Rempub. administret, prudẽtem esse necessariò. Atque etiam disciplinam eius qui imperet, statim aliam nonnulli aiunt esse oportere, quemadmodum & cernuntur regum liberi rei equestri & ciuili institui: & ait Euripides, Ne mihi decora, at quæ ciuitas desiderat. quòd sit disciplina, quæ eos deceat qui imperant. Quòd si eadem virtus & eum qui bene præest, & bonum virum decet, ciuis autem est is etiam qui in aliorũ est imperio, fit, vt non eadem omninò virtus sit ciuis & viri, etsi alicuius est. Non enim eadem est eius qui imperat, & ciuis: ob eámque causam fortasse Iason se esurire dicebat tũ, cùm non imperaret, quòd priuatus esse nõ didicisset. Sed tamen laudi datur, posse & imperare & parêre: & ciuis pręclari videtur esse, posse bene præesse, & parêre. Si ergo virtutem boni viri ponimus eã quę apta sit ad imperandum, ciuis autem eam quæ idonea sit ad vtrumque: non erunt vtraque similis laudis. vtraque ergo, ac nõ eadem eum qui imperat, & qui paret, discere debere: ciuem autem vtrumque tenere, & vtraque virtute esse præditum, hinc intelligi potest, quòd est imperium domini in seruos, quod in rebus necessariis quæ dicuntur, præstare non necesse est eum scire qui imperet, sed vti potius. Alterum autem etiam mancipiorum est. Dico autem alterum, posse præstare ser-

uiles actiones & munera. Seruorum autem plura sunt genera, quòd plures functiones: quarum pars vna iis qui opere manuum vtuntur continetur, quales sunt ij qui victum sibi manuum opere quærunt, in quibus opifices ducuntur. Itaque apud nonnullos olim ad honores opificibus aditus non patebat antè, quàm populi summa esset potestas. Non igitur officia eorum qui parent, aut bonus Reipubli. gubernator, aut ciuis debet discere, nisi fortè id ipse per se, aut in rebus suis desideret. Neque enim iam efficitur, vt alter sit dominus, alter seruus: éstque imperium quoddam, quo iis qui eiusdem generis sunt, ac liberis imperet. Hoc enim ciuile imperium esse dicimus, quod debuit is qui præest, tum cùm alteri parebat, discere, veluti præesse equitibus, qui præfecto equitum paruerit: & imperatorium munus sustinere, is qui imperatori paruerit, & ordinem manipulúmque duxerit. Quocirca hoc verè dicunt, non posse bene præesse eum qui non paruerit. Horum autē virtus est illa quidem alia: sed tamen debet egregius ciuis, vt scire, sic posse & parêre, & imperare. Atque hoc boni ciuis officium est, eorum qui vtuntur libertate imperium in vtramque partem scire, & viri boni vtrumque. Quòd si alterū genus sit temperantiæ ac iustitiæ, quæ vim habeat imperandi, quoniam eius qui paret, sed qui idem liber est: perspicuum est non vnam esse virtutem boni, cuiusmodi est (exempli causa) iustitia: cuius plura sunt genera, quibus fretus imperabit atq; parebit. quēadmodū alia viri alia mulieris est & tēperantia, & fortitudo. Nā & vir ignauus esse videatur, si vt mulier est, sic fortis sit: & mulier secus ac debet faciat, si ornata ac venusta sit vt vir bonus. Quinetiā

ratio tuendæ rei familiaris alia est viri, alia mulieris: quippe cum illius sit quærere, huius quæ parta sunt tueri. At verò prudentia vna virtutum, eius propria est qui imperat: quoniã reliquæ eis qui præsunt cõmunes sunt cum iis qui in eorũ sunt imperio. In eo autẽ qui paret, non prudentia, sed vera tãtùm eius opinio desideratur. Est enim quasi effector tibiarũ, is qui paret: is autẽ qui imperat, tibicinis, qui vsum tenet, locũ obtinet. Perspicuum ergo est ex iis quę diximus, sit'ne eadẽ virtus viro bono, & bono ciui, an alia, & quẽadmodum eadem, & quomodo alia, tribuenda. De ciue autẽ reliqua est etiã quædã quæstio, vtrum ciuis sit habendus is cui ad honores aditus patet: an ij qui in sordidis artibus versantur, in ciues reponẽdi sint. Ac si ij etiã quibus ad magistratus iter præclusum est, in ciuium numerum adscribendi veniunt, fieri certè non potest, vt hæc ipsa virtus in omni ciue reperiatur: quoniã hic habetur ciuis. Sin autẽ nemo horum talium ciuis habendus est, quo tandem in numero est vnusquisque futurus? neque enim municeps, neq; peregrinus erit, aut certè hoc nostro sermone nihil absurdũ dicemus effici. Nam nec serui in numero eorum de quibus diximus habẽdi sunt, nec liberti. Sic enim res habet, nõ omnes ciues ducẽdi sunt ij, sine quibus stare ciuitas nullo modo potest: quippe cùm pueri & viri non eodem modo ciues sint, sed hi omninò, illi cum adiunctione, ciues ij quidem sunt, sed imperfecti & inchoati. Ac olim quidem apud nonnullos serui erant & ij qui in sordidis artibus versabantur, & peregrini. Itaque multi sunt huiusmodi etiam hoc tempore. Optimus autem ciuitatis status nunquam ciuem faciet eum qui in sordido quæstu versabitur. Quòd

ſi hic etiam ciuis habetur, at certè ciuis quam dixi virtutem, fateamur neceſſe eſt non cuiuis, ne libero quidem, eſſe tribuendam, ſed iis denique, qui à neceſſariis muneribus ſoluti ſunt ac liberi. Eorum autem qui neceſſaria munia obeunt, ſerui ſunt ij qui hæc ipſa ad vnius commoda referunt: qui autem ad Reipub. ſordidi & mercenarij. Ex quibus perſpicuum eſt, ſi quis parũ velit attẽdere, quæ ſit horũ vis & ratio. id enim ex iis quæ dicta ſunt, perſpici licet. Nam quoniam multa ſunt Reipu. genera, efficitur neceſſariò, vt plura etiam ſint genera cùm ciuium omnium, tum vel maximè ciuium eorum qui parent. Quocirca in aliquo ſtatu ciuitatis neceſſe eſt eos qui ſordidas artes tractant, ac mercenarios, in numero eſſe ciuium: quod in aliquo fieri non poteſt. veluti ſi quis eſt ciuitatis ſtatus, qui in poteſtate ſit optimorum, in quo & virtuti honores tribuãtur, & pro cuiuſque dignitate. Neque enim colere virtutem poteſt is qui vitam ſordidorum ac mercenariorum agat. In iis autẽ Rebuſpub. quibus pauci præſunt, quia ex magno cenſu ad honores perueniunt, mercenarius ciuis eſſe non poteſt, ſordidus poteſt: quia multi etiam opifices copioſi ſunt. Ac Thebis quidem lex erat, ne is qui decẽ annos foro vænali aut mercatura minimè abſtinuiſſet, gereret magiſtratum. In multis autem Rebuſpub. profertur lex de peregrinis. Qui enim ex ciue matre natus eſt, is ciuis in quibuſdam Rebuſpublicis habetur. Eadem eſt apud nonnullos ratio ſpuriorũ, quos tamen ciuium verorum penuria ciues faciunt. Hominum enim paucitate coguntur iſto modo vti legibus. Cùm autem magnus multitudinis numerus ſuppetit, primùm pedetentim eos qui ex ſeruo aut ſerua nati ſunt, tollunt, mo-

interdum vnum esse eorum qui se exercēt: sicuti vnus semper nautarum est gubernator. Ac magister quidem ludi, aut gubernator, eorũ quibus præest vtilitati consulit: cùm autem ipse vnus est eorum, casu ac temerè abest à periculo. Nam & hic nauta efficitur: & ille cùm magister ludi sit, vnus eorũ qui exercētur. Itaque magistratus, cùm Respub. æqualitate ciuium & similitudine constituta est, vicißim volunt imperare: ac primùm, id quod naturale est, volunt vicißim ministrare, & ipsius commodis aliquem rursus inseruire, quemadmodum anteà ipse cùm præesset, illius rationibus consulebat. Nunc autem propter vtilitates & quæ ex Republica, & quæ ex magistratu percipiuntur, perpetuum magistratum gerere volunt, vt si ij qui imperāt semper valerent, anteà cùm morbosi essent. Sic enim profectò magistratus ambirēt. Perspicuum est igitur, omnes eas Respub. quæ communi omnium vtilitati cõsulunt, iuri perfecto esse consentaneas: quæ autem eorum qui præsunt tantummodo rebus rationibúsque consulunt, eas à vero statu desciscere. Eum enim dominatum quo dominus & seruus continentur, imitatur, cùm ciuitas liberorum hominum sit societas atque communio.

Cap. 5. His ita constitutis, sequitur vt quot sint Respub. numero, quæque, videamus. Ac primùm veras nobis proponemus. His enim expositis, earum mutationes facilè cognoscētur. Quoniam autem Respub. & Reip. gerendæ ratio idē declarant: Rei autem pub. gerēdæ ratio in eo est, quod principatum tenet in ciuitate: quoniámque necesse est principatum tenere vel vnum, vel paucos, vel certè multos: quando vnus aut pauci aut multi publicæ vtilitatis causa præsunt,

eæ rectæ ſint Reſpu.neceſſe eſt:eæ autem quæ priuatæ vtilitatis gratia,vel vnius,vel paucorũ,vel multitudinis, ab optimo ciuitatis ſtatu deſciſcant. Nam aut negandi ſunt ciues eſſe ij qui ſocietate ciuili coniuncti ſunt,aut in commodorum ſocietatem venire debent.vocare autem ſolemus vnius dominatum,eum qui omnium vtilitati cõſulit,Regiam poteſtatem:quod autem genus paucorum, ſed pluriũ quàm vnius,id optimatum poteſtatẽ appellamus,aut quia optimi imperant,aut quia eius rei cauſa quæ eſt è Repub. maximè,eorúmque qui Reipub.communione continentur. Cùm autem multitudo in Repub. adminiſtranda omnia ad Reipub.vtilitatem refert,tum communi omnium Rerumpublicarum nomine Reſpub.appellatur,nec ſine cauſa. Nam cùm vnus aut pauci præſtare virtute poſſunt,tũ difficile eſt multos in omnibus virtutibus excellere: ſed longè difficillimum,in virtute bellica excellere,quippe quæ ſedẽ habeat in multis.Itaq; primas tenet equeſtris ordo in hoc Reipub.genere:& eius ſocietate tenentur ij qui arma nacti ſunt.Mutãtur autem hæc genera,regalis poteſtas in tyrannidem:ea quæ eſt in optimorum poteſtate,in eã cui pauci præſunt:& ea quæ à populo geritur,in eam quam communi omnium nomine Rempub.appellari diximus. Nam & tyrannis tyrannorum commodis ſeruit: & ea quæ in paucorum eſt poteſtate,locupletum:& popularis poteſtas inopum rebus rationibúſque conſulit. Neque enim illa omnium vtilitati inſeruit. Sed pluribus exponendum eſt, quid quæq; ſit harum Rerumpubli.Exiſtunt enim multæ quæſtiones. Omnes autem qui in omni arte quæ via & ratione conſtat, philoſophorum more diſputando verſan-

tur, neque ad officium & actionem solùm disputationem accommodant, ij nihil negligere nec prætermittere debent, sed id quod res est de quaque re exponere. Est igitur tyrannis vnius dominatus, vt dixi, qui ciuilem societatẽ in suã ditionem redigit: paucorum potestas, cùm principatum in Repub. tenent ij, qui facultatibus præditi sunt: popularis autem ciuitatis status contrà, cùm ij qui non sunt nacti magnas opes, sed inopes, imperant. Prima autem quæstio, contra definitionem est. Si enim maior pars rerum copiis abundans plus poßit in ciuitate, & popularis ciuitatis status est, cùm multitudo primas tenet, itémque sicubi accidat vt inopum minor sit numerus, iíq; qui superiores sint, plurimum poßint in Repu. et si vbi pauci præsunt, ibi in paucorum potestate Rempu. esse fatentur: profectò non recta videtur, neque præclara Rerumpu. definitio & explicatio. Quòd si quis coniungat cum opum abundantia paucitatem hominum qui præsint, & cum inopia multitudinem, ex eóque Rerumpub. genera distinguat, & nominet Rempubli. quæ in paucorũ sit potestate, eam in qua præsunt locupletes qui numero pauci sint: popularem autem ciuitatis statũ, in quo inopes multi: certè alia quæstio est. Quod enim ad genus referemus eas quas commemorauimus Respublicas? eam in qua multi opulenti, & in qua pauci inopes, cùm vtrique in suis Rebuspu. plurimum possunt? si modò nullum aliud genus est Reipu. præter superiora. Videtur ergo ratio ipsa hoc planum facere, vt pauci aut multi sint ij, quorum in ciuitate maxima sit potestas, fortè temerè & casu fieri: illud in eo genere Reipu. cui pauci præsunt, hoc in populari statu ciuitatis, propterea quòd copiosi & diuites pauci, multi

inopes ac pauperes vbique ſint. Itaque non efficitur, vt cauſæ & rationes quæ allatæ ſunt, earum ſint diſtinctiones. Quo autem & ea Reſpub. in qua pauci præſunt, & ea in qua populus, inter ſe differunt, diuitiæ ſunt & inopia: ac neceſſe eſt, & vbi opes ad imperandum vocant ſiue paucos ſiue multos, ibi eſſe eum ciuitatis ſtatum, cui pauci preſint: & vbi inopia, ibi ſtatum eſſe popularem. ſed caſu fit ac temerè, quemadmodum diximus, vt illi ſint pauci, hi permulti. quippe cùm & pauci rerum omnium copiis abundent, & omnes libertatis communio attingat: quibus cauſis impulſi vtrique de Repu. diſſentiunt.

Intelligendum eſt autem primùm, quos fines & quaſi terminos conſtituant & eius Reipubli. quæ eſt in paucorum, & eius quæ eſt in populi poteſtate, quódque ſit ius vtriuſque Reipubli. Omnes enim ius quoddam tenent, ſed aliquam ad partem progrediuntur, nec totum ius perfectè enunciant: veluti videtur quod æquabile eſt, id ius eſſe, ſicuti eſt, ſed non omnibus, ſed iis demùm qui pari iure & conditione viuunt: & quod inæquale eſt, ius videtur eſſe (eſt enim) ſed non omnibus, verùm iis qui non pari ſunt conditione. Sunt qui hoc tollant, quibus ſit hominibus ius æquabile, aut inæquabile, iíque falſum putant. Idque ob eam cauſam fit, quòd de ſuis quiſque rebus iudicat: cùm fere fiat, vt plerique de rebus ſuis & propriis præpoſtere iudicent. Itaque cùm ius nonnulli diuidant eo modo in res & perſonas, quomodo ſuprà in iis libris qui de Moribus ſcripti ſunt, diximus, rei æqualitatem concedunt, de perſonarum æqualitate omninò diſſentiunt, ob eam cauſam maximè Cap. 6.

quam modò dixi, quòd de rebus suis præpostere iudicant. Deinde quòd cùm vtrique dicunt id quod ius est quadam ex parte, ius omninò se dicere existimant. Alteri enim si sint inæquales quadam ex parte, velut pecuniis, omninò inæquales se esse putant. alteri, si par eorũ in aliqua re causa est, vt si pari libertate sint præditi, parem & eandem suam causam omninò esse arbitrãtur. Sed quod plurimum potest, non afferunt. Si enim bonorum & fortunarum causa consociati sunt inter se & conciliati, eatenus ciuilis societatis communione tenentur, quatenus possessionum & bonorum. Ita eorum qui Republi. ea quæ in paucorum est potestate delectantur, valere videbitur oratio. Non enim æquum esse, tantum percipere de centum minis, vel quæ primæ quasi caput datæ sunt, vel auctæ, eum qui tantũ vnam contulerit, quantum is qui reliquum contulit. At non viuendi solùm causa consociati sunt, sed bene viuendi potius. esset enim seruorum aliorúmque animantium ciuitas. nunc autem nulla est, quòd serui ac belluæ beatæ vitæ non sunt compotes: neque eius vitæ quæ iudicio ac ratione degitur. Neque verò societatis belli causa, vt ne à quoquam vis eis inferatur, aut rerum contrahendarum vltrò citróque ratio & vtilitas, quã alij ab aliis capiunt, homines vnũ in locũ cõpulit. Sic enim Tyrrheni & Carthaginenses, omnésque qui alij aliis signa & tesseras dant, vt vnius essent ciues ciuitatis: quippe cùm inter ipsos & conuenta sint de rebus importandis, & tesseræ de non inferẽda vi atque iniuria, & tabulæ de societate belli: cùm interim nulli sint communes apud hos magistratus, sed alij apud vtrunque populũ, nec aliis curæ est aliorum disciplina &

institutio: neque vt nemo eorum qui pactorum ratione tenetur ſit iniuſtus, aut aliquo alio vitio præditus, laborant: ſed hoc vnum curant, vt nequa iniuria ſe vltrò citróque afficiant. At ij demùm virtutum vitiorúmque ciuilium rationem habent, quibus curæ eſt legum bonarum conſtitutio. Ex quo perſpicuum eſt, dandam eſſe operam virtuti, ei ciuitati, quæ verè hoc nomine, non verbo appellatur. Fert enim ciuilis ſocietas aliis auxilium, cùm à ſociis, qui procul abſunt, locorum tantùm interuallis diſiungatur. & lex, conuentum eſt, quemadmodum Lycophron Sophiſtes dicebat, ciuibúſque inter ipſos quaſi ſtipulatio intercedit: ſed quæ ciues bonos & iuſtos efficere non poſsit. Quod ita eſſe hinc ſciri poteſt, quia ſi quis locos in vnum conducat & conferat, vt muri eorum Megarenſium & Corinthiorum vrbibus adiuncti ſint, & cohæreant, non tamen eſſet vna ciuitas: vt etiam eódem addamus, connubia inter eos iungi, quod ciuitatibus & vrbibus propria ſolet eſſe ratio & cauſa ciuilis ſocietatis. Eodémque modo ſi qui ſeorſum ac ſeparatim habitent, non tamen tantis locorum interuallis diſiuncti ſint, vt nihil contrahant, nec vllum inter ſe commercium habeant, ſed his leges ſint, ne in contrahendis rebus alij aliis iniuriam inferant: vt ſi hic faber ſit, ille arator, alius ſutor, alius aliquid aliud eiuſmodi tractet, & decem millia eſſent, neque ij aliarum rerum niſi harum ſocietatem inirent, vt & res contraherent, & belli ſocietatem iungerent: certè ne hoc quidem pacto eſſet ciuitas. Quam tandem ob cauſam? Non enim quidem certè, quia remota eſt communio & ſocietas. Si enim vnum in locum ij inter quos eiuſmodi eſſet ſocietas, conue-

nirent, cùm interim ſua quiſque domo vt vrbe vteretur, eo conſilio vt ſibi ipſi cùm oppugnaretur vrbs, contra eos qui iniuriam inferrent, opitularentur: ne ſic quidem ciuitas eſſe videbitur iis, qui rem diligenter & accuratè conſiderabunt. Siquidem eodem modo ij qui vnum in locum habitandi gratia conuenerunt, quo ij qui diſiuncti ſunt, cõſociabuntur. Perſpicuum eſt ergo, ciuitatem non eſſe loci communionem ob eam cauſam, vt ne alij alios violent homines, réſque inter ſe contrahant: ſed hæc adeſſe oportet omnia, ſi futura eſt ciuitas, quæ vt ſuppeditent omnia, non tamen iam erit ciuitas: ſed bene viuendi communio, & conſociatio inter amicos, atque genera hominum, vitæ perfectæ atque ſeipſa contentæ cauſa comparata, ea demùm ciuitas eſt habenda. Quod tamen vt fiat, & locus idem ad habitandum, & connubiorum ius tribuatur neceſſe eſt. Itaque & affinitates extiterunt in ciuitatibus, & ſodalitates, & ſacrificia, & rationes vitæ victúſque communis. quod amicitiæ officium eſt, quandoquidem in coniunctionis vitæ voluntate amicitia conſiſtit. Finis ergo ciuitati propoſitus, beata eſt vita, quem ad finem omnia referãtur. Ciuitas autem eſt gentium vicorúmque in vita abſoluta, & quæ ſit ſeipſa contenta, communio, quod bene beatéque viuere dicimus. Ciuilis ergo ſocietas præclararũ actionum gratia ponenda eſt eſſe conſtituta, non vitæ victúſque communis. Quocirca qui plurimum opis in hanc ciuilem communionem conferunt, ij potius ciues ſunt, quàm qui pari libertate præditi ſunt, aut generis nobilitate, aut etiam in iis excellunt, in virtute autem ciuili ſuperantur: aut quàm ij qui cùm opibus vincant, virtute vincuntur. Illud ergo

perspicuum est ex iis quæ commemoraui, eos omnes qui de generibus Rerumpub. dissentiunt, aliquam iuris particulam attingere.

Quid autem summam in ciuitate autoritatem obtinere oporteat, quæstio est. Aut enim multitudinem, aut locupletes, aut bonos, aut vnum qui cæteris virtute præstet, aut tyrannum. Sed ex his omnibus quædam existunt difficultates, & incommoda. Quid enim? si pauperes quia vincunt numero, res copiosorum administrent, an non id iniquum est? iustum enim, si diis placet, visum est ei, tum cùm summa eius esset potestas. Quid ergo attinet summam iniuriam dicere, si hæc non est? Præterea si sumptis omnibus plures eorum res qui pauciores sunt, gubernent & distribuant, perspicuè ciuitatem euertent funditus: & tamē virtus nulla ei in quo sit, exitium affert: nec quod iustum est, vim habet tollendæ Reipub. Ex quo efficitur, non posse iustam esse hanc legem. Iam verò quicquid egerit tyrannus, id iustum erit necessariò: cùm præsertim ipse qui superior sit, legibus, quemadmodum locupletibus multitudo, vim afferat. Sed fortaßis pauciores, qui ijdem diuites sint, æquum est imperare. Quòd si hęc ipsa illi faciant, diripiantq; & adimant res suas multitudini, & hoc iustum sit, alterū etiam igitur est. Perspicuum est igitur, hæc omnia cum scelere coniūcta esse, & à iustitia remota. At boni imperare debent, cæterisque esse superiores. An non necesse erit cæteros omnes sine honore esse, qui ciuilibus magistratibus spoliabuntur? presertim cùm honores magistratus vocemus: & si semper iidem magistratus gerant, necesse sit reliquos omni honore spoliari. An vnum qui sit sapientis- Cap. 7.

ſimus, imperare eſt melius? At hoc eſt in anguſtiorem locum imperium deducere, cùm plures qui honores nō adeant ſint futuri. Sed dicet fortaſſe aliquis, hominem eſſe qui ſummū imperium habeat: non legem pernicioſam, quę contineat & habeat, quæ in animo exiſtunt perturbationes. At ſi ſit lex, paucorū, aut populi ſtatui ciuitatis apta, quid aberit eorum quę ſunt à nobis diſputata? Sic enim aderūt ea mala omnia quæ ſuprà commemorauimus. Atque aliorum quidem alia ſit ratio & diſputatio. Multitudinem autē imperare oportere potius, quàm optimos qui pauci ſint, explicari, & in quadā quæſtione verſari, ac fortaßis verum eſſe videatur. Fieri enim poteſt, vt multi, quorum quiſque non ſit vir bonus, tamen illos virtute anteeant, cùm vnum in locum conuenerint, non vt ſinguli quidem, ſed vt vniuerſi. quemadmodum ſolēt eſſe lautiores cœnæ eæ, quæ ex ſingulorū ſymbolis inſtructæ ſint, quàm quę vnius ſumptibus. Cùm enim multi ſunt, vnuſquiſque eorum particulas habet virtutis & prudentiæ: cúmque vnum in locum conuenerunt, tum multitudo ipſa inſtar eſt vnius hominis, qui multos pedes habet, multas manus, multóſque ſenſus. quod eodem modo de moribus atque ratione iudicandum eſt. Itaque multorum acrius iudicium eſt, & in rebus muſicorum, & in rebus poëtarum: propterea quòd aliam particulam, & omnes vniuerſas exquirunt & ponderant. Quinetiam viri boni differunt à quoque vulgi, quemadmodum aiūt intereſſe inter pulchros ac deformes, & inter ea quæ arte depicta ſunt, & ea quæ vera: quòd ea quæ diſperſa erant, in vnum collata & conducta ſunt. quandoquidē ſi ſeparētur, fiet vt pulchrior & præſtantior ſit huius ꝙ imaginis ocu-

lus, vt alicuius alterius alia pars. Ac illud quidem dubium est, an in omni populo, in omníque multitudine, hæc multorum, paucorúmque, qui boni sint, poßit esse distinctio. In nonnullis quidem certè perspicuum est, id non posse omnino fieri. Eadem enim ratio in belluis valebit. Quid enim inter homines quosdam & belluas interest? At in quadam multitudine nihil prohibet id verum esse quod dixi. Itaque & eam quam suprà exposuimus quæstionem, his explicari licet, & hanc quæ illi adiuncta est, quæ res in liberorum hominum & multitudinis ciuium potestate esse debeant. Hi autē sunt, qui nec opes nacti sunt, nec vlla virtute præstant: cuiusmodi hominibus & aditum patêre ad maximos magistratus, haud tutum est, quòd tum iniustitia ad iniuriam faciendam aggredientur, tum imprudentia in errorem inducētur: & negari formidolosum est, quia cùm ab honoribus arcentur multi & iidem inopes, tum ciuitas hostium plena sit necesse est. Relinquitur ergo eis libera senatus iudiciorúmque communio. Quocirca & Solon, & quidam legum scriptores suffragia libera eis dant in creandis magistratibus, & reposcendi rationem gesti magistratus potestatem, solis autem gerendi magistratus potestatem non permittunt. Vt enim vniuersi tolerabili scientia doctrináq; præditi permixti si sint cum bonis, Reipub. prosint (quemadmodum insaluber cibus coniunctus cum salubri, totum meliorem, quàm esset exiguus, efficit) at per se quisque non satis valet ad iudicandum. In hac autem Reipub. descriptione prima hæc versatur quæstio, videri eiusdem esse, & quis rectè curauit iudicare, & curare ac facere vt ægrotus ex hoc morbo cōualescat. eum autem esse

medicum. Quod eodem modo de cæteris experientiis & artibus iudicãdum est. Vt ergo medicus earum rerum quæ suæ arti subiectæ sunt, reddere rationem debet: sic cæteri rerum eiusdem generis. Medicus autem est & effector, & princeps ad efficiendum, & arte eruditus, cuiusmodi in reliquis sunt artibus. At iudicium tribuimus non minus eruditis, quàm iis qui artem ipsam tenent. Deinde eadem est ratio delectus. Nam deligere rectè, doctorum officium est: vt geometram deligere, eorum est qui geometriam: gubernatorem, eorum qui gubernandi artem tenent. Vt enim quorundam officiorum opera atque artificia cum idiotis & insciis communicata sint, at cum doctis certè magis. Ita efficitur hac quidem ratione, non esse multitudini permittendam, neque comitiorum, neque rationum reposcendarum potestatem. Sed non est certè hæc omnis vera oratio, si id quod dudum ratione confirmauimus, sit multitudo non nimis seruorum similis. Vniuscuiusque enim separatim iudicium erit, quàm doctorum, deterius: vniuersi autem aut verius, aut certè non deterius iudicabunt. & quòd de nonnullis rebus non eius vnius qui eas fecit, acrius iudicium est, quàm eorum qui res norunt, nec arte sunt prediti: veluti domus naturam, non solùm is qui ædificauit, nouit, sed is etiam qui ea vtitur, qualis est paterfamiliâs, illo verius iudicium feret. Itémque clauum melius nouit gubernator, quàm faber: & epulas conuiua, quàm coquus. Atque hanc quæstionem hoc modo licet explicare. Alia est huic adiuncta. videtur enim alienum & incommodum esse, maiores res in malorum quàm in proborum esse potestate. Rationum autem reposcendarum, & magistratuum mandan-

dorum potestas quiddam maximum est, quam in quibusdam ciuitatibus, vt dixi, populis permittunt. harum enim rerum omnium domina est concio, ad quam, & ad senatum & ad forum aditus minimo cuique censui, atque cuiuis ætati patet. Quæsturam autem gerunt, & imperatores deliguntur, maximósque magistratus adipiscuntur ij, qui primæ sunt classis. Eadem etiam ratione hæc explicari potest quæstio. profectò enim etiam hæc recta sunt. Neque enim iudex, aut senator, aut is cui ferendi suffragij ius est, imperat, sed forum, senatus, & populus, quorum pars est vnusquisque eorum quos dixi. Partem autem dico senatorem, suffragatorem, ac iudicem. Ita iure optimo maiorum rerum potestas permissa multitudini est, cùm præsertim & populus, & senatus, & forum ex multis conflata sint, censúsque horum omnium maior sit quàm singulorum, eorúmque qui pauci maximos gerant magistratus. Atque hæc quidem hoc modo exposita sint. prior autem quęstio nihil aliud tam planum facit, quàm leges salutares valere oportere, eiúsque qui præsit, siue vnus sit, siue plures, summam iis in rebus esse potestatem, de quibus leges, quoniam non facile est de omnibus omninò & totum explicare, cauere nullo modo possunt. Quales quidē esse oporteat leges eas quæ rectè feruntur, nōdum constat: sed etiam manet quæ iampridem tractata quæstio est. Sed necesse est, qualis Respublica sit, tales leges esse, aut perniciosas, aut salutares, iustas aut iniquas. Attamen hoc quidem perspicuum est, leges pro ratione Reipub. esse scribendas. Quod si ita est, illud perspicuū est, eas quæ ad rectam formam Reipublicæ accommodatæ erunt, salutares ac bonas:

quæ ad Reipub. mutationem, perniciosas & malas necessariò futuras.

Cap. 8. Cùm autem omnium artium & scientiarum finis & extremum in bonis est, tum vel maximè, atque in maximis bonis est finis eius, quæ omnium tenet principatum, cuiusmodi est ciuilis scientia. Ciuile autem bonum ius est, id est, quod publicè prodest. Omniũ autẽ sententia ius æquabile quiddam est, estq; quatenus libris philosophiæ in quibus de vita & moribus disputatum est, assentiãtur. Nam & quid esse ius, & inter aliquos esse, cõcedunt: & iis qui pari sunt cõditione, æquabile esse aiunt oportere. Quarum autem rerum sit æquabilitas, & quarũ inæqualitas, quoniam de eo dissensio est, & ad philosophiam ciuilem pertinet, intelligere debemus. Dicet enim aliquis fortasse, tribuendos esse honores inæqualiter pro omnium bonorũ præstantia & excellentia, si modò par sit reliquorum causa, nulláque sit eorum in cæteris dissimilitudo. Eorum enim qui dissimiles ac dispares sint, aliud esse ius, aliud id quod sit pro dignitatẽ tribuẽdum. Ac si ita res est, melior quædam erit conditio eorum qui & colore, & magnitudine, & quouis bono excellent. Quod perspicuè falsum esse, in cæteris artibus & scientia perspici licet. Neque enim si qui sint pari arte tibiarum præditi, maior danda est copia & excellentia tibiarũ iis qui maiore loco nati erunt, quippe qui non sint tibiis melius vsuri: sed ei demùm qui vsu tibiarum præstat, maior etiam instrumẽtorum danda præstantia est. Quòd si nondum perspicuum factum est quod dixi, ita demùm erit, si rem etiã dilatare velimus. Si quis enim sit, qui arte tibiarum excellat, multùm autem nobi-

litate generis aut pulchritudine superetur, etsi maius bonum sit vnumquodque illorum, nobilitatem dico & pulchritudinem, quàm ars tibiarum: & pro portione duo hæc bona magis arti præstent tibiarum, quàm ille in arte tibiarum excellat, tamen huic insignes ac præstantes tibiæ debent tribui. Debet enim ad opus atque munus tibiarum, & opum & nobilitatis excellentia conducere. nunc autem nihil conducit. præterea hac quidem ratione omnia bona cōferri inter se possent. Si enim quædam magnitudo excellat, omninò etiam magnitudo similis erit, & cum diuitiis ac libertate comparabitur. ita si hic virtute excellat, & plus omninò virtutis præstet magnitudo, certè comparari inter se poterunt omnia. Nam si hæc magnitudo illam superet, perspicuum est hanc esse alicui parem. Quod quoniam fieri non potest, profectò in ciuili ratione, non de quauis causa impari & ratione magistratuum dissensio est: nec iniuria. Non enim si alij non valent velocitate ad cursum, alij valent, idcirco horum melior, illorum deterior cōditio esse debet: sed in iis demùm ludis qui gymnici appellātur, harum rerum excellentia gloriam præripit. Ex quibus autem constat ciuitas, de iis necesse est esse dissensionem. Itaque iure optimo omnis de honore, nobilium, liberorum hominum & diuitum contentio est. Debent enim, vt liberi esse, sic censum conferre. Neq; enim ex ciuibus qui omnes inopes sint, vt nec ex seruis constare ciuitas vllo modo potest, & si hæc adesse debent, certè & iustitia & virtus bellica, quippe cùm sine his habitari ciuitas nō possit. verùm superioribus rebus sublatis, nec stare, nec sine his rectè habitari ciuitas vllo pacto potest. Atque quod ad ciuitatis statum attinet,

aut de omnibus, aut de nonnullis certè, horum rectè controuersia videtur esse. quod autem ad vitam honestè degendam attinet, de institutione ac virtute maximè, iure optimo, quemadmodum suprà dictum est, disceptari potest. Quando autem nec æqua rerum omnium portio ad eos qui sunt re aliqua solùm pares, peruenire debet, neque inæqualis ad eos qui re aliqua impares sunt: certè omnia illa Reipub. genera optimum Reipub. statum transeãt necesse est. Dixi quidem suprà, omnes iure quodammodo disceptare, non omnes omninò iure contendere: diuites, quòd plus agri occupant, cùm agri sint communes: & præterea, quòd in pactis & conuentis citius ferè eis habetur fides: liberos autem & nobiles, quòd eorum similis cõditio est. Ciues enim habendi sunt potius nobiles quàm ignobiles, & nobilitas apud omnes domi est in honore & precio. Et quod verisimile est, præstantissimum quenque ex præstantissimis natum esse. quippe cùm nobilitas generis sit virtus. Eodémq; modo virtutem dicemus in controuersia versari. Iustitiam enim ad communionem & societatem aptam esse dicimus, quam cæteræ necessariò comitantur. Quinetiã plures cum paucioribus de honore contendunt, præsertim cùm & superiores & opulentiores & meliores sint, quatenus plures cum paucioribus conferũtur. Quòd si omnes, vt boni, vt diuites, vt nobiles, & præterea alia quædam multitudo ciuilis, vnam vrbem incolant, sit'ne futura inter eos contentio, nécne, qui potissimùm imperare debeant, quæstio est. In vnoquoque quidem genere ciuitatum earum quas dixi, iudicium sine controuersia est, qui præesse debeant: quòd iis qui summam habent potestatem, inter se

differant. Alia enim quòd à locupletibus, alia quòd à bonis viris gubernetur, itémque vnaquęque reliquarum. Sed tamen si vidēdum est, cùm hæc in eodem tempore concurrunt, quo tandem modo explicanda sint: si ij pauci sunt numero, qui virtute prędití sint, quomodo explicandum erit? aut si paucitas ex officio ponderanda erit & spectanda, an Rempublicam administrare poßint: aut tantáne sit multitudo, vt ex iis ciuitas constare poßit. Est etiam quæstio de iis omnibus qui de ciuilibus honoribus disceptant. Nihil enim æquitatis habere videbitur eorum oratio, qui se dignos principatu opum magnitudine iactabunt, neque eorum qui generis nobilitate. Perspicuum est enim, si quis rursus cæteros vincat opibus, eum hoc iure cæteris imperare oportere. Quod eodem modo fiet, si quis generis nobilitate præstet iis qui de libertate contendent. Quod idem profectò fiet virtutis ergô in iis etiam Rebuspub. quæ sunt in potestate optimorū. Si quis enim cæteris virtute & bonitate antecellat, iis qui in rectione Reipublicæ boni viri sint, eum oportebit hac iuris formula summam habere potestatem. Quocirca si multitudo principatum tenere debet ob eam causam, quia multi paucis meliores sunt: ita fiet, vt si vnus vel plures vno, multis autem pauciores, alios bonitate vincant, eos potius præesse oporteat, quàm multitudinem. Ex quibus omnibus illud certè perspici potest, horum finium & quasi terminorum nullum esse, ex quo rectè ipsi se dignos imperio, cæteros autem in ipsorum esse imperio spectari putent oportere. Etenim & contra eos qui principatum ex virtute spectari volunt, & contra eos qui ex opibus, multitudinum iusta quædam proferri poterit

oratio. Nihil enim prohibet interdum paucos à multis, non vt singuli sunt, sed vniuersi, bonitate opibúsque superari. Itaque huic nonnullorum quæstioni hoc modo occurri potest. Quærunt enim quidam, vtrum scriptor legum in ferendis legibus, quas æquissimas esse velit, cùm id quod dixi accidit, optimi cuiusque, an plurium vtilitatem sibi debeat proponere. Quod autem rectum est, ęquabiliter intelligendum est. Quod verò æquabiliter rectum est, id ad totius ciuitatis & communem ciuium vtilitatem referendum est. Porrò ciuis publicè is est, qui imperare & parêre potest: in quaque autem Repub. alius atque alius est ciuis. In optimo verò ciuitatis statu, is qui & potest & vult imperare ac parêre, vt vita ex virtute degatur.

Cap. 9. *Si quis autem est, qui tam præstanti sit virtute, aut plures vno, sed qui iustam ciuitatis formã præbere & explere non queant, vt reliquorum omnium virtus, & ratio ciuilis cum illorũ si plures sint, aut si vnus sit, cum illius vnius virtute & ratione non sit comparanda: ij certè non sunt in ciuitatis parte numerandi. iniuria enim eis inferetur, si pari sint conditione, cùm tã impar in eis & virtus & ratio ciuilis insit. Hũc enim talem hominem par est quasi Deum inter homines haberi. Quocirca cũ leges necessariò iis dentur, qui sint pari & genere & virtute, fit vt eiusmodi homines lege nulla teneantur. Sibi enim ipsi legis vim & nomen obtinẽt: quum præsertim stultus sit futurus is, qui eis leges velit præscribere, quòd ea commemorare certè possint, quæ ait Antisthenes, leones respondisse leporibus, cùm in concione omnium parem conditionem esse æquum iudicarent. Itaque ostracismum, id est exilium ad quoddam*

tempus, instituunt ob eam causam quæ à populo reguntur ciuitates, quòd solæ ex omnibus æquitatem persequuntur maximé. Quocirca eos qui opibus, & multitudine amicorum, aut alia aliqua potentia ciuili excellere videntur, in exilium mittunt, eiiciúntque ad quoddam tempus è ciuitate. Fama est etiam Herculem ab Argonautis ob eandem causam relictum esse, quòd Argo nollet remis cum cæteris incitare: quasi verò dignitate nautas longè multúmque superaret. Itaque nō omnino qui tyrannidem, atque Periandri quod dedit Thrasybulo consilium vituperant, rectè reprehendere putandi sunt. Aiunt enim Periandrum nihil responsi dedisse ei caduceatori, qui ad eum missus erat de consilio, summa autem papauera decußisse, atque humo adæquasse. Itaque cùm rei euentus ignarus caduceator, quid accidisset renūciasset, intellexisse Thrasybulum, summum quenque virum esse tollendum. Hoc enim non solùm è re est tyrannorū, neque tyranni soli faciunt, sed tam in ciuitatis statu qui est in paucorum, q̃ in eo qui est in populi potestate, fit eodem modo. Nam ostracismus idē valet ac efficit quodammodo, quod prohibere superiores, atque in exilium mittere. quod faciunt & obseruant in ciuitates & in gentes iij qui potētes sunt, vt Athenienses in Samios, Chios & Lesbios, quos contra fœdus oppresserunt, vt primùm imperium tenuerunt. Persarum autem rex Medos & Babylonios, aliósque populos qui animos sustulerant, quòd interdum imperium obtinuissent, sæpe fregit. At quæstio hæc ad omnes Reipub. formas rectas pertinet. Nam quæ optimum statum ciuitatis transeunt, id faciunt suo quæque ducta commodo. Quanquam est eadem ratio earum

quæ communi omnium vtilitati consulunt: ídque in cæteris artibus & scientiis perspici licet. Neque enim pictor in animante quam pinget, pedem feret aptam membrorum compositionem superantem, ne si pulchritudo quidem excellat: neque nauium faber puppim, aut vllam aliam partem nauis: nec denique præsultor eum qui maiorem clariorémque sonum edet toto choro, sinet vnà canere: Ita nihil prohibet eos qui soli imperant conspirare, vnúmque sentire quod ciuitates: si modò id faciant tum cùm ipsorum imperium omnium vtilitati consulit. Est igitur in iis excellētiis de quibus inter omnes constat, iusta quadam ex parte ciuiliter ea quæ de ostracismo habita oratio est. Ac melius est quidem eum qui leges scribat, iam ab initio ita constituere Rempublicam, vt ne sit hac tali regula dirigenda: quod in ciuitatibus minimè fiebat. non enim domesticæ vtilitati seruiebant, sed seditionibus commotæ ostracismi vsum inducebant. Ac in iis quidem Reipublicæ generibus quæ modum iusti imperij excedunt, perspicuum est id priuatim prodesse ac iustum esse. Æquabile autem ius non esse, neque ius omninò, id etiam perspici licet. Sed in optimo ciuitatis statu magna quæstio est, non quidem cùm præstantia est cæterorum bonorum, vt virium, vt opum, vt multitudinis amicorum, sed si quis virtute antecellat, quid tandem faciendum sit. Neque enim illud quidem dicant, eiiciendum pellendúmque talem esse ciuem, neque verò eum in imperio alterius esse oportere. Similiter enim facient, vt si diuisis imperiis dignos se qui Ioui imperent, esse censeant. Relinquitur igitur, id quod naturale videtur, omnes huic tali æquis animis parêre oportere, vt

ſit eiuſmodi ciuitatibus imperium ſempiternum.

His autem expoſitis, percommodè ad locum de regia poteſtate veniemus: quandoquidem hanc vnam eſſe dicimus ex iis generibus Rerumpub. quæ rectè conſtitutæ ſunt. Vtrum autem è re ſit & Reip. quam optimè adminiſtrari oporteat, & loci, nécne, parêre regi, ſed alteri potius: an aliquibus cõducat, aliquibus non conducat, videndum eſt. Primũ verò explicandum eſt, vtrum vnũ eſt eius genus, an plura. Atq; id quidem facilè perſpici poteſt, & plura genera cõplecti regalem poteſtatem, & non eandem eſſe imperij formam omniũ. Nam in Rep. Lacedæmoniorum quanquã videtur regia poteſtas, vna ex omnibus maximè quæ legibus parent, nõn tamen penes eam ſumma eſt omniũ rerum poteſtas, ſed tum, cùm fines imperij egreſſus eſt rex, principatum rerum bellicarum tenet: & præterea quæ ad deorũ cultum pertinent, permiſſa ſunt regibus. Hæc igitur regalis poteſtas quaſi munus quoddã eſt imperatorium, liberum ac perpetuum. Neq; enim in eo ius necis erat, niſi in quadam parte regiæ poteſtatis, quẽadmodum quondã cùm in hoſtes expeditio ſuſcipiebatur. Id quod Homerus indicat. Agamemnon enim cùm malè audiret in concionibus, æquo animo ferebat: cùm autem eductus erat in prælium exercitus, necis ac mortis in eo poteſtas erat. Ait enim, Cap. 1.

Quem verò pugna timidum ipſe excedere cernam,
Ille canum morſus non ſi vitarit hiantes,
Vulnificóſve auium laniato corpore rictus,
Propterea tutus poterit ſperare ſalutem.
Eſt mihi nanque necis ius, eſt mortiſque poteſtas.

Atque hoc quidem genus regiæ poteſtatis, imperium eſt

per omne tempus ætatis: quæ ita diuiſa eſt, vt aliæ à genere quaſi hæreditario iure ducantur, aliæ deligantur. Eſt præterea aliud genus imperij cui vnus preeſt, quales ſunt apud nonnullos regiæ Barbarorum poteſtates. Earum autē quanquam eadem eſt poteſtas quæ tyrannorum, ſunt tamen legitimæ, patrióque more capiuntur. Nam quoniam gentes natæ ſunt ad ſeruitutem, & Barbari Græcorum, & Aſiatici eorum qui accolæ ſunt Europæ, haud grauatè ferunt domini principatum. Ac tyrannidi quidem ob id ipſum finitimæ ſunt: minus autem periculoſæ, quia patrio more natæ ſunt, ac lege conſtant. Ob eámque cauſam regia cohors, non tyrannica dicitur: quoniam reges à ciuibus armis defenduntur, tyranni autem à peregrinis & exteris. Cùm enim lege illi, & volentibus, hi inuitis & recuſantibus imperent, fit, vt reges à ciuibus præſidium habeant, tyranni in ciuium perniciem comparent. Ac duo quidem hæc ſunt vnius dominatus genera. Aliud autem eſt, quo veteres Græci quos Æſymnetas vocant, vtebantur. quod quidem genus nihil aliud eſt, niſi quoddam tyrannorum imperium ad quod ſuffragiis peruenitur. diuerſum illud quidem genus à Barbarico, non quòd minus lege conſtet, ſed quia non patrio ſit inſtituto comparatum. Hoc autem imperium in nōnullis per omnem vitam manebat: in aliis certis quibuſdam tēporibus officiíſq; definiebatur. vt Mitylenæi aliquando Pittacū contra exules delegerunt, quibus Antimenides & Alcæus poëta prefectus fuerat. Alcęus autē Pittacum delectum eſſe tyrānum in quodā opuſculo indicat. Reprehēdit enim eos, quòd Pittacum magnis laudibus afficientes impoſuerint tyrannum, pernicioſum ciuem

eius vrbis quæ nihil ſuis rebus acerbis commoueretur. Atq; hæ quidem ſpectant, & ſpectarunt, quia tyrannorum imperio ſunt ſimiles, ad ſeruile imperium: quia autem ſuffragiis & voce mandabantur, ad regias poteſtates pertinent. Quartum autē genus regalis poteſtatis fuit heroum temporibus, voluntarium, patrium ac legitimum. Quia enim beneficia primi conferebant in plebem, vel docendis artibus, aut in bello, aut quia propagabant fines, aut dabant agros, vltro conſtituebantur reges, erántque iis qui acceperant, patria hęc imperia: permiſſa autem erat eis ſumma rerū bellicarum, & ſacrorum eorum quæ ſacerdotum non erant propria: & præterea ius dicebant, quod faciebant alij iurati, alij non iurati. Iuſiurādum autem erat ſceptrum ſublatum. Atque hi quidem olim & negotia vrbana, & quæ intra fines imperij & quæ extra gerenda erant, perpetuò adminiſtrabant: pòſt cum alia ipſi reges relinquerent, alia plebs etiā adimeret, cęteris quidem in vrbibus ſacra relicta ſunt ſolis regibus. Apud quos autem iure poſſumus dicere regiā eſſe poteſtatem, rerum tantummodo bellicarum leges extra fines imperij ſummam retinuerunt.

Regalis ergo poteſtatis genera hæc ſunt, quatuor numero. quorum vnum erat heroum temporibus, idq; voluntarium erat illud quidem imperium, ſed quædam certæ res præſcribebantur. Nam & imperator erat rex & iudex, rerúmque diuinarum ei cura commiſſa erat. Secundum genus eſt barbarorū, ídque imperium ad ſeruile deflectit, éſtque legitimum & hæreditarium. Tertium eſt, quam Æſymnetiam vocant, quæ eadem poteſtas tyrannorum eſt, ad quam ſuffragiis aſcenditur. Quartum eſt Lacedæmo- Cap. 11.

niorum, quod genus est nihil aliud, nisi perpetuus rerũ bellicarum hæreditario iure sumptus principatus. Atque hæc quidẽ hoc modo inter se differunt. Quintum genus regiæ potestatis est, cùm in vnius potestate sunt omnia: quemadmodum vnaquæq; gens & vnaquæque ciuitas eo modo instituta est, quo rei familiaris disciplina. Vt enim prudentia domestica quædã regia familię potestas est, sic regalis potestas ciuitatis est & gentis vnius aut maioris re familiari. Duo quidem ferè sunt regiæ potestatis genera nobis explicanda, hæc ipsa, & Lacedęmoniorũ, præsertim cùm multæ ex aliis his interiectæ sint, veluti ij qui in paucos habẽt imperiũ, ad eam pertineant, quæ omninò regia dicitur: ij autem qui in plures, ad Lacedæmoniorũ Remp. Ita fit, vt hęc omnis in duobus versetur quęstio: quorum alterum est, Sit'ne è Repub. imperatorem esse perpetuũ. atque id an ex genere, an ex certa parte. Alterum, vtrum vtile sit vnum summam omnium habere, nécne, potestatem. Atque hic de tali imperio locus, legum magis speciem pre se fert, quàm Reip. quandoquidem id in omnibus formis Reip. contingere potest. Itaque pretermissa regia potestate, altera cognoscenda est, & tractandæ de ea quæstiones sunt, cum sit Reipub. genus. Initium autem hinc capiemus, Sítne vtilius optimo viro parêre, an optimis legibus? Iis quidem qui vni parendum esse putant, leges videntur semel ac omnino dicere, non præscribere ea quæ euenire possunt. Ita ius scriptum in quauis arte valere & imperare, stultum est. Et in Ægypto quatriduo pòst, medicis agitare licet ac mouere: sin prius, ipsorum fit periculo. Perspicuum est quidem, eum qui scripto & legibus gubernatur, non esse ob

eam causam optimum statum ciuitatis. In iis autem qui præsunt, illa quæ de toto genere dicit, inesse debet ratio. Sed in quo non inest omnino ea pars animi quæ perturbationibus agitatur, id melius est, quàm id cui natura est attributa: quæ & in lege non inest, & in hominis animo necessariò est. Sed dicet aliquis, hominem de rebus singulis huius rei loco deliberaturum esse sapientius. Illud ergo perspicuum est, eum scriptorem legis esse necessariò, & ferri leges non quæ valeant quatenus modum transeunt, alioqui in aliis rebus valere debent. Sed in iis quæ lex nequit omnino aut non rectè distinguere, vtrum vnus qui præstantißimus sit, an multi imperare debeant, quæstio est. Etenim hoc tempore docti & intelligentes ius dicunt, sententiam dicunt & iudicant, cum iudicia omnia fiant de rebus singulis. Ac qui per se ac solus secum quanuis rē communicabit, fortasse aberrabit: ciuitas autē constat ex multis. vt epulum, si dentur & conferantur symbola, vni ac simplici præstat. Ob eamq; causam acrius est multitudinis de multis rebus, quàm vnius de quaque re iudicium. Præterea vt rei alicuius, veluti aquę, copia minus corrumpi solet: sic multi difficilius quàm pauci corrumpuntur. Vnus autem si iræ, aut alicui alij perturbationi succumbat, iudicium corrumpatur necesse est. At illic difficile est vniuersos iracundia concitari, aut aberrare. Sint autem multi liberi, qui nulla in re à lege discedant, nisi in quo parum distet necessarió. Quòd si in multis hoc inuentu difficile est, at si multi sunt boni viri & ciues, id quæri potest, vnúsne minus corrumpi queat in imperio, an potius plures numero, qui boni viri sint, an perspicuum est plures illos?

At inter illos seditiones orientur, ille vnus liber erit à seditionibus. Quanquam hoc modo resisti occurríque potest huic loco, illos plures ita bene animo, vt hunc vnum, esse constitutos. Quòd si in multorum imperio, sed qui boni viri omnes sint, optimorum potestas intelligi debet: & in vnius, regia potestas, certè ciuitatibus magis optanda est optimorum quàm regalis potestas, siue cum potestate coniunctum sit, siue ab ea seiunctum imperium. Ob eámque causam fortaßis quondam parebant regibus homines, quòd pauci erant viri qui multum virtute præstarent, præsertim cùm illis temporibus perpaucæ ciuitates cœtus hominum celebrarent. Iam beneficentia reges constituit, quod est bonorum virorum officium. Postea verò quàm multi pari virtute extiterunt, non iam reges tulerunt, sed quiddam commune quæsiuerunt, rémquepub. constituerunt. Cùm verò degenerassent, rémquepublicam quæstui habere cœpissent, tum demũ quia in precio & honore opes erãt, consentaneum est natos hinc esse paucorum principatus. Ex his primùm in tyrannos conceßit summa rerum: à tyrãnis in populum. Semper enim in pauciores turpi questu ducti Rempub. transferentes, res populi firmiores reddiderũt, ita vt impetus fieret, popularísque potestas existeret. Posteaquã verò ciuitates coaluerunt, profectò haud iam facile fuit aliud Reip. præter populare genus inducere. Quòd si quis ciuitatibus regiam potestatẽ optimam cõmodißimámque esse statuat, quo tandem in loco res erunt liberorum? an etiam genus regnare oportebit? At si existant qualescunque res feret, id oberit Reip. An non regnũ liberis talibus, cum plus poßit, traditurus est? At non est tuta huius rei fi-

des. Est enim id perdifficile, maiorísque virtutis, quàm vt ea in hominis naturam cadat. Hoc etiã dubitationem habet, ísne qui regia potestate sit præfuturus, circũ se vim & armatos habere debeat, quibus poterit eis qui detrectabũt imperium, vim adhibere, vt pareant? aut quo tandem modo imperium administrare poßit? Vt enim legitimam habeat potestatem, nihílque arbitratu suo cõtra leges faciat, tamen in eo vis & potentia qua leges tueatur, insit necesse est. Ac ea quidem quæ ad hunc talem regem attineant, haud difficilia sunt ad explicandum. Debent enim copiæ ei dari, sed tantæ, vt eis vnumquenque ac plures vno coërceat, à multitudine autem coërceatur. Id quod veteres obseruabant, ij qui cohortem dederunt tum cum quendam in ciuitate delegerunt, quem Æsymneten aut tyrannum appellabant. Et Dionysio, cum cohortem peteret, consilium dedit Syracusanis quidam, vt tantam darent.

Nunc hic locus postulat, vt de rege, qui ex libidine & arbitratu suo gerit omnia, disseramns. Rex enim is qui ex lege nominatur, non est genus, vt dixi, regiæ potestatis, propterea quòd in omni genere Reipub. vt in optima & in populari, perpetuum rerum bellicarum imperium potest existere. Multi etiam sunt, qui vni totius quasi iurisdictionis imperium tribuãt: cuiusmodi est quidam Epidamni principatus, atque etiam Opunte quadam parte minor. Nunc autem de absoluta omnibus imperij partibus regia potestate agimus, in qua ex libidine sua rex gerit administrátque omnia. Quorundam autem sententia, non in vno vult esse natura ciuium omnium potestatem, vbi ex iis quorum par est conditio, constat ciuitas. Nam cum inter eos quos pares Cap. 12.

natura fecit, idem ius intercedat, ob eámque causam necesse sit eis eandem à natura tributam esse dignitatem, efficitur, vt si obsit corporibus, eos qui non sunt pari magnitudine, tantundem cibi capere, tantámque vestem sumere, eadem etiam sit ratio honorum. Quod eodē modo, si ęquales non tantundem capiant, iudicandum est. Ita nihilo magis æquum est imperare quàm parêre. Vicißitudinis igitur imperandi & parēdi eadem est ratio. Atqui hoc iam lex est, cum sit lex descriptio. Optabilius est ergo, vt lex præsit, quàm vnus aliquis ciuis. Hac eadem ratione si quos imperare melius est, ij certè præficiendi sunt, qui & leges tueantur, & eis pareant. Nam cum aliqui, qui præsint, debeant esse necessariò, non tamen vnū hunc præesse æquum esse confirmant: præsertim si omniū sit par conditio. Quinetiam quæ lex explicare nequit, ne homo quidem cognosse poterit: sed cum rectè lex docuit, tum instituit vt reliqua magistratus sententia æquißima iudicēt & administrent. Iam verò viam & rationem ostendit, qua quicquid vsu peritis visum erit satius esse iis legibus quæ scriptæ sunt, corrigant. Qui ergo legem præesse vult, is velle videtur, Deū ac leges imperare. Qui autem vult hominē, is etiam belluā adiungit, cum præsertim tale quid sit cupiditas: & iracundia & magistratus, & optimus quisque à recta via detorqueantur. Quapropter lex est aliud nihil, nisi mens à cupiditatibus libera. Exemplum autem quod de artibus affertur, falsum est, quòd ex scripto curari perniciosum est: quinetiam optabilius est, iis vti qui præditi sunt illis artibus. Hi enim nihil amicitia ducti contra rationis præscriptionem faciūt: qui etiam cum pristinam valetudinem re-

stituerint, mercedē ab ægrotis se negant accepturos. Illi autem in ciuilibus magistratibus multa & ad offensionē, & ad gratiam soliti sunt facere. Alioqui cum suspicātur medicos ab inimicis adductos mercede corrūpi, tum curationem à libris petere mallent. Atqui medici cum ægrotant, alios medicos sibi adhibent: & magistri ludi cum exercentur, alios artis magistros, quasi verè iudicare non poßint: propterea quòd tum cum in perturbatione sunt, de rebus suis ferant iudicium. Ex quo perspicuum est, eos tum cum ius inuestigant, quia lex mediocritas est, mediocritatem quærere. Præterea quia plus valent, & in rebus maioris ponderis versantur leges quæ moribus comprobatæ sunt, iis quæ scripto constant, fit, vt si homo qui præest, tutior iis sit legibus quæ scripto cōstant, at nō iis certè quæ more approbantur, non scriptis. At verò quia vnus non facilè potest omnia munera sustinere, plures principes qui ab illo imponantur, esse oportebit. Ita quid intererit, ídne iam ab initio fiat, an hoc pacto vnus instituatur? Pręterea id quod suprà dictum est, ꝙ vir bonus quia præstātior est, dignus est principatu. Atqui vni duo boni anteponūtur. Id est enim quod dici solet, Si duo conueniant. Et Agamemnonis optatum,

Sint mihi bis quinque excellenti mente.

Sunt etiam hodie imperia & magistratus, qualis est iudex, quorum est de quibusdam rebus iudicium, quas lex non potest distinguere, quòd nunquā optimè lex nec ea pręscribere, nec distinguere potuisset: quandoquidem quę ipsa potest, nemini dubium est, ea quin præscribat. Sed quoniam alia sunt quæ legibus circunscribi possunt, alia quæ non possunt, hæc ipsa sunt, ex quibus hæc nata quæstio

est, vtrum melius sit optimam legem praeesse, an optimum virũ. Nam ferri leges non possunt de iis rebus quae cadunt in deliberationem. Non ergo cõtradicunt, non esse sumendum hominẽ necessariò, qui de rebus eius generis iudicet: sed hoc vnum efficiunt, non vnũ esse, verùm multos: quippe cum vnusquisque qui imperabit, à lege doctus & eruditus, rectè sit iudicaturus. Illud etiam absurdum videatur, esse aliquem qui acrius cernat duobus oculis, & duabus auribus iudicet, duobúsq; pedibus ac manibus melius aliquod negotium conficiat, quàm multos pluribus: praesertim cum etiam nunc ij qui soli imperãt, multos sibi oculos, multas aures, manus ac pedes faciant. Eos enim quibus & imperium charum est, & ipsi chari, socios imperij ac consortes faciunt: quorũ qui amici non sunt, eius qui solus pręest, qui amici, & illius, & imperij voluntati obtemperabunt, cum sit amicus par ac similis. Ita si hos imperare putat oportere, pares ac similes praeesse putat oportere eodem modo. Atque haec ferè sunt, quae contra regiam potestatem dicunt in vtranque partem: quorum alia in quibusdam valent, alia non item. Est enim quiddam seruilis imperij, natura, & aliud regis, & aliud ciuile ius & commodum. Tyrannorum autem non est naturale, neque reliquarum formarum Reipub. quae verae modum transeũt, quippe quae fiant repugnante natura. Sed illud quidẽ ex iis quę dicta sunt perspicuum est, neque vtile esse, neque ius, inter pares ac similes vnum esse, cuius imperio omnes pareant, siue leges non extent, siue existant boni ciues, ísq; sit bonus: siue perniciosi sint, & ille improbus: neque verò si is virtute, nisi quodam modo, praestabit. Quis autem sit modus,

dicendum eſt, quanquam iam de eo ſuprà diximus. Primùm autem explicandum eſt, quæ ſit multitudo quæ regali poteſtati, quæ generi optimati, quæ ciuili pareat. Ac regiæ quidem poteſtatis multitudo eſt, quæ nata eſt ad perferēdum genus quod præſtanti virtute eſt ad ciuilem principatum. Reipublicæ autem quæ eſt in optimorum poteſtate, multitudo eſt, quæ apta eſt ad ferendos multos, imperióque liberi populi parêre poßit, ad ciuile imperium iis qui virtute ſunt principes. Ciuilis autem multitudo eſt, quæ cùm in ea multitudo etiam vna eſſe ſoleat, ad rem bellicam apta, & parêre & imperare poteſt ex lege, quæ inopibus honores tribuat pro dignitate. Cùm igitur accidit, vt aut genus totum, aut etiam vnus ex cæteris tantum excellat virtute, vt & illius & cæterorum virtutem ſuperet, tum ius eſt genus illud eſſe regium, cuius ſit omnium ſumma poteſtas, eúmque vnum eſſe regem. Nam quemadmodum ſuprà dixi, non ſolùm eam vim habet id ius quod proferre ſoliti ſunt ij qui Reſpublicas fundarunt, & qui eas quæ in optimorum, & qui eas quæ in paucorum, & rurſus eas quæ in populi ſunt poteſtate. Omnes enim eas ex præſtantia & excellentia exiſtimandas eſſe cenſent: at non eandem excellentiam afferunt, ſed vt ſuprà diximus. Neque enim interficere, aut exilio in perpetuum mulctare, aut ad quoddam tempus, hunc talem certè decet, neque parêre velle vicißim: præſertim cùm pars natura toti non præſtet, quod in eum cadit, in quo tanta inſit excellentia. Relinquitur ergo ſolùm, vt & huic tali omnes pareant, & hic non vicißim & quadam ex parte, ſed omninò ſummam rerum teneat. Ac regia quidem

potestas quot genera complectatur, & vtrum è Republica sit nécne, & quibus vtilis sit, & quatenus, satis sit explicatum. Quoniam autem tria genera Rerumpublicarum, quæ rectè cōstitutæ sint, esse dicimus, earum optimam necesse est esse eam quæ ab optimis geratur: cuiusmodi ea est in qua vel vnus aliquis cæteris virtute præstat, aut totum genus, aut multi: quorum alij parêre, alij imperare possint, ad optimum vitæ genus persequendum. Et quoniam superiore libro demonstratū est, eandē esse necessariò viri ciuísque optimæ Reipub. virtutem, profectò eadem ratione iisdémque rebus vir bonus efficitur, quibus ciuitas ea quæ optimati aut regali genere administretur, constitui potest, vt sit futura eadem ferè disciplina, eadémque consuetudo, qua vir bonus & sapiens & qua ciuis & Reipublicæ & regiæ potestatis efficiatur. His autem ita constitutis, iam dicendum est quo tandem modo optimus ciuitatis status & esse & constitui posit. Locus ergo quē sumus deinceps tractaturi, in ea re totus versabitur.

ARISTOTELIS DE REpublica Liber IIII.

Cap. I. IN omnibus artibus ac scientiis iis quæ non in parte, sed in toto aliquo genere perfectæ versantur, vni propositum est ad cognoscēdum, quid cuique generi conueniat. veluti quę cuique corpori vtilis, quæque optima sit exercitatio. (Etenim qui optimè sit corpore constitutus, naturæque bonis & adiumentis instructus, ei exercitatio optima conueniat ne-

cesse est) & que vna plurimis. Est enim hoc gymnasticæ officium. Præterea si quis sit, qui nec affectionem, nec scientiam expetat iustam eorũ quæ subiecta sunt gymnasticæ, nihilominus est eius qui gymnastica præditus est, hanc ipsam vim efficere. Quod idem & in medicina, & in fabrica nauali, & in sartoris, & in omni alia arte, videmus contingere. Ex quo perspicuum est, eiusdem esse artis opus, & quis optimus ciuitatis status sit cognoscere, & quis si adsit, ex sententia succedat maximè, vt nihil casus & fortuna in eum poßit: & quis quibus conueniat maximè, quoniam multi optimum nancisci certè nequeunt. Ita optimum ciuitatis statum omnino, eúmque qui ex subiectis rebus optimus intelligitur, nec scriptor legũ ignorare, nec is qui verè ciuilis est, debet: nec præterea tertium, qui ex causa optimus intelligatur. Nam & certa quædam cùm proponitur, initio, quemadmodum instituatur, cognoscendum est, & instituta quomodo diu stare poßit. Vt siqua ciuitas nec optimo statu vtatur, eíque sit rerum etiam necessariarũ penuria, nec vti poßit, vt eius res sunt, sed quodam potius miseriore. Sed cognoscenda est præterea ea Respublica, quæ ciuitatibus aptißima est, vt ij tradiderunt, qui de Republica suam dicunt sententiam: qui vt alia præclarè dicant, at certè ab vtilitate discedunt. Non enim optimus solùm ciuitatis status cognoscendus est, sed is etiam, qui talis esse potest: itémque is qui cæteris facilior est, patétque latius. Nunc alij extremum statum, eúmque cui magna rerũ abundantia sit opus, tantũmodo exquirunt. alij cùm eam dicunt quæ latius manat, Respub. quæ extant, euertũt: Lacedæmoniorũ, aut ali-

quam aliam laudant. Sed ea demùm inducenda ciuitatis descriptio est, cuius societatem facilè iis opibus quæ suppetant, adducti homines, & probabunt, & tueri poterunt, quòd non minoris negotij est Rempu. restituere, quàm instituere ab initio: vt discere iterum, quàm ab initio discere. Quocirca præter ea quæ dicta sunt, is debet qui scientia ciuili instructus est, iis etiam quæ stant Rebuspu. (vt diximus) opitulari. quod facere is qui ignoret quot sint Reipu. genera, nullo pacto potest. Nunc autem populi paucorúmque potestatem tantũmodo nonnulli esse putant: quod cùm falsum sit, cognoscenda sunt Reipub. genera, & quot modis inter se misceantur. quibus cognitis, & optimæ leges cognoscendæ sunt, & quæ cuique Reipu. aptæ sint. Accommodandæ sunt enim ad Respubli. leges cùm feruntur, & omnes accommodant, non ad leges Respub. Nam & Respubli. descriptio est ciuitatibus data, quemadmodum magistratus mandentur, quídque in Republi. summam habeat potestatem, ac quis cuique societati sit propositus finis. & leges seiunctæ sunt ab iis quæ Rempub. exponant, quarum præscripto ij qui præsunt, & imperare debent, & eos qui illas violant cauere. Hoc ergo perspicuum est, tenenda esse vniuscuiusque Reipub. genera, vt legum ferendarnm peritia atque ratio teneatur. Neque enim eædem possunt vsui esse iis omnibus Rebuspub. quæ in paucorum & populi sunt potestate. siquidem plures sunt, non vna Respu. in qua populi summa potestas est: itémque ea non vna est, quæ est in potestate paucorum.

Cap. 2. Quoniam autẽ superiore libro docuimus tres esse Resp. quæ rectę sint, regiã potestatem, optimatum, & Remp. ea-

rúmque tres mutationes, tyrannidem regiæ poteſtatis, paucorum poteſtatem optimorum poteſtatis, & populi poteſtatem eius quæ omninò Reſpubli. diceretur: quoniámque & de optimate & de regali genere dictum eſt, (nam de optimo ciuitatis ſtatu diſſerere, aliud eſt nihil, niſi de iis rebus quæ illis nominibus declarantur: quippe cùm vtraque conſtitui ex virtute ſeipſa contenta debeat) & præterea quid interſit inter eam quæ eſt in regum poteſtate, & quando regia poteſtas eſſe putanda eſt: reliquum eſt, vt de ea quæ communi nomine Reſpub. appellatur, & de ea quæ eſt in paucorum, & de ea quæ eſt in populi, & de ea quæ eſt in tyranni poteſtate, diſſeramus. Ac illud quidem perſpicuum eſt, omnium harum mutationum quæ ſit deterrima, quęque ſecundas teneat. Primæ enim, quæque diuina eſt maximè, mutatio deterrima ſit neceſſe eſt. Regalis autem poteſtatis aut ſolum nomen manet, cùm res nulla ſit: aut propter magnam præſtantiam extat eius poteſtas, qui vt rex imperat. Ita fit, vt tyrannis quæ deterrima eſt, plurimùm abſit ab Repu. ſecundo loco ea quæ eſt in poteſtate paucorum: quoniam ea quæ eſt in optimorum poteſtate, ab ea plus diſtat, quàm ea quæ Reſpu. dicitur. medium locum popularis obtinet. Iam quidē aliquis ante me ita ſuam de hac re ſententiam expoſuit, ſed non eadem qua ego ratione ductus. Ille enim omnium earum quæ bonæ ſunt, vt paucorum poteſtatis quæ bona eſt, cęterarúmque omnium, populi poteſtatem eſſe deterrimam, vitioſarum optimam eſſe iudicauit. Nos autem omninò has à bono ciuitatis ſtatu deſciſcere dicimus. nec populare genus aliud alio melius eſſe rectè dicitur, ſed minus malum dicendum eſt. Sed hoc iudicio nunc

omiſſo, nobis primùm exponenda ſunt Rerumpub. genera. ſiquidem multa ſunt genera eius Reipu. quæ eſt in populi, & eius quæ eſt in paucorũ poteſtate: deinde quæ latiſsimè pateat, quæque ſecundum optimam ſit expetenda maximè, & ſiqua alia eſt in poteſtate optimorum, præclarè fundata & conſtituta, ſed quæ apta ſit plurimis ciuitatibus, quænam illa ſit: deinde ex reliquis quæ quibus expetenda ſit, explicandum eſt. Aliis enim populare genus magis neceſſarium eſt quàm paucorum poteſtas, aliis contrà paucorum aptior eſt. Tum demonſtrandum eſt, quemadmodum is qui has Reſpu. genera dico populi paucorúmque poteſtatum, probare velit, conſtituere debeat. Poſtremò cùm horum omnium mentionem quàm poterimus breuiſsimè faciemus, tum conabimur exponere, quibus rebus & euertantur Reſpu. & conſeruentur tum communiter omnes, tum priuatim ſingulæ, & quibus ex cauſis hæc omnia naſcantur maximè.

Cap. 3. Ac multæ quidem Reſpublicæ ex eo natæ ſunt, quòd multæ ſunt partes cuiuſque ciuitatis. primùm enim ex familiis omnes ciuitates conſtare cernimus, deinde ex hac multitudine alios opulentos neceſſariò, alios tenues, alios medium locũ obtinere. Ex locupletibus & tenuibus quoſdam ad arma aptos, quoſdam non eſſe. Videmus etiam ex populo alios ad agriculturam natos eſſe, alios in mercatura, alios in ſordidis artibus verſari. Eorum etiam qui ſummo loco nati ſunt, quędam ſunt diſsimilitudines ac differentię: alióſque opibus præſtare videmus, nonnullos facultatum copia, vt equos alant, quod non eſt facile factu iis qui opibus non abundant. Itaque olim quibus ciuitatibus poſitæ

erant in equis copiæ & diuitię, apud eas vigebant eæ Respublicæ, quæ sunt in potestate paucorum. Vtebantur autem equis aduersus finitimos hostes, vt Eretrij, Chalcidij, & Magnetes, ij qui Mæandrum incolunt, multíque populi Asiæ. Iam verò ex iis dißimilitudinibus quæ ex diuitiis sumuntur, alia ex genere, alia ex virtute ducitur: & si quid tale ciuitatis pars esse debet, expositum est tum, cùm de Republi. quæ est in optimorum potestate diceremus. Illic enim disseruimus, ex quot quæque ciuitas necessariis constaret partibus. Earum enim partium aliàs omnes, aliàs pauciores, aliàs plures ad societatē ciuilem pertinent. Ex quo perspicuum est, multas esse Respublicas necessariò, quæ inter se specie differant, cùm præsertim hæ ipsæ partes specie inter se differant. Cùm enim Respubli. sit magistratuum descriptio, quibus mandandis omnes aut facultates eorum qui eos adipisci possunt, sequantur: aut communem quandam ipsorum æqualitatem, veluti tenuiorum, aut locupletum, aut quandam quæ inter illos cō munis est: efficitur necessariò tot esse Respub. quot sunt excellentiarum & dißimilitudinum partium descriptiones. Sed duę esse maximè vidētur. vt enim vētus dicitur alius Aquilonaris, alius Australis, alij eorum mutationes: sic Respub. duæ sunt, ea quæ est in populi, & ea quę est in paucorum potestate. Eam enim quæ est in potestate optimorum formam ponunt paucorum potestatis, tanquam sit quædam paucorum potestas: & eā quæ Respublica vocatur, ad populi statum referunt. vt ventos, Zephyrū Aquiloni, Austro Eurum attribuunt. Quod idem fit in concētibus, quorundam sententia. Illic enim duo ponunt genera, Dorium

& Phrygium. confusiones autem quasdam Dorias, alias Phrygias nominant. Atque illi quidem ita de Rebusp. sentire solent. Cùm autem verius atque aptius, vt nos explicauimus, duæ sint, aut vna certè quæ præclarè constituta sit, reliquas mutationes esse dicamus alias eius concentus qui aptè compositus est, alias optimi status ciuitatis: quarũ eæ quæ nimium contentæ sunt, & propius & nimis ad dominatum accedunt, paucorum potestates: remissas autem & molles, populares vocamus.

Cap. 4. Non est autem statuendum populare ciuitatis genus, quemadmodum solent quidem hoc tempore omnino, hoc modo, id in quo summa est potestas multitudinis, cùm præsertim in paucorum potestate, & vbique, maior pars summam habeat potestatem. Si enim omnes essent mille & trecenti, eorúmque mille summas opes haberent, neque trecentos qui pauperes & liberi essent, cæteráque pares ac similes essent, in magistratuum societatem vocarent: certè hos nemo populari imperio parêre dicat. Paucorum etiam potestas ducenda non est ea, in qua pauci Reipub. præsunt. quòd si pauci essent illi quidem inopes, copiosis autem qui plures sint meliores, nemo paucorum potestatem appellet: nec hanc talem, si cæteri locupletes sint, neque ad honores aditus pateat. Popularis igitur status ciuitatis potius tum habendus est, cùm liberi: & paucorum, cùm diuites summam rerum tenent. Sed accidit vt illi multi sint, hi pauci, propterea quòd liberi multi, diuites pauci sunt. Etenim si in mandandis magistratibus vel magnitudinem sequerentur, vt in Æthiopia, quemadmodum aiunt quidam, aut pulchritudinem, paucorum potestas esset. Est enim parua

& pulchrorum & procerorum hominum multitudo. Veruntamen ne his quidem ſatis accuratè hæ Reſpublicæ definiuntur: ſed quoniam multæ ſunt & populi & paucorũ poteſtatis partes, etiam intelligendum eſt, non eſſe populare ciuitatis genus, ſi liberorum hominum ſit paucitas, qui maiori parti non liberorum hominum imperent. Velut Apolloniæ quæ eſt in Ionio, & Thoræ: in quarum vtraque vrbe, honores adibant iÿ qui nobilitate præſtabant, & qui primi ex multis, cùm pauci eſſent, colonias obtinebãt. Popularem etiam ſtatum non faciunt diuites, ex eo quòd numero præſtent. vt Colophone quondam, vbi multi ante bellum Lydium magnas opes habebant. Sed tum demum populare ciuitatis genus eſt, cùm liberi ac tenues homines plures ſunt, ſummámque habent imperiÿ poteſtatem: paucorum autem poteſtas, cùm locupletes & nobiles, qui pauci ſunt. Ac Reſpublicas quidem plures eſſe, quámque ob cauſam, dictum eſt. Cur autem plures ſint, quàm quæ dictæ ſunt, quæque ſint, & quamobrem, dicamus. In quo initium repetendum altius videtur. Cõcedimus enim, non vna parte, ſed pluribus quanque ciuitatem contineri. Vt enim ſi animantium genera inſtitueremus intelligere, primùm id quod neceſſe eſt omne animal habere diuideremus, vt nonnullas partes in quibus ſiti ſunt ſenſus, & partem quæ conficit cibum, quǽque accipit, cuiuſmodi eſt os & ſtomachus: præterea, quibus partibus vnumquodque animal moueatur. quòd ſi tot ſolùm ſint genera, horum differentias explicaremus: veluti ſi oris ac ſtomachi plura eſſent genera, & partium earum in quibus ſenſus eſt ſedes, earúmque quæ motum cient, profectò coniugationis earum numerus multa ani-

mantium genera necessariò faceret. quoniam fieri non potest, vt idem animal plura oris & aurium genera complectatur: vt cùm sumentur eorum omnes quæ possunt esse coniunctiones, facturæ sint animalium genera, & tot animantium genera, quot sunt necessariarum partium coniugationes: sic fit in Rebuspublicis, de quibus diximus. Etenim ciuitates non ex vna, sed ex multis, vt sæpe dictum est, partibus constant. Ac vna quidem pars est eorum, qui in cibo præparando occupati sunt, quos agricolas nominamus: altera eorum qui in sordidis artibus versantur, sed sine quibus ciuitas coli & frequentari nullo modo potest. Harum autem artium aliæ necessariæ sunt, aliæ viuendi, aut bene viuendi gratia comparatæ sunt. Tertium genus est mercatorum, qui in emptionibus, venditionibus, mercaturis, & cauponandi arte versantur. Quartum eorum qui operas suas locant. Quintum genus est eorum qui bellum gesturi sunt, quod non minus est quàm illa necessarium, si modò iis qui aggrediuntur seruire nolint. Non enim fieri potest, vt ciuitatis nomine ea rectè appelletur, quæ nata est ad seruitutem, cum præsertim ciuitas satis munita, & seipsa contenta sit: & quod seruit, nō sit seipso contentum. Itaque in politia splendida est, non satis accurata de hac re oratio. Ait enim Socrates, ex quatuor necessariis constare ciuitatem, quos vocat, textorem, aratorem, sutorem, & architectum. Adiungit præterea, tanquam hæc satis multa non sint, fabrum ærarium, eósque quorum vita omnis in pecudibus necessariis occupata est, mercatorémque, & cauponem. Atque hæc sunt omnia expletio prioris ciuitatis: quasi verò rerum necessa-

riarum causa omnis sit constituta ciuitas, non honestarum potius, cùm fortè temerè sutores & agricolas desideret. Eos autem qui ad bellum deliguntur, non antè in parte ciuitatis ducit, quàm auctis imperij finibus & finitimis eam attingentibus ad bellum disponantur. Atqui necesse est in iis qui quartam ciuitatis partem explent, & quibuslibet sociis esse aliquem, qui ius dicat. Quòd si animus animantis potius pars quàm corpus putandus est, certè qui ad bellum delecti sunt, quíque iustitiæ quæ iudiciis procuratur, societate tenentur, in partibus ciuitatum numerandi sunt potius, quàm ea quæ ad necessarium vsum pertinent. Quod eodem modo iudicandum est de eis, qui consilium capiunt de rebus ciuitatis, quod est prudentiæ ciuilis officium. atque hæc vtrum separatim nonnullis attribuantur, an ne iisdem, nihil interest, cùm præsertim ferre arma, & colere agros sæpe iidem soleant. Ex quo perspicuum est, si & hæc illa habenda sunt in partibus ciuitatis, eos etiam qui arma ferunt, in parte ciuitatis ducēdos esse necessarió. Septimū autem genus est eorum qui facultates ministrant & impendunt, quos locupletes vocamus. Octauū est eorū qui publica negotia gerunt, & qui gerunt magistratus. siquidem ciuitas sine magistratibus stare nullo modo potest. Necesse est igitur esse quosdā qui præesse poßint, & Rēp. his officiis vel semper, vel vicißim administrent. Reliqua autē sunt genera, de quibus modò disseruimus, eorū qui cōsilium dant, & ius dicunt iis inter quos iuris controuersia est. Quòd si hæc in ciuitatibus esse debent, & coniuncta esse cum honestate & æquitate, profectò aliqui sint ex

ciuibus necesse est, qui virtutis sint compotes. Atq; alię in iisdem habilitates inesse possunt, multorum sententia. Veluti iidem ad rem militarem apti aratores & opifices, & prætereа qui consilium dent, iúsque dicant. Sumunt autem sibi virtutem omnes, ac permultos imperare posse existimant: at tenues & locupletes iidem esse non possunt. Itaque inopes ac copiosi in partem veniunt ciuitatis maximè: præterea quia ferè fit vt hi pauci sint, illi permulti, hæ certè partes ciuitatis inter se contrariæ videntur. Quocirca Respub. ex horum præstantia statuunt, & definiunt. Ac duo Reipub. genera videntur esse, ea quæ in populi, & ea quæ in paucorum est potestate. Ac multa quidem esse Reipu. genera, & quamobrem, iam suprà dictum est. Esse autem etiam plebis & paucorum potestatis multa genera, dicamus. Quanquam hoc ex iis quæ dicta sunt, perspici licet. Sunt enim & plebis multa genera, & eorum qui nobiles vocantur. vt plebis genus vnum est aratorum, alterum eorum qui artes tractant, tertium eorum qui in emptionibus venditionibúsque versantur. aliud eorum qui mare adeunt, quod genus in multa alia diuisum est. Nã alij in mari bellum gerunt, alij pecuniam faciũt, alij portitores sunt, alij piscatores. Multis enim in locis vniuscuiusque horum magna est turba: vt Tarenti & Byzantij piscatorum, eorum qui triremes incitant Athenis, mercatorum Æginæ & in Chio, portitorũ in Tenedo. Pręterea sequuntur operarij, & ij qui tam paruas opes nacti sunt, vt non poßint esse in ocio. Postremum genus est eorum qui ex vtroque parente ciue libero non sunt nati, & si quod tale aliud plebis genus est. Patriciorũ autem genera faciũt opes, nobilitas, virtus,

disciplina, & quæ horum dicuntur dissimilitudines. Ac populare quidem genus quod primùm dicitur, ex æquitate ducitur maximé. Æquum enim ait esse lex eius popularis potestatis, nihilo plus posse tenues locupletibus, nec locupletes maiorem cuiusquam rei habere potestatem, sed vtrosq; pares esse. Si enim libertas in populi potestate, vt quidam existimant, viget maximè, & æquabilitas, certè hoc ita demum fiet, si omnes ex æquo in Reipublicæ societatẽ veniant. Et quia plebis maior est numerus, valétque id quod maiori parti visum est, efficitur necessariò hanc esse populi potestatem. Atque hoc quidem vnum est populare ciuitatis genus. Alterum est, cum in mandandis magistratibus censum sequuntur: qui cum paruus sit, ei qui nactus est, permissa est potestas adipiscendi magistratus: ei qui amisit, non adipiscendi. Tertium genus est, cùm ciuibus omnibus aditus ad honores patet, iis qui culpæ non sunt affines, lex autem præest. Aliud genus popularis status est, cum omnes magistratus adipiscuntur, si tantummodo sit ciuis, legi autem obtemperant. Aliud est, cum omnia eadem sunt, nisi quòd multitudo, non lex imperat. Id quod fit, cùm plebiscita valent, non lex: quod genus populares inuehunt in Rempublicam. Nam in iis Rebuspub. populi, quæ legibus reguntur, non popularis quisquam existit, sed optimates imperant. Vbi autem non valent leges, ibi populares existunt. populus enim illic solus principatum tenet, vnus ex pluribus conflatus, quoniam multi tenent imperium, non vt singuli sunt, sed vt vniuersi. Homerus autem vtrum hoc popularis imperij genus improbet, an cum multi sunt qui præsunt singillatim, incertum est. Atque hic quidem

talis populus, qui ſingulare tenet imperium, vult ſolus princeps eſſe: propterea quòd legi non pareat, exiſtítque in eo dominandi cupiditas. Quocirca aſſentatores ſunt apud eum in honore & precio: atque hic talis populus ſimilitudine ad tyrannorum imperium accedit. Itaque iiſdem ſunt moribus, & vtrique ineſt bonis dominandi cupiditas. & quemadmodum plebiſcita illic ſunt, ſic hîc præſcriptiones. populariſque idem eſt, qui aſſentator: & vtrique valent plurimùm, aſſentatores quidem apud tyrannos, populares apud plebem eius generis. Iſti autem faciunt, vt plebiſcita valeant, non leges, dum ad populum omnia referunt. Fiunt enim magni propterea, quòd & ſumma eſt populi poteſtas, & in ipſis eſt populi ſita ſententia. Morem enim gerit populus eorum voluntati. Iam verò quoniam ij qui magiſtratus in ius vocant, populi de eo iudicium eſſe contendunt, & populus libenter cauſæ dictionem audit, fit, vt magiſtratus tollantur omnino. Iuſta autem eius reprehenſio videatur, ſi quis hanc talem populi poteſtatem eſſe dicat, non Rempub. quippe cum vbi non valent leges, ibi nullus ſit Reipublicæ locus. Nam & in rebus vniuerſis leges valere debent, & de rebus ſingulis proprium magiſtratuum reíque publicæ iudicium eſt. Ex quo perſpicuum eſt, ſi popularis poteſtas in numero reponenda ſit Rerumpubli. at eam certè in qua decretis omnia adminiſtrantur, indignam eſſe quæ iurè popularis poteſtatis appelletur nomine, cum præſertim decretum nullum de toto genere poßit dicere. Ac popularis poteſtatis genera ſic expoſita ſint.

Cap. 5. Eius autem quæ eſt in paucorum poteſtace, genus vnum eſt, cum in magiſtratibus adi-

piſcendis ratio facultatum habetur tanta, vt tenues, quorum magnus eſt numerus, non poſsint adipiſci: & licet ei qui habeat tantas opes, ad Rempubli. accedere. Alterum genus eſt, cum magiſtratus ex paruo cenſu mandantur, & eos quibus deeſt, ipſi deligunt. Ac ſi ex his omnibus creent, id potius ad genus quod eſt in poteſtate optimorum, pertinere videatur. Sin ex certis quibuſdam, ad eam quæ eſt in paucorum poteſtate pertinet. Tertium genus eſt, cum liberi loco patris accedunt ad Rempubli. Quartum, cum id ſit quod modò dictum eſt: & mos geritur non legi, ſed iis qui imperant. Atque hoc genus ex altera parte reſpondet iis quæ ſunt in poteſtate paucorum, quemadmodum tyranni iis imperiis quæ vnus gubernat: & ea populi poteſtas, de qua poſtremò dixi, aliis generis eiuſdem. Itaque hanc talem populi poteſtatem dominatum vocant. Atque hęc ſunt tot genera populi, paucorúmque poteſtatis. Intelligendum eſt autem, multis locis vſu venire, vt Reſpubli. in qua leges valent, ne ſit popularis, cum interim moribus inſtitutiſque popularibus gubernetur. Itémque rurſus apud alios Reſpubli. quæ legibus paret, popularis eſt, genere autem vitæ & conſuetudine ad paucorum poteſtatem propius accedit. quod mutatione Rerumpub. fit maximè. Non enim mutant continuò ſtatum ciuitatis, ſed primùm contenti ſunt ſi paulùm aliquid alij aliis amplius habeant. Quocirca cum leges ſtant, quæ prius latæ erunt, tum ij valent qui ſtatum mutant ciuitatis.

Ex iis autem quæ dicta ſunt, perſpici licet, tot eſſe genera populi, paucorúmque poteſtatis. Nam quoniam neceſſe eſt aut omnes populi partes quas expoſuimus, cõmunione Cap. 6.

Reipub.teneri,aut quasdam teneri,alias non teneri: cum genus eorum qui colunt agros,& qui moderatas ac tenues opes nacti sunt, Reipubli.præerunt,eam ex formula legum administrabunt. Si quid enim agāt operis,eis vita victúsque suppetet,cùm interim nihil agere non poßint. Ita cùm legem sibi preficiunt,conciones necessarias cōuocant. Aliis autem ita ad Rempub.licet accedere,si censum quem leges præscribunt,nanciscentur. Omnino enim non licere omnibus magistratus adipisci,proprium est popularis status ciuitatis. Vt autem in ocio viuatur,fieri non potest,nisi facultates suppetant. Atque hoc quidem vnum genus populi potestatis ex his causis extitit. Alterum autem genus natum est ex ea,quæ tenetur magistratuum creatione. Nam omnibus iis quorum generis crimen nullum in eos profertur, ad honores aditus patet, si modò vitam tranquillam & ab opere liberam agere poßint:ob eámque causam in hac tali populi potestate leges valent,quia nulli sunt fructus. Tertium genus est,cum licet omnibus ad Rempub. accedere, qui liberi sint,& propter causam quam dixi, non accedere. Ita in hac quoque lex valeat necesse est. Quartum genus popularis status est,eius quod superioribus temporibus in ciuitatibus extitit. Nam quia multo potentiores & maiores euaserunt vrbes iis quæ initiò fuerant, & magna opum copia suppeditauit,omnes Rempub.capessunt propter nimiam multitudinem,in Reipub. autem societatem & ad gubernacula veniunt,propterea quòd etiam inopes accepta mercede cessare non possunt. Cessat autem hæc multitudo vel maximè,quòd nihil eam rerum suarum cura impedit,quæ locupletes impedit,vt sæpe nec in senatum ve-

niant, nec ius dicant. Ita tenuiorũ multitudo valet in Rep. non leges. Ac popularis quidem potestatis his de causis tot sunt ac eiusmodi genera necessarió. Paucorum autem potestatis primum genus est, cum multi habent opes, sed tenuiores, non admodum magnas. Licet enim ei qui nactus est, ad Rempub. accedere, & quia magnus numerus est eorũ qui Rempub. administrant, necesse est non homines, sed leges valere. Quò enim longius absunt ab vnius dominatu, neque tantas habent opes vt gerere negotiũ negligant, neque tam tenues vt publicè alantur, eò magis legem præesse, non se, volunt. Quòd si minor sit eorum numerus quibus suppetant facultates, & id genus sit quod prius, sed maior sit numerus, tum alterum paucorum potestatis genus est. Cum enim plus poßint, cupiditate augendarum opum tenentur. Itaque ex aliis eos qui ad Rempub. accedunt, deligunt: & quia nondum ita firmæ sunt eorum opes, vt sine lege præsint, eam legem ferunt. Si autẽ minor pars maiores opes habeat, tertium genus paucorũ potestatis existit, cum ipsi per se illi quidem magistratus gerunt, ex lege autem quæ vult mortuorum liberos succedere. Cùm autem maioribus etiam opibus excellunt, & amicorum multitudine, tum hæc potestas ad singularem principatum proximè accedit, túmque hominum summa est, non legum potestas: ídque vocatur quartum paucorum potestatis genus, quod extremo popularis status ex altera parte respondet.

Sunt præterea duæ Respu. præter populi paucorúmque potestatem, quarum alteram & omnes nominant, & nos appellauimus, vnum ex quatuor generibus Reip. Appellant autem quatuor, regiam potestatem, paucorũ, populi, & Cap. 7.

optimorum. Quinta est ea quæ communi omnium nomine appellatur. Remp. enim vocant: sed quia rarò existit, nõ est eis cognita, qui numerum Rerump. tradere conantur, cùm quatuor tantummodo vtantur, vt facit Plato in Politia. Iure quidem optimorum potestatem eam de qua superioribus libris disputatum est, appellauimus, cùm præsertim ea Respub. quæ omnino ex optimis viris constat, non quadam ex parte, at causa bonorum hominum, sola rectè optimorum potestas vocetur. Cùm enim in hac vna idem sit omnino vir bonus, qui ciuis; ij qui in cæteris boni sunt, ex sua ipsorũ Rep. nominãtur. Quãquam sunt quædam, quæ ab iis quæ paucorum dominatu tenentur, & ab ea quæ Resp. dicitur, differunt, vocantúrque optimorũ potestates. Vbi enim non opum modò, verũetiam virtutis habetur in deligendis magistratibus ratio, hæc ipsa Respub. ab vtraque distat, appellatúrque potestas optimorum. Etenim in iis, in quibus publicè virtutis ratio nulla ducitur, tamen sunt nonnulli in honore, & quorum de virtute opinio est. Ergo qua in Rep. opibus, virtuti, populóque mandantur magistratus, qualis est Carthaginensium, ea est in optimorũ potestate: eáque in qua duorum tantummodo ratio habetur, vt Lacedæmoniorum, Respu. quæ virtutis & populi solùm rationem ducit. Ita in ea duarum harum, populi, optimorúmque potestatis coniunctio est. Ac eius quidem quæ est in potestate optimorum, præter primum optimum ciuitatis statum, hæc duo genera sunt: tertium explent eæ, quæ Respublicæ vocantur, siquando ad paucorum potestatem magis videantur deflectere.

Cap. 8. Reliquum est, vt de ea quæ Respub. communi omnium

nomine appellatur, ac de tyrannide disseramus. Sic autem descripsimus, cùm neque hæc, neque eæ optimorum potestates quæ modò cõmemoratæ sunt, mutationes essent, propterea quòd reuera omnes ab optimo ciuitatis statu deflexerunt: deinde quòd cum his enumerantur, súntque earum hæ mutationes, quemadmodum initiò diximus. Postremò consentaneum est de tyrannide disserere, quòd ex omnibus hæc vna indignißima est Reipublicæ nomine. Cur hunc ordinem seruaui, dictum est. nunc de Repub. disputandum est, cuius vis & natura planior est, quòd iam exposita sint quæ ad paucorum popularémque statũ pertinent. Est enim Respublica paucorum populíque potestatis commixtio. Solent autem Respublicæ vocari eæ potestates quæ ad populi potestatem inclinant, & eæ quæ ad paucorum, potius optimorum potestates: propterea quòd in iis potius qui plus opibus valent, disciplina & nobilitas soleat existere. Præterea habere locupletes videntur ea quorum gratia iniurij alios violant. Itaque & pulchros & bonos & nobiles eos appellant. Quoniam igitur hoc vult & agit ea quæ in optimorum potestate est, vt optimis ciuibus præstantia tribuatur, fit, vt eæ etiam quæ sunt in paucorum imperio, ex bonis clarísque constare dicantur. At fieri non potest, vt ea Respub. quæ ab optimis gubernatur, bonis legibus pareat, & pareat ea que à malis: itémq; vt ea optimis pareat, quæ bonis legibus minimè pareat. Neque verò bonarum legum descriptio habenda est, si leges bonæ scriptæ sint, & salutares, neque eis pareatur. Itaque vna est ducenda bonarum legum descriptio, si scriptis pareatur legibus. Altera est, scriptas esse præclarè, quibus pareatur.

quippe cum obtemperare liceat etiam malè latis. Quod duobus modis fieri poteſt: aut optimis quæ in illos ferri poſſunt, aut omnino in optimos. Ea autem Reſpub. quæ ab optimis regitur, in eo poſita eſt maximè, ſi honores pro virtute & dignitate tribuãtur. Nam & optimati generi quaſi finis ac terminus, virtus propoſita eſt, & paucis opes, & populo libertas. Quod autem maiori parti viſum ſit, valet in omnibus. Nam & in paucorum & in optimorum & in populari ſtatu, quicquid maiori parti placet, id ratum eſt. Ac in permultis quidem ciuitatibus genus Reipub. vocatur, quoniam ſola locupletum & inopũ, diuitiarum libertatíſque coniunctio exquiritur, & ferè copioſi bonorum ac proborum partes obtinent. Quoniam autem tria ſunt, quæ de æquabilitate Reipub. diſceptant, libertas, opes, & virtus (nam quartum quod vocant nobilitatem, ex duobus cõſequens eſt: præſertim cũ vetus nobilitas in diuitiis ac virtute poſita eſſet) certè duorum, locupletum & tenuiorum copulatio dicenda Reſpub. eſt: & trium, optimorum poteſtas vna ex cæteris maximè, prima illa & vera exepta. Ac eſſe quidem alia Reipubli. genera præter regalem, popularem, paucorúmque poteſtatem, demonſtratum eſt. Illud etiam perſpicuum eſt, quæ ea ſint, & quid inter ſe optimorum poteſtates, & Reſpub. ab optimorum poteſtate differant, & inter eas non eſſe magnas diſsimilitudines.

Cap. 9. *Quemadmodum autem ex populi paucorúmque poteſtate ea quæ Reſpub. vocatur, oriatur, quóque modo ſtatuẽda ſit, deinceps dicendum eſt. ex quo perſpicuum erit, quos fines & quaſi terminos populi paucorúmque imperium cõſtituant. Eſt enim earum ſumenda diſtinctio: deinde ſum-*

pta ex vtraq; earum ea re in qua similes sunt, commisceri debent. Sunt autem tres compositionis ac cōmixtionis termini. Aut enim vtrunque eorum de quibus vtraque potestas leges sanxit, sumendum est, vt de iudiciis: quoniam in ea Republica, quæ est in paucorum potestate, diuitibus mulctam dicunt, nisi iudicent, & inopibus mercedē nullam cōstituunt: in ea autem quæ à populo regitur, contrà inopibus mercedem, diuitibus nullum damnum: quod vtrūque quoniam commune est illarum, & medium, idcirco ad eam quæ Respub. dicitur, pertinet: ex vtraque enim mixta est. Atq; hic vnus est coniugationis modus. Alter autem est, cùm medium sumitur eorum quæ vtrique præscribunt, vt in concionem venire, in quo alteri aut censum nullum, aut certè perexiguum, alteri magnum sequuntur. Commune quidem earum neutrum est, sed medium vtriusq; census. Tertius modus fit ex duabus præscriptionibus, partim ex paucorum potestatis, partim ex populi lege. Veluti videtur popularis status propriū magistratus sortitò creare, paucorum imperij suffragiis atque voce, popularis etiam potestatis non ex censu paucorum. Optimi igitur status ciuitatis proprium est ac Reipub. ab vtraque Repub. vtrunque mutuari: vt à paucorum potestate, vocem ac suffragia in declarandis magistratibus: à populari statu, rationem non ex cēsu deligendi. Atque hic commixtionis modus est. Modus autem quo rectè inter se mixtæ erunt populi paucorúmque potestates, tum tenebitur, cùm poterunt appellari vnius Reipub. nomine. Perspicuum est enim, hoc eis vsu venire qui appellant, quòd rectè mixtæ confusæque sint. Quod idem fit in medio, propterea quòd vtrunque extremo-

rum in eo declaretur. Id quod in Lacedæmoniorum Repu. perspicitur. Multi enim eam appellant popularem, quòd multa descriptio complectatur eorum quæ popularis sint propria: cuiusmodi est primùm liberorum educatio. Eadē enim est locupletum tenuiorúmque & educatio & institutio. Eadem est etiam consequentis ætatis, & mediæ ratio. Nihil enim inter locupletem & tenuem interest. Ita in sodalitatibus victus est omnium. Vestem etiam diues & inops sumunt, quæcunque à quoque suppeditari queat. Popularis etiam status est ex duobus maximis magistratibus, alterum suffragiis creare populum, alterum gerere. Nā & senes voce declarant, & Ephoratum adipiscuntur. Alij autem hanc ipsam Lacedæmoniorum Rempublicam paucorum potestati attribuūt, quòd multa eius potestatis propria habeat. Vt omnes magistratus voce creantur, nullus sortitione, & pauci mortis ac exilij pœnam irrogant: aliáque permulta. Neutrum autem, sed vtrunque in Republica confusa & mixta præclarè cohærere debet. Nam per se, suísque viribus ipsa conseruari, non externis debet: atque ita per se, non quòd multi exteri eam velint saluam esse & incolumem (esset enim Respublica vitiosa, etiamsi hoc præsidio niteretur) sed quòd Rempublicam aliam particula nulla ciuitatis omninò expetat. Quemadmodum quidem Respublica constituenda sit, eæque quæ optimorum imperia vocantur, diximus.

Cap. 10. Reliquum autē est nobis de tyrannide differere, nō quòd multa verba de ea facienda sint, sed vt partem institutæ disputationis consequatur. quandoquidem hanc etiam in Reipubli. parte enumerauimus. De regia quidem potesta

te ſuperioribus libris diſputauimus, tum cùm de ea quæ maxime regalis poteſtas diceretur, diſſeruimus, eſſétne inutilis an vtilis ciuitatibus, quæque & ex quibus, quóque modo conſtituenda eſſet. Tyrannidis autem duo genera expoſuimus, cùm diſputaremus de regia poteſtate, quòd vis earum quodammodo in regiam poteſtatem mutaretur, cùm lege vtraque imperia conſtarent. Nã & apud Barbaros quoſdam, imperatores qui ſoli præſunt deliguntur: & quondam apud Græcos nonnulli qui ſoli imperarent eodem modo extiterunt, quos Aeſymnetas vocabant. Sed earum quædã ſunt diſsimilitudines. Nam quòd lege conſtabant, regiæ habebantur poteſtates, & quòd ſoli volentibus imperarent: tyrannides autem erant, quòd ex libidine ſua domini ritu præeſſent. Tertium autem genus tyrannidis eſt, eius quæ maximè tyrannis videtur eſſe, quæque regiæ poteſtati ex altera parte reſpondet. Tyrannis autem ſit neceſſe eſt vnius dominatus, qui rationibus nullis geſti magiſtratus reddendis tenetur, paribúſq;, iiſque qui præſtantiores ſunt, rebus ſuis, non eorum qui parent conſulens, imperat. Itaque non eſt voluntarium imperium. Nemo eſt enim ſuæ voluntatis iuríſque vir, qui æquo animo tale imperium perferat. Ac tyrannidis quidem hæc ſunt genera.

Quis autem optimus ſtatus ciuitatis, quódque optimũ vitæ genus multis ciuitatibus, atque omnibus ſit, nec ex virtute ea ad quam priuati peruenire non poſſunt, homines iudicant: nec ex diſciplina quæ naturã fortuitámque bonorum ſuppeditationem deſideret, nec denique ex Republica quæ ex animi ſentẽtia accidit: ſed vitam eam omnes eiuſmodi intelligunt, quæ cum multis communicari poteſt: Cap. II.

& Rempu. optimam eam qua multæ ciuitates regi gubernaríque possunt. Nam quas optimorum potestates appellant, de quibus modò diximus, eæ partim à statu permultarum ciuitatum longius discedũt, partim ad eam quæ Respublica vocatur accedunt. Itaque de duabus vt de vna dicendum est. De his autem omnibus iudicium ex iisdem elementis ducitur. Si enim in libris de moribus præclarè dictũ est, beatam vitam esse eam quæ virtuti congrueret, si nihil impediat, mediocritatem autem esse virtutẽ, profectò media sit necesse est vita optima eius quam quisque assequi poßit, mediocritatis. Iidem etiam fines & quasi termini sunt necessariò ciuitatis, virtutis, vitij, ac Reipu. Est enim Respub. vita quædam ciuitatis. Ciuitas autẽ omnis in partes tres distributa est, in admodum locupletes, in valdè inopes, & in eos qui medium horum locum obtinent. Quòd si inter omnes constat, id quod moderatum est ac medium, esse optimum, profectò rerum secundarum mediocris moderatáque abundantia omnium optima est. Cùm enim facillimè rationi paret, tum qui præstanti est forma, aut viribus, aut nobilitate, aut opibus, aut cõtrà qui admodum est vel pauper, vel imbecillus, vel ignobilis, haud facilè rationi obtemperat. Nam & illorum libido aperta, atque improbitas insignis est, & horum astutia, atque leuia peccata. Atqui scelera alia ex libidine, alia ex fraude nascuntur. Iam verò minimè isti nec tribubus se, nec consilio præfici patiuntur: quorum vtrunque obest Reipublicæ. Præterea illi tum cùm fortuna nimium secunda vtuntur, vt & viribus & opibus & amicis & aliis eiusdem generis excellant, tum parere nec possunt, nec sciunt. Idq́ue malum eis à pueritia

domeſtica affert educatio. Mollitia enim licentiáque viuendi corrupti, ne in ſcholis quidem morem gerere ſolent. Quos autem nimia harum rerum inopia excruciat, abiecto demiſſóque ſunt animo. Itaque illi, vt præeſſe neſciunt, & parêre dominis tantum ſciunt, ſic illi nullius imperio parẽt, & domini ritu præſunt. Ita dominorum ſeruorúmque eſt ciuitas, non liberorum hominum. quorum hi inuidentiæ flammis ardent, illi faſtu & arrogantia elati facilè contemnunt cæteros: quæ quidem aliena ſunt & ab amicitia & à communione ciuili, cùm præſertim ad amorem idonea ſit communio. Neque enim eadem via qua inimici volunt incedere. Ciuitatis autem hæc voluntas eſt ac ſententia, vt ex quàm maximè paribus & ſimilibus cõtineatur. quod cùm in mediocribus inueniatur maximè, profectò optimè gubernetur neceſſe eſt hæc ciuitas his hominibus, ex quibus natura ciuitatem inſtituit abſoluere. Atque etiam hi ciues ex omnibus maximè in ciuitatibus ſalui & incolumes permanebunt. quòd nec ipſi alieni, vt pauperes, appetentes erunt: nec alij ipſorũ, quẽadmodum locupletũ, res tenues appetunt: & quia nec inſidiæ eis parabuntur, nec aliis parabũt, ſine metu viuent. Quocirca præclara eſt illa Phocylidis precatio, Mediocribus optima multa: cum mediocres opes habere cuperet in Repub. Perſpicuum eſt igitur, ciuilem ſocietatem eſſe optimam eam, quæ ab iis qui mediocres opes habent, & à ciuitatibus iis præclarè adminiſtrari poſſe, in quibus magna rerum mediocrium meliorúmque, ac vtrarúmque maximè, ſin minus, alterarum copia ſuppetat. Nam ſi coniunctæ ſint, & magnum momentum afferunt, & nimias rerum contrariarum copias expellunt.

Itaq; maximæ felicitatis est eos qui in Repu. viuũt, mediocres ac satis firmas opes habere: quòd vbi alij admodũ magnas nacti sunt, alij nullas, ibi aut populi summa potestas, aut paucorum immoderata, aut tyrannis certè ex vtraque nimia potestate nascitur. Etenim ex populi quæ recentissima est, & paucorũ potestate, tyrannis existit: ex medijs & finitimis multò minus. cuius causam mox, cùm de mutationibus Rerump. agẽdum erit, afferemus. Perspicuum est autem, eam que medium locũ tenet, cæteris esse anteponendã. Sola enim vacat seditionibus. Nã in quibus Rebusp. multum est moderationis, in iis minimæ seditionũ & dissidiorum tempestates solent existere. Atque magnæ vrbes magis à seditionibus liberæ sunt ob eã causam, quòd in eis dominatur mediocritas. At in paruis facile est omnes in duas partes diuidere, vt nihil mediũ relinquatur, sintque omnes vel pauperes, vel opulenti. Atq; eæ etiam quæ in populi potestate sunt Respub. iis sunt quæ à paucis gubernantur, & propter eos qui mediocres moderatásque opes habẽt, & firmiores & diuturniores. Maior est enim eorum numerus, & sæpius ad honores eis patet aditus in iis quæ populari, quàm quæ paucorum dominatu tenentur. Aliter, cùm sine his numero vincunt tenues, hîc & scelera existunt, & illi citò euertũtur. Quod hinc etiam sciri potest, quia optimus quisq; legum scriptor mediocres opes habuit. Testis est Solon qui in iis fuit, quod in versibus suis declarat: testis Lycurgus, (neq; enim rex fuit) testis Charondas, & fere alij pleriq;. Ex quibus etiam perspicuum est, quid sit cur pleræque ciuitates partim in populi, partim in paucorum ditionem redactæ sint. Nam quoniam persæpe in iis parua est

eorũ qui mediocres opes nacti sunt multitudo, semper vtrilibet vincant, siue ij qui ipsas opes habent, siue plebs: ij qui modum opum transeunt, Rempu. ad se & in suam ditionem redigũt, vt vel paucorum, vel populi potestas existat. Præterea quoniam seditiones & bella nascuntur inter populum ac locupletes, vtrilibet vincant hostes, communem Rempub. non constituunt, neque æquabilem: sed victoriæ premium in eo ponunt, si in Repu. sint principes, atq; illi populi, hi paucorũ opes résque confirmant. Præterea qui Græciæ tenuerunt imperium, cùm suæ vtrique reipub. rationem ducerent, partim eorum populare genus in ciuitatibus constituerunt, partim paucorum, in quo non reipu. rationibus, sed suis ipsorum seruierũt. Quibus rebus effectum est, vt aut nunquam moderata illa & temperata respu. aut raro & apud paucos existeret. Vnus enim modò eorum qui anteà principatum obtinuerunt, hoc sibi in animum induxit, hanc Reipub. descriptionẽ exprimere. Iámque hic mos animos eorum qui ciuitates incolunt, quasi occupauit, vt pares esse nolint: sed vel superiores esse volunt, vel victorum ferre seruitutẽ. Illud ergo perspicuum est, quis sit optimus status ciuitatis, quáque de causa. Reliquarum autem Rerumpub. quoniam multa populi paucorúmque potestatis genera fecimus, quæ prima ponenda sit, quæ secunda, & ita deinceps quæ melior, quæ deterior sit, exposita optima, facile est videre. Quo enim quęque propius ad hanc accedit, eo melior: quo lõgius abest, eo deterior est. nisi ex causa quis iudicet. Dico autem ex causa, quòd etsi alia Respub. anteponenda sit, nihil tamen prohibeat Rempub. illam nõnullorum rebus, rationibúsque magis conducere.

Cap.12. Quæ autem Respub. quibus vtilitati sit, sequitur vt disseramus. Ac primum quiddam de toto genere Rerumpub. intelligendum est, meliorem ac præstantiorem partem eam quæ Rempub. saluam & incolumem stare velit, ea quæ nolit, esse oportere. Constat autem Respub. omnis ex qualitate & quantitate. Qualitatem autem voco, vt libertatem, vt opes, vt disciplinam, vt nobilitatem: quantitatem, vt magnum plebis numerum. fieri autem potest, vt & qualitas insit in altera parte earum quibus ciuitas continetur, & in altera quantitas reperiatur: vt maior ignobilium quàm nobilium, aut inopum quàm locupletum numerus esse potest. at tantùm superare quantitate nō potest vlla partium, quantùm qualitate superetur. Ita hæc inter se comparanda sunt. Ac in qua Repu. tenuium numerus eā quam dixi proportionem vincit, in ea popularis status eiúsque genera omnia pro cuiusque populi maiori multitudine solent existere. Veluti si aratorum numerus vincat, primum populare ciuitatis genus: si eorum qui in sordidis artibus versantur, ac mercede conducuntur, extremum. Itémque cætera quæ inter hæc duo locata sunt. In qua autem Republica locupletum aut nobilium multitudo qualitate præstat, aut numero vincitur, in ea paucorū potestas, & vnūquodq; eius genus pro popularis multitudinis exuperantia orietur. Sed prudentis est legis scriptoris, semper in repub. constituēda eos qui mediocres illas res habent adiungere. Nam si leges paucorū statui aptas scribat, eos qui medij sunt exquirere: si eas quæ populari accōmodatæ sint, eos legibus debet addere. Vbi autem mediorū numerus, aut vtrumq; extremum aut alterum tantummodo superat, ibi

demum Respu. esse stabilis potest. Neq; enim periculũ est, ne quando locupletes cum pauperibus in hos cõiurent, præsertim cùm nulla conditione alteri vnquam adduci poßint vt alteris seruiant. Neque verò Rempu. quæ magis communi omnium seruiat vtilitati si quærant, aliã vllam inuenient. Nam & vicißim imperare nollent, quòd alterorum alteris fides suspecta erit, & arbiter fidelis est vbique vel maximè, cùm se medium gerat: & quo quæque Resp. melius confusa & temperata est, eo est permanentior. Errant autem multi etiam qui respu. eas quæ sunt in optimorum potestate fundare volunt, non solùm quia plura tribuunt locupletibus, sed etiam quòd populum in fraudem impellunt. Nam & ex iis quæ falso bona sunt, tandem aliquando vera mala nascantur necesse est: & nimirum maiores locupletum opes potius, quàm plebis, Remp. solent euertere.

Sunt autem quinque numero, ea quæ excusationis gratia in rebusspu. malitiose in populum comminiscuntur, in cõcione, in magistratibus, in iudiciis, in armis, in exercitatione. Quod ad conciones quidem attinet, hoc afferunt, in cõcionem venire omnibus licere, & dici mulctam locupletibus, aut solis, aut certè multo maiorem, nisi veniant in senatum. De magistratibus autem, aiunt iis qui opes habẽt & censi sunt, eos non licere eiurare, & tenuibus licere. & in iudiciis, locupletibus fraudi esse, nisi ius dicant, inopibus autem impunè esse: aut illis magnæ fraudi, his leui. quod Charondas sanciuit suis legibus. Alicubi ius est omnibus qui professi sunt, & in concionem venire, & ius dicere. Quòd si professi & asscripti nec in senatum veniant, nec ius dicant, eis tum demùm graues mulctæ irrogantur, vt & mul Cap. 13.

cta deterriti professionẽ fugiant: & quòd non sunt professi, iudiciorum concionísque ratione priuentur. Eodem modo de armis & exercitatione leges ferunt. Nam & tenuibus licet carere, & locupletibus fraudi est. quemadmodũ tenuibus mulcta nulla, si non se exerceant, dicitur: & locupletibus dicitur, vt hi propter mulctam vires experiantur, illi quia illa minimè deterrentur, non se exerceant. Atque hæc quidem sunt, quæ malitiose & callidè ad paucorum opes confirmandas legibus sanciunt. In iis autem quæ à populo reguntur, contrà illis quasi ex altera parte hanc fraudem comparant. Nam & inopibus mercedem præbent, si in concionem veniant, iúsque dicant: & mulctam nullam dicunt copiosis. vt perspicuum sit, si quis rectè hæc miscere & temperare inter se velit, eũ oportere ea quę apud vtrosque sunt, vnum in locum conferre, vt aliis lucrum apponat, aliis mulctam dicat. Sic enim inter omnes futura est societas, & illo modo Respublica solùm est in potestate alterorũ. Respub. autem ex iis solùm qui arma habent, constare debet. census autem magnitudo, si quis omninò ac semel definiat quanta esse debeat, explicari non potest. sed ita deniq; poterit, si quis videat quò summus census progredi possit, vt eorum qui ciues sunt Reipub. maiorem numerũ, quàm eorum qui non sint, præscribat. Nam seditiosi non solent esse pauperes, iíque omnes qui ad honores non conscendunt, nisi quis eos violet, aut aliquam partem facultatum detrahat. Quanquam hoc ipsum nõ est facile factu. Neq; enim semper gratiosi sunt apud plebem, ij qui Rempublicam administrant. Atque etiam solent in bello tergiuersari, si nec res ad victum necessarias capiant, & tamen inopes sint.

quòd si quis victum præbeat, bellũ expetunt. Apud quosdam autem Respub. non solùm iis qui arma ferunt, sed iis etiam qui arma tulerunt, continetur. Atque apud Malienses Respub. ex his constabat, magistratus autem ex militibus deligebantur. Prima etiam Respublica apud Græcos exactis regibus ex belligerantibus continebatur, initiò quidem ex equitibus, quòd belli vis ac prestantia in equitibus sita sit. Nam sublata ordinum descriptione, nullus armorũ vsus est. quarum rerum quoniam olim nec vsu vllo valebant, nec dispositionem seruabant, factũ est, vt vis in equitibus consisteret. postea verò quàm vrbes creuerunt, iíquè qui in armis erant valuerunt, plerique Rempublicam cœperunt capessere. Itaque quas nunc Respub. vocamus, prisci populares potestates appellabant. Veteres autem Respu. à paucis & à regibus gubernabantur, nec iniuria. Cùm enim multi qui mediocres opes haberent, non essent propter hominum penuriam, pauci qui erant & numero, & ordinis descriptione, facilius aliorum imperium ferebant. Quamobrẽ quidẽ multa sunt Rerũpu. genera, & cur alia sint quàm quæ feruntur (neq; enim vna est modò populi potestas, neq; aliorum) præterea quæ eorũ generũ sunt dissimilitudines, & quid ita factum est, quíque sit omnium optimus ciuitatis status, & quę quibus conueniat, diximus.

De quaque autem Repu. & generatim & separatim iterum disseramus, de iisque quæ deinceps videnda sunt, vnde æquũ est, ducamus exordiũ. Sunt quidem Respubli. omnes in treis distributæ partes, quarũ cuiq; sapiens legum scriptor consulere debet: quæ si præclarè cõstitutæ sunt, Respub. bene erit constituta: quarum etiam dissimilitudines Cap. 14.

atque differentias, Reipubli. genera sequuntur. Earum trium partium vna in consilio capiendo de Repub. cernitur: altera in magistratibus, id est, qui esse, quæque eorum authoritas, & quo tandem modo creari mandaríque debeant: tertia in iudiciis & iure consistit. Ei autē parti quæ ad deliberandum valet, belli ac pacis potestas permissa est, itémque societatis faciendæ & dirimendæ, & legum, mortis, exilij, proscriptionis, atque rationum. Necesse est autem, aut ciuibus omnibus de iis rebus omnibus, aut de omnibus nonnullis iudicia permitti: vt vni alicui magistratui, aut multis & diuersis de aliis atque aliis rebus, vel nonnullis eorum de omnibus, vel quibusdam de nonnullis concessa sit iudicandi potestas. Ac de rebus omnibus iudicium esse omnium, populare est. hanc enim æquabilitatem populus exquirit. Multis autem modis omnes qui multi sint iudicare possunt: primùm si vnusquisque vicißim, non vniuersi, vt in Teleclis Milesij Repub. atque etiam in aliis Rebuspubli. magistratus omnes vnà de Repub. deliberant: magistratus autem vicißim omnes tribus partésque minimæ omnino adipiscūtur, quoad peruentum sit ad omnes. Conuenire autem solent tum denique, cū leges feruntur, & de Repub. agendum est, & relaturi sunt aliquid magistratus. Secūdo modo, cū vniuersi iudicant, & solùm conueniunt ad creandos magistratus, & leges ferendas, & cum de bello ac pace consultandum est, & rationes reposcendæ sunt: de cæteris autem magistratus cōsilium capiūt ij quibus certa munera præscripta sunt, ad quos omnes voce vel sortitione perueniunt. Alio modo, cùm ciues ad creandos magistratus vel de repetundis cōueniunt, cúmque

de bello & societate iungenda consilium capiendum est: cætera autem magistratus administrant, qui voce, quicunque possunt, declarantur: cuiusmodi sunt ij omnes, quos periti gerunt necessarió. Quarto modo, cum omnes ad res omnes iudicandas vnum in locum conueniunt, & magistratuum de re vlla nullum iudicium est, sed solùm præiudicia faciunt: quemadmodum extremus populi status nunc administratur, quem paucorum potestati, quæ ad seruile imperium spectat, & singulari imperio tyrãnorum proprio proportione respondere dicimus. Atque ij quidem modi ad popularem statum omnes pertinent. Cùm autem quidam de rebus omnibus iudicant, paucorum est potestatis. Cuius etiam multa genera sunt. Nam cum iis voce declarandis opum mediocrium habetur ratio, iíque propter moderatas opes multi sunt, nec de iis iudicant quæ lex iubet, sed ea sequuntur, licétque ei qui opes nactus sit, adipisci: tum imperium est illud quidem paucorum, sed ciuile, propterea quòd adhibitus sit modus. Cùm verò non omnium consilij capiendi potestas est, sed eorum qui suffragiis declarati, lege imperant, id etiam vt prius, imperium paucorum est. Cum porrò ij quorum est consilij capiundi deliberatio, se ipsi creant, liberíque loco patris adipiscuntur, in eorúmque potestate leges sunt, is status paucorum sit necesse est. At cum de nonnullis rebus quorundam est consilium, vt cum de bello & pace, ac de repetundis omnes consultant, de cæteris autem rebus ij qui summam habent potestatem, iíque vel voce, vel sortitò creantur: tum optimorum potestas vel Respublica est. Si verò ad consilium capiendum de quibusdam rebus suffragio, de aliis sortitò veniant: &

sortitò vel omnino, vel ex iis qui designati sint, aut publicè suffragiis vel sortitò creantur: eorum partim ad Rempub. eam quæ est in potestate optimorū, partim ad ipsam Rempublicam pertinent. Ac ea quidem pars quæ ad consultandum valet, hoc modo distincta & ad Respub. accommodata est: eaq; distinctione quodque Reipub. genus administratur. Vtile est autem ei quæ maximè videtur nūc in populi esse potestate (eam autem dico, in qua maior est populi quàm etiā legum potestas) ad melius aptiúsque cōsilium capiendū id efficere, quod in iudiciis fit, in iis Rebusp. quæ paucorū dominatu tenentur. Mulctā enim iis dicunt quos ius volunt dicere, vt iudicent: populares autem mercede ad id tenues alliciunt. Quod etiam in senatu, & in concionibus erit perutile. Nam ita denique omnes prudentius consilium capient, si in commune consilia conferant, populus cū nobilibus, & hi cum multitudine. Illud etiam vtile est, eos qui consulent, voce creari, aut certè sortitò ex partibus ciuitatis deligi. Atque etiam perutile est, si popularium multo maior sit quàm ciuilium numerus, aut non omnibus præmium proponi, sed iis qui numero patriciorum proportione respondeant, aut sortitò illos plures excludere. In iis autem Rebusp. quæ à paucis reguntur, aut aliquos è plebe antè deligi vtile est, aut magistratibus creatis: cuiusmodi sunt in quibusdam Rebuspublicis, quos consules vocant, & nomophylacas, de iis agere, quæ illi antè faciēda decreuerint. Sic enim populus & consilium capiet, & nihil in Republica poterit euertere. Illud etiam proderit, aut eadem populum sciscere, aut nihil contrà q̃ quæ referentur: & consilij dandi potestatem fieri omnibus, magistratibus autem censen-

di atque ſtatuendi. Plebi etiam contrà faciendum eſt, atq; ſit in Rebuſpub. vt ſumma eius in cēſendo non ſit poteſtas, ſed ad magiſtratus eius ſcita referenda. Nam præpoſterè ſit in Rebuſpub. in quibus paucorum in non cenſendo valet, in cenſendo non valet ſententia, ſed ad populum ſemper refertur. Ac ea quidem Reipublicæ pars quæ in conſilio capiendo verſatur, hoc modo explicanda & diſtinguenda eſt.

Sequitur deinceps magiſtratuum deſcriptio. Sunt enim de hac Reipublicæ parte multæ diſſenſiones, vt quot ſint magiſtratus, quæq́ue eis permiſſa ſint, quantúmque cuique magiſtratui temporis ſit præſtitutum. (Alij enim ſemeſtres faciūt, alij paucorum menſium, quidam annuos, nonnulli diuturniores) & perpetuíne eſſe debeant, an diuturni, an neutrum: ſed ſæpe iidem, aut non idem bis, ſed ſemel tantummodo. Præterea de magiſtratuū creatione, ex quibus deligi, & à quibus, & qua ratione debeant, quæſtio eſt. Nam adeſſe facultas debet, qua & quot modis hæc ipſa fieri queant, & qui magiſtratus quibus Rebuſpublicis vtiles ſint, explicetur. Hoc autem non eſt facile explicatu, quid magiſtratus nomine appellandum ſit. Nam cùm præfectis multis ſit opus ciuili ſocietati, certè non omnes qui voce aut ſortitò creantur, magiſtratus habendi ſunt: cuiuſmodi ſunt primùm Sacerdotes, quos in alium numerum, quàm ciuilium magiſtratuum, debemus reponere: deinde Choragi, & Præcones. Suffragiis etiam Legati creantur. Curationes autem ciuiles, aut omnibus ciuibus ad aliquod officium præſunt, vt dux belli exercitui: aut parti, vt matronarum ornatus arbiter & cenſor, & Cap. 15.

puerorum magister & censor. Aliæ sunt domesticæ. plerunque enim frumenti mensores creant. Quædam sunt seruiles, & ad quas, si opes suppetant, seruos adhibent. Atqui ij magistratus potissimùm appellandi sunt, quibus de quibusdam rebus dicendæ sententiæ & iudicandi atque imperandi permissa est potestas: sed hoc postremum maximé. Imperare enim, vim magistratus magis indicat. Sed hæc neque vtilia sunt, (neque enim lis terminum adhuc habuit eorum, quorum in nomine omnis versatur controuersia) neque huius sunt loci & temporis. Qui autem magistratus sint, & quot necessarij, si futura est ciuitas, quique necessarij, sed ad bene constitutam Rempub. inutiles, maiorem quandam affert dubitationem, habita ratione cùm omnis Reipub. tum vel maximè paruarum ciuitatum. Nam in magnis quidem potest, ac debet vni magistratui vnum præscribi proponique munus. Nam & multi magistratus adipisci possunt, quoniam multi ciues sunt, vt alij intermittantur, alij semel gerant magistratum: & melius quodque officium atque opus diligētia quæ vnum aliquid molitur, quàm quę multa, absoluitur. in paruis autem ciuitatibus, necessariò multi magistratus paucis mandantur, quòd propter hominū penuriam difficile est multos esse in magistratu. Qui enim his succedet? Eosdem autem magistratus easdémq; leges interdum paruæ Respub. magnæque postulāt, nisi quòd illæ sæpe eosdem desiderant, quod his diuturno tēpore vsuuenit. Itaque nihil prohibet multas simul curationes & potestates instituere: neq; enim aliæ alias impediēt. Et pro hominum paucitate magistratus quasi lucernæ, faciendi erunt. Si ergo explicare possi-

mus, quot omni Reipub. necessarij sint magistratus, quótque non necessarij sint, cum esse debeant, multò certe facilius hæc cū tenuerimus quæ vni magistratui munera mandanda erunt, colligemus. Intelligendum etiam est, quorum magistratuum curæ multa officia pro loco committenda sint, quǽque vbique in vnius magistratus potestate esse debeant. Veluti ornatus & ordo vtrum in foro forensis, & alius in alio loco, an idem vbique: & vtrum ex re, an ex hominibus ornatus, ducēda sit distinctio: vt vna lex sit de ornatu, an alia de puerorum, alia de mulierum ornatu. Et in Rebusp. an pro cuiusq; genere etiam magistratuum genus, nécne distinguatur: veluti, in populi, paucorum, optimorúmq; potestatibus, & in vnius dominatu, sint'ne iidem magistratus qui summam habeant potestatem, non ex paribus hominibus, neque similibus intelligendi, an in aliis alij: vt in ea Repub. quæ est in potestate optimorum, ex iis qui instituti sunt, & docti: in iis quæ à paucis gubernātur, ex locupletibus: & in populari statu, ex liberis: an quidam sunt, quorum distinctio magistratuum sequitur distinctionem? Est vbi iidem cōueniunt, est vbi differunt. Quodam enim in loco longum tempus, alibi exiguum præscriptū esse magistratibus eisdem conuenit. Quinetiam quidam priuati sunt & proprij: vt eorum qui consules dicuntur, qui magistratus non est aptus populari potestati. senatus autem popularis est. Nam quiddam debet esse eiusmodi, cuius officium sit populo consulere, vt ne à suis rebus negotiísque auocetur: cui muneri si pauci præsint, ad paucorum imperium pertinebit. Consules autem cùm pauci sint necessariò, fit vt paucorum attingant potestatem. At vbi hi duo ma-

gistratus sunt, consules senatoribus præficiunt. Nam & senator popularis est, & consul paucorum potestatis. Senatus autem autoritas in iis popularibus imperiis dissoluitur, in quibus populus ipse veniens in senatum, omnia decernit. quod tum vsuuenire solet, cùm iis qui in concionem conuocantur, quæstus præmiúmve ostēditur. Sæpe enim in senatum coguntur, quòd nihil agant, & omnia ipsi iudicent. Puerorum autem mulierúmque censor, & si quis alius magistratus tali diligentiæ præficiatur, eius Reipub. proprius est, quæ est in potestate optimorum, non eius quæ à populo geritur (quo enim pacto prohibere poterunt, ne inopū vxores abeant?) neque eius quæ à paucis, propterea quòd eorum qui pauci præsunt, vxores in luxu viuunt. Sed de his hactenus. De magistratuum autem creatione dicere aggrediamur iam inde ab initio. Tres autem sunt dißimilitudinum termini, quibus compositis & coniunctis, omnia genera necessariò sumentur. Eorum trium terminorū vnus est, qui sint qui magistratus creent: alter, ex quo hominum genere creentur: tertius, quemadmodum creentur. Vniuscuiusque autem horum trium tres sunt distinctiones. Aut enim omnes ciues creant, & aliqui: & vel ex omnibus ciuibus, vel ex certis quibusdam magistratus creant, vt vel census, vel generis, vel virtutis, vel alicuius eius generis, vt Megaris fœderatorum atque sociorum ratio habeatur in mandandis magistratibus. Idque fieri potest vel suffragio, vel sorte, vt hæc etiam coniungantur, alióśque magistratus aliqui mandent, alios omnes ciues, & in quibusdam mandandis omnium, in nonnullis aliquorum ratio habeatur: aliique voce, alij sortitò mādentur. Vniuscuiusque autem

horum quatuor erũt genera distinctionis. Nam aut omnes ex omnibus magistratibus voce creãt, aut omnes ex omnibus sortitò: & si ex omnibus, vel ex quibusdam partibus, veluti ex tribubus, vel ex populis, vel ex curiis, quoad vẽtum sit ad omnes qui ad gerendas res apti erunt, vel semper ex omnibus: & eorum partim hoc modo, partim illo. Rursus si qui creent, vel ex omnibus suffragio, ac voce, vel sortitò ex omnibus ciuibus, aut ex certo numero suffragiis, aut sortitò ex quibusdam, vel eorũ partim hoc modo, partim illo: id est, alios ex omnibus suffragio creant, alios sortitionis. Ita duodecim conficiuntur rationes, prȩter duas coniugationes. Harum autem duæ creandi rationes populares sunt, cum omnes ciues ex omnibus suffragio, vel sortitione deligunt magistratus: aut vtroque modo alios sorte, alios voce ac suffragio creãt: cum autem non omnes illi quidem vnà deligunt, sed ex omnibus, aut ex aliquibus sorte vel voce, vel vtroque modo, vel aliquos ex omnibus, alios ex aliquibus vtroque modo (cùm autem vtroque modo dico, alios dico sorte, alios suffragio) tum ea creandi ratio eius propria est, quæ Respub. dicitur. Cúmque aliqui ex omnibus alios magistratus voce, sortitò alios creant, vel vtroq; modo, nõnullos sortitò, quosdam suffragio, id ad paucorum potestatem pertinet. Magis autem ad paucorum potestatem pertinet, cùm vtroque modo deligunt. Cùm autem alij ex omnibus, alij ex quibusdam, tum id propriè dicitur ad eam Rempublicam pertinere, quæ est in potestate optimorum. quod eodem modo iudicandum est, cum aliqui voce, alij sorte mandantur. At cum aliqui ciues ex certis quibusdam magistratus creant, paucorum est potestatis: &

cum aliqui ex aliquibus deligũt, nec fit eodem modo, id est aut sortitò aut voce omnes: & cum aliqui ex quibusdam vtroque modo, id est alios magistratus sortitione, alios suffragio creant. Cùm verò aliqui ciues ex omnibus, & cùm omnes ciues ex certis quibusdam suffragio creant magistratus, eius est Reipub. quæ ab optimis gubernatur. Ac rationes quidem tot sunt mandandorum magistratuum, eæque hac formula pro Rerumpub. ratione distinctæ sunt. Ex quibus perspici licet, qui magistratus quibus expediãt, aut quemadmodum creari magistratus debeant vnà cum autoritate, quíque sint. Autoritatem autem magistratus dico, vt potestatem vectigalium, & præsidij stationísque potestatem. Aliud enim est genus autoritatis rei militaris, aliud præfecturæ pactorum forensium.

Cap. 16. *Reliquum est, vt de ea parte Reipub. quæ in iudiciis versatur, disseramus. Iudiciorum etiã eadem ratione modi nobis sumendi sunt. Eorũ autem in tribus finibus, & quasi terminis posita distinctio est: ex quibus hominibus, de quibus rebus, & quemadmodum. Ex quibus, vtrum ex omnibus iudices, an ex aliquibus legantur. De quibus, vt quot sint iudiciorum genera: quemadmodum, vt sortitóne, an suffragiis legantur. Ac primùm quidem iudiciorum formulæ explicandę sunt. Sunt autem octo. Vna in qua rationes feruntur. Altera, si quis Reipub. iniuriã inferat. Tertium genus est, in quo de iis agitur quæ ad Rempub. pertinent. Quartum, in quo magistratus ac priuati de mulctis disceptant. Quintum, in quo res inter priuatos contractæ, & res graues & magnæ disceptantur, ac præterea causæ cædis, & peregrinorum res. Causarum autem cædis genera,*

ſiue apud eoſdem iudices, ſiue apud alios agantur, ſunt quæ conſultò peccantur, & quæ per imprudentiam, quæque facta eſſe conſtat, & de iure cõtrouerſia eſt. Quartum genus eſt, in quo ea agũtur quæ reis cædis in reditu ab exilio obiiciuntur. cuiuſmodi decuria etiam Athenis ἐν φρεάτει dicitur. Hæc autem raro vſu eueniunt, etiam in magnis ciuitatibus. Iudiciorum autem peregrinorũ vnum genus eſt, cùm peregrini cum peregrinis diſceptant: alterum, cùm peregrini cũ ciuibus. præterea cùm cauſæ de rebus leuibus contractis, vt quæ vnius drachmæ aut quinque drachmarum ſint, & paulò maioris precij. Nam & de his iudicia fieri debent, nec in magnum iudicum numerum incidunt. Sed de cauſis cædis, ac peregrinorum, ſatis multa diximus. De ciuilibus autem iudiciis dicendum eſt, quæ niſi præclarè fiant, & ciuibus inter ipſos controuerſiæ exiſtere ſolent, & Rerumpubli. mutationes. Neceſſe eſt autem vel omnes iudices de omnibus cauſis quæ diſtinctæ ſunt, & explicatæ, ſuffragiis vel ſortitione, vel omnes de cauſis omnibus partim ſortitione, partim voce: aut de nonnullis eiſdem cauſis alios ſortitione, alios voce iudicare. Atque hi quidẽ quatuor modi ſunt. Totidem ſunt etiam alij qui ad partem hominum referuntur. Rurſus enim ex aliquibus iudices lecti, de omnibus cauſis voce iudicant, aut ex quibuſdam lecti ſortitò, aut earum partim ſortitione, partim voce: aut quædam iudicia de iiſdem rebus fiunt à iudicibus, quorum partim ſortitò, partim voce ac ſuffragiis leguntur. Iidem quidem modi ſunt, quemadmodum dictum eſt, hi, qui ſuperiores. Præterea autem iidem erunt etiam ſi copulentur, vt alij ex omnibus, alij ex vtriſque: veluti ſi eiuſdem decuriæ alij

iudices ex omnibus ciuibus, alij ex quibusdã legantur, idque vel sortitò, vel voce, vel vtroque modo. Omnes quidem modos in quos iudicia tribui possunt, exposui. quorum primi populares sunt, ij omnes in quibus ex omnibus legi iudices dictũ est, ac de causis omnibus iudicare. Alteri paucorum potestati accommodati sunt, ij in quibus ex aliquo hominum genere dixi iudices legi solere ad res omnes iudicandas. Tertij autem generis rationes ad eam Rempublicam aptæ sunt, quæ est in potestate optimorum, eadémque ad eam quæ vocatur Respublica pertinent: quando partim ex aliquo hominum genere, partim ex omnibus ciuibus iudices leguntur.

ARISTOTELIS DE REpublica Liber V.

Cap. 1. DE cæteris quidem ferè omnibus, de quibus instituimus dicere, disputatũ est. Deinceps videndum est, quæ quótque sint causæ mutationis, interitúsque Rerumpublicarum, quæque in quas potißimùm mutentur, præter ea quibus quæque rebus & publicè & priuatim conseruentur. Hinc autem primùm capiundum exordium est. Multæ Respub. extiterunt, inter quas omnes de iure, & de ea quæ proportione est, æquabilitate constat: & ab iis tamen aberrant, quemadmodum suprà diximus. Popularis enim status ciuitatis ex eo natus est, ꝙ ij qui quauis re pares erant, omninò se pares & æquales putarent. Paucorum autem potestas ex eo, quòd omninò se impares inæqualésque existimarent, qui aliqua ex parte

erant impares. Nā qui inæquales opes nacti sunt, ij se prorsus inæquales esse existimant. Deinde alij quasi pares sint, in rerum omnium societatem venire volunt. alij quòd inæquales sint, maiores opes habere cupiunt. Quod enim maius est, id inæquale est. Iuris ergo Rebuspublicis omnibus aliqua communio est, sed à vero perfectóque distant plurimúm. Ob eámque causam quando non pro sua quisque opinione vtrique in Republica obtinēt, tum seditiones inter eos discordiæque nascuntur. Optimo autem iure ex omnibus seditiosi essent, sed id minimè faciunt ij qui virtute præstant. Consentaneum est enim maximè, horum omninò causam esse imparem. Sunt autem nonnulli, qui cùm genere excellant, non se dignos qui æqua obtineant, existiment, propter eam quam dixi inæqualitatē. Nobiles enim ij demum videntur esse, in quibus maiorum virtus inest, ac copiæ. Initia ergo hæc & quasi fontes sunt seditionum, vnde seditionibus agitantur. Itaque mutationes oriuntur: nec iniuria: interdum vt ex ea Republica quæ constituta est, in aliam mutetur status ciuitatis, veluti ex populari statu in paucorum potestatem, vel in popularem statum ex paucorum potestate, & ex his in eam quæ Respublica dicitur, & in eam quæ est in optimorum potestate, aut ex his in illas: interdum nolunt eam qua vtuntur mutari, sed eandem cupiunt, per se autem hanc vel illam expetunt: veluti paucorum potestatem, vel vnius dominatum. Præterea augere vel remittere eam formam qua vtuntur, volunt, vt cùm pauci parent, magis esse in paucorum imperio volunt, aut minus: vel stantem populi potestatem mutare volunt in eam quæ magis minúsve popularis habeatur. Itém-

que in aliis Reipub. generibus mutationem requirunt, vt vel augeatur, vel remittatur ſtatus ciuitatis. & præterea vt pars aliqua Reipublicæ mutetur: veluti ſi quis magiſtratus conſtituatur, aut tollatur: Quemadmodum Lacedæmone fama eſt Lyſandrum dediſſe operam, vt regiam poteſtatem diſſolueret: & Pauſaniam regem, Ephoratum. Epidamni etiam aliqua ex parte mutata eſt forma Reipublicæ. Nam in tribunorum, id eſt tribuum præfectorum locum ſenatus ſucceſsit. In Heliæam verò magiſtratus ij etiã qui Rempublicam gerunt, ire coguntur, tum cùm ſuffragiis magiſtratus aliquis creatur. Atque etiam ampliſsimus magiſtratus vnus, qui Archon dicitur, in hac Athenienſium Republica ſpeciem gerit eius Reipublicæ, quæ paucorum dominatu tenetur. Inter omnes enim ex diſpari conditione ſeditio naſcitur, non tamen eadem eſt imparium ratio. Regia enim poteſtas perpetua, æquabilitate vacat, ſi pares ei ſubiecti ſint: cùm præſertim æquabilitatis cupiditate ſeditionibus omnia impleant. Eſt autem duplex ęqualitas. Alia enim ex numero intelligitur, alia ex dignitate. Dico autem ex numero intelligi, id quod multitudine aut magnitudine eadem eſt, aut pari. Ex dignitate autem, id cuius eadem, vel par ratio eſt. veluti pari numero quatuor duo ſuperant, & hæc vnum. Nam duo pars eſt æqualis quatuor, & vnum duorum: quippe cum vtrunque pars ſit media. Cum autẽ conſtat inter homines omninò quid eſſe ius: de eo quod eſt pro dignitate, quemadmodum ſuprà dictum eſt, diſsident alij. quòd ſi qua in re par eorum cauſa eſt, ſe pares omninò eſſe arbitrantur. alij quòd ſi quadam ex parte ſint inæquales, omnibus quæ inęqualia ſunt ſe di-

gnos existimant. Itaque duæ Respub. existunt maximè, populi, & paucorum potestas. Nobilitas enim & virtus in paucis cernitur, hæc autem in pluribus. Nam & nobiles, boníque viri nusquam centum reperiuntur, & locupletum vbique magnus numerus est. At omninò & ex omni parte ius perfectum ex alterutra æquabilitate statuere in vitio est. Id quod res ipsa indicat. Respubli. enim eius generis nulla firma est, nulla stabilis. fieri enim non potest, quin si principium initiúmque rei malè institutum sit, ex eo tandem aliquando mali aliquid eueniat. Quocirca partim ea quæ ex numero, partim ea quæ ex dignitate ducitur, vtendum est æqualitate. Attamen tutior est, minúsque seditionibus patet, populi quàm paucorum potestas: quòd in iis rebusp u. quæ à paucis gubernãtur, seditionũ genera duo existũt, & paucis inter ipsos, & inter ipsos ac populũ: in populi autẽ potestatibus inter eos solùm qui pauci præesse volũt. Nam populo inter ipsum, id quod dignum est commemoratione, seditiones esse non solent. Præterea Respub. ea quæ ex iis constat qui mediocres opes nacti sunt, propius ad popularem statum, quàm ad paucorum accedit: quæ quidem Respublica omnium eius generis tutissima est.

Quoniam autem quæ sint seditionum & mutationum in Rebusp. causæ consideramus, de toto genere causarum & initiorum primùm dicendum est. Sunt autem tres numero, quæ planè primùm exponendæ sunt. Intelligẽdum est enim quibus animis affecti, & qua de causa seditiones excitẽt, quæque initia ciuilium discordiarum motuúmque soleant existere. Ac constitutionis quidem animi, quo affecti ad mutationem procliues sunt, causa omnino ea maximè sta- Cap. 2.

tuenda est, de qua iam diximus. Alij enim æqualitatis appetentes, in seditione sunt, si conditionem suam deteriorem existiment, cùm eadem sit & par ipsorum causa, & eorũ qui maiora occupant: alij autem inæqualitatis & præstantiæ studio trahuntur, si cùm sint superiores, non meliorem, sed parem aut deteriorem conditionem suam putent. Hæc autem & iustè possunt & iniustè appeti. Cùm enim inferiores sunt, tum vt pares sint, seditiones cõmouent: & cùm pares sunt, vt sint superiores. Ac quo quidem modo affecti homines, seditionem in Rempub. inuehunt, diximus. Causæ autem quæ vt seditiosi sint, faciunt, sunt quæstus & honos, hísque contraria. Nam cùm ignominiam fugiunt, & damnum, aut causa sua, aut amicorum, seditionibus Rempub. perturbant. Causæ autem & initia motuum, quibus eo, quem dixi, modo affecti sunt, eas ob res quas exposui, septem sunt numero, interdum etiam plures, quarũ duæ sunt eædem quæ superiores, sed non eadem ratione. Nam quæstus honorísque causa inter se inimicitias exercent, non vt sibi ipsi adipiscantur, quemadmodum suprà dictum est, sed quòd alios vident iure, alios iniuria hæc supra modũ amplificare. Preterea eò impellit eos luxus, metus, principatus, contemptus, ex proportione nata amplificatio, itémque alia ratione contentio, contemptio, paruitas, dissimilitudo.

Cap. 3. Quorum libido & quæstus quã vim habeant, quótq; causas, facilè perspici licet. Cùm enim insolentiæ & libidini dedunt se magistratus, ac supra modum res suas augent, tum & se mutuis seditionibus exagitant, & Respub. quæ hanc licentiam dederunt. Amplificatio autem rerum interdum ex priuatis rebus, interdum ex publicis communi-

búſque naſcitur. perſpicuum eſt etiam & quid honos poſſit, & quemadmodum cauſa ſit ſeditionis. Nam cùm iacent ipſi ac improbantur, cæteros autem cernunt in honore eſſe & precio, ſeditionibus implent omnia. Quæ quidem iniuria fiunt, cùm contra dignitatem aut in honore ſunt ali qui, aut afficiuntur ignominia. iure autem, cùm pro dignitate. Præſtantia autem eos in ſeditionē impellit, cū vnus aliquis plus poteſt, aut multi ciuitatis conceſſu, adiuncta etiam Reipubli. autoritate. Solet enim ex his talibus vnius dominatus & ſeruile imperium exiſtere. Itaq; nonnullis in locis hos tales in exilium ad tempus ſoliti ſunt mittere, vt Argis & Athenis. Atqui præſtat initiò cauere, vt ne qui aliqua re tantùm excellant, quàm eis quos creſcere ſiueris, pòſt remedium adhibere. Metu autem ad ſeditiones inducendas aggrediuntur & ij qui iniuriam fecerunt, ne dent pœnas: & quibus inferenda iniuria eſt, vt iniuriam propulſent prius, quàm ipſi aliquo afficiantur incommodo. Quemadmodum Rhodi clariſſimo quiſque loco natus in plebē coniurauit, propterea quòd in iudicium adducerentur. Contemptu autem & ſeditiones inuehunt in ciuitatē, & impetus faciunt, vt in iis Rebuſpub. quæ ſunt in poteſtate paucorum, cùm maior pars eſt eorum qui Rempubli. non gerunt. Se enim ſuperiores eſſe exiſtimant: & in populari genere locupletes, contempta & neglecta perturbatione & licentia ciuitatis. Vt Thebis poſt pugnam quæ apud Oenophytos geſta eſt, cùm Reſpublica male gereretur, populi poteſtas interiit: & Megarenſium, cùm ſeditionibus perturbata & nimia licentia diffluens ciuitas, victa & proſtrata fuiſſet: & Syracuſis ante Gelonis tyrannidem, &

Rhodi populus concidit ante defectionem. Nascuntur etiã ex incremento, quod à proportione ductum est, Rerumpu. mutationes. Vt enim corpus ex partibus constat, idque proportione debet crescere, vt apta compositio mẽbrorum maneat: sin minus, interit, cùm pes trium est cubitorũ, & reliquum corpus duorum palmorum, interdúmque etiam in aliam animãtis formam mutatur, nisi non solùm magnitudo eius, verumetiã qualitas proportione augeatur: sic ciuitas ex partibus constat, quarum aliqua cùm augetur, latet. veluti inopum multitudo in iis Rebuspublicis, quæ à populo reguntur, & in iis quæ Respub. nominãtur. Quod interdum casu, fortè, temerè contingit: velut Tarenti, victis & interfectis multis, qui summo loco nati erant, à Iapygibus paulò post pugnam Medicã, ex eo statu ciuitatis qui Resp. dicitur, popularis extitit. Et Argiui, cùm cæsi essent milites septimo die à Cleomene Lacedæmonio, quosdã accolas coacti sunt accipere in ciuitatem. Et Athenis cùm terra malè res gereretur, nobiles inferiores fuerũt, quòd bello Lacedæmonio delectu habito militiæ nomen darent. Quod etiam in populi potestate contingit, quanquam rarius: Cùm enim maior est pars locupletum, aut res & opes augentur, tum ad paucos dominatúsque Respu. transfertur. Mutãtur etiam formæ Rerumpub. sine seditione, propter contentiones: vt in vrbe Heræa, in qua eos quos voce declarabant, sortitò deligere cœperunt, quòd eos qui cõtenderent inter se de honore, suffragiis creassent. Contemptione etiam ducti, rebus nouis student, cùm ad magistratus quorum summa potestas est, peruenire sinunt eos quibus chara Respublica non est. Quemadmodum Orei euersa est paucorum potestas, cùm

magistratus fuisset Heracleodorus, qui ex paucorum potestate eam quæ Respub. dicitur, & popularem statum fecit. Præterea nascuntur etiam seditiones parua de causa. paruam autem causam dico, propterea quòd plerunque latet magna institutorum mutatio, cùm res parua contemnitur. Vt Ambraciæ parua res erat census, sed tandem nullo censu magistratus descripti sunt: quòd paulùm aut nihil interest inter nihil & parum. Ad seditionē etiam spectat quicquid non est vnius gentis, dum vnum idémque sentiat. Vt enim non ex quauis multitudine, sic nec in quouis tempore coalescit ciuitas. Itaque omnes qui adhuc conuenas, aut colonos in ciuitatem acceperunt, ferè seditionibus patuerūt. vt Sybari ciuitate Achæos Trœzenij donauerunt: deinde cùm Achæi numero vincerent, Trœzenios expulerunt, ex quo cladem Sybaritæ acceperunt: quod etiam in Thuriis Sybaritæ contra eos fecerūt, qui illos receperant. Illos enim qui maiores opes habere vellent, quasi illorum ager esset, eiecerunt. Et Bysantij, cùm impetum in eos ascititij facere cogitarent, in ipso facinore eos prælio expulerunt. Et Antissæi cùm Chiorum exules recepissent, prælio expulsi sunt. Zanclæi autem etiam eiecti sunt, receptis Samiis: & Apolloniatæ ij qui Pontum Euxinum accolunt, cùm ascititios accepissent, seditionibus exagitati sunt: & Syracusani, exactis tyrannis, cùm peregrinos & conductos mercede ciues fecissent, in magnas seditiones inciderunt, bellúmque commiserunt. Amphipolitæ etiam cùm Chalcidensium colonos accepissent, maxima ex parte ab eis eiecti sunt. Multi autem sunt, qui in eas Respublicas, quæ sunt in paucorum potestate, seditiones inuehunt, tanquam illata

eis ſit iniuria, quòd cùm ſint pares, vt ſuprà dixi, non paria obtinent: in eas autem quæ à populo reguntur, nobiles, quòd cum diſpar eorum ſit cauſa, tamen par eorum conditio eſt. In ſeditione autem ſunt interdum ciuitates etiam propter locos, cùm non eſt aptus ager vni ciuitati, vt Clazomenis inter eos qui Chytram incolunt, & eos qui inſulam, nata eſt ſeditio: & inter Colophonios & Notienſes. Et Athenis non eodem loco ſunt, ſed populares ſunt potius ij qui Piræum, quàm ij qui vrbem incolunt. Vt enim in bellis riuorum etiam exiguorum traiectio, phalangas etiam diſsipat, ſic omnis diſsimilitudo diſsidium facere videtur. Ac maximum quidem certè diſsidium eſt virtutis & vitij, deinde diuitiarum ac paupertatis, itémque aliud alio magis, quorum vnum eſt id quod dixi.

Cap. 4. *Naſcuntur autem ſeditiones nõ leui de re, ſed ex re leui. In ſeditione autem ſunt homines magnis grauibúſq; de rebus. Atque etiam paruæ tum vel maximas vires habẽt, cum inter eos quorum ſumma poteſtas eſt oriuntur. Id quod apud Syracuſanos quondam contigit, apud quos mutata eſt forma Reipub. duorum iuuenum qui erant in magiſtratu ſeditione, cui initiũ fœdus amor dederat. Cum enim alter abeſſet, quidam ex eius neceſſariis eum quem ille perditè amabat, ſibi adiunxit. Ille autem huic infenſus, eius mulieri vt ad ſe veniret perſuaſit: hinc eis ſolicitatis qui Rempub. gerebãt, ſeditiones induxerunt in ciuitatẽ. Quocirca hæc cauenda ſunt iis qui parent, odiáque ac diſsidia principum & potentium diſſoluenda ſunt. Cum enim à principio error naſcatur, principiúmque dicatur dimidium eſſe totius, certè leue peccatũ in quod quiſque initiò impel-*

litur, in reliquas etiam partes infunditur. Omninóque nobilium seditiones in totam etiam ciuitatem malum infundunt. Quod in Hestiea accidit, cùm mutato populari statu duo fratres de paternis bonis disceptarent. Alter enim qui minus valebat opibus, quòd alter non proferret opes, neque thesaurum quem pater inuenisset, populum: alter autẽ qui magnas opes haberet, locupletes sibi adiunxit. Delphis etiã cùm de affinitate nata esset controuersia, omnium dissidiorum causa fuit, quæ consecuta sunt. Cùm enim aruspex malum aliquod portenderet, & sponsus venisset ad sponsam, non accepta ea abiit. At propinqui se contumeliis affectos & derisos putantes, immolantem de sacris pecuniis expulerunt: deinde vt sacrilegum interemerunt. Atque etiam Mytilenis, cùm seditio ex puellis pupillis nata esset, initiũ fuit magnorum malorum, & belli quod cum Atheniensibus gestum est, in quo Paches eorum vrbem cepit. Cùm enim Timophanes vir prædiues & copiosus duas filias reliquisset, eásque petiuisset filiis suis Doxander, nec impetrasset, seditioni locum & initium dedit: Atheniensésque concitauit, cùm esset ei cum ciuitate vetus hospitiũ. Apud Phocenses etiam, cùm ortum esset de muliere orba & magna hæreditate aucta dissidium, inter Mnaseam Mnesonis, & Eutycratem Onomachi patrem, dissidium hoc causa sacri belli extitit. Mutata est etiam Respublica Epidamni ob rem uxoriam. Nam cùm quidam filiam despondisset, vt ei mulctam dixit pater sponsi, cum magistratuum, quorũ summa est potestas, alter fuisset, eos qui extra Rempublicam erant, quasi violatus adhibuit. Transfertur etiam status ciuitatis ad paucos, ad plebẽ, & in eam formã

ciuitatis recidit, quæ Respublica dicitur, cùm aliquis magistratus aut pars aliqua ciuitatis est in honore ac precio: vt in Areopago senatus, cùm ex bello Medico magnam gloriam reportasset, Rempublicam quæ à populo regebatur, auxit. Et rursus multitudo nautarum, cùm victoriam ad Salaminam peperisset, & propter hunc principatum, & quòd mari polleret, populi potestatem firmiorem reddidit. Et Argis clari homines cùm gloriam in pugna quæ Mantineæ gesta est cum Lacedæmoniis, adepti essent, popularē statum conati sunt euertere. Syracusis etiam populus victoriæ belli quod contra Athenienses commissum est, autor, ex ea forma ciuitatis quæ Respu. dicitur, in eam quæ est in populi potestate mutatus est. Et Chalcide, populus sublato Phoxo tyranno cum claris hominibus, statim Rempub. tenuit. Eodémque modo Ambraciæ populus, eiecto vnà cum iis qui in Rempubli. impetum faciebant, Periandro tyranno, in suam ditionem Rempub. redegit. Omninóque hoc intelligendum est, eos qui potentiæ & autoritatis autores fuerunt, & priuatos & magistratus, & tribus, & vno nomine partem & quamuis multitudinem, seditionibus omnia implere. Aut enim ij qui horum glorię inuident, seditionis autores sunt: aut isti propter præstantiam pares esse nolunt. Atque etiam Reipub forma mutatur, cū partes ciuitatis quæ videntur contrariæ, inter se adæquantur. Cuiusmodi sunt locupletes & tenues mediocritas parum, aut nihil omnino. Si enim multùm excellit pars qualibet, quod reliquum est, cum eo quod perspicuè præstantius est, non vult in discrimen se offerre. Itaque præstanti virtute viri, haud seditiosi sunt, quòd pauci sunt collati cū mul-

tis. Ac omnino quidem in omnibus rebuspublicis & seditionum & mutationum initia eiusmodi sunt. Euertunt autem respub. alias vi, alias dolo & fraude. Vi, vel iam inde ab initio, vel pòst, necessitate imposita. Etenim fraus duplex est. Interdum enim cùm fraude egerunt, primùm aliorum summa voluntate rempublicam mutant: deinde iis inuitis, vi rempub. obtinēt. Vt cum quadringenti tyranni essent, populum in fraudem egerunt, cum dicerent, regem pecuniam ad bellum quod cum Lacedæmoniis gerēdum erat, esse præbiturum. Ita mendacio & fraude rempubli. tenuerunt. Interdum autem cùm initiò persuaserunt, etiam postea eis voluntate sua adductis, imperant. Atque omnino quidem ex his causis rerumpub. mutationes oriuntur.

Sigillatim autem facta uniuscuiusque generis rerumpub. partitione, ex eis effecta cognoscenda erunt. Ac popularis quidem status vnus ex omnibus mutatur maximè, propter nonnullorum qui auram popularém aucupantur, effrenatam licentiam Nam & priuatim calumniando, eos qui opes habent inter se cōiungunt, (compellit enim in vnū commune periculum, etiam inimicissimos) & publicè multitudinem concitando. quod in multis iam factum videre licet. Nam & in Co insula populi potestas, cum mali populares essent, concidit, nobilium coniuratione: & Rhodi. Nam cum populares stipendium cogerent, vetaréntq; mercedem præfectis triremium dari. illi iudiciorum metu coacti, coniuratione populi potestatem funditus sustulerunt. Euersa est etiam popularis potestas Heracleæ, vt primùm colonia deducta est, idque tribunorum plebis iniquitate. Nam cum ab eis violati patricij eiectique essent, illi dein- Cap. 5.

de conferti, cum ab exilio rediissent, populi potestatem dissoluerunt. Eodémque modo Megarensium status popularis corruit. Nam tribuni plebis vt pecunias publicare possent, multos patricios in exilium miserunt, quoad magnus esset numerus exulum. At illi reuertentes, prælio vicerunt populum, rémque publicam ad paucos transtulerūt. Quod idem etiam Cumis accidit, stante populi potestate, quam Thrasymachus sustulit. Eodémque ferè modo cernere licet cæteris Rebusp. mutationes incidisse. Nam aliàs, vt iniuriis faciendis ineant gratiam à plebe, patricios concitant, ad studiúmque rerum nouarum impellunt vel bonorum diuisione, aut fructuum ad munera publica sustinenda translatione. Aliàs criminationibus idem faciunt, vt diuitum bona publicare possint, & proscribere. Olim autem cum esset idem tribunus plebis & imperator, Respub. in tyrannos incidebat. Nam maxima ferè ex parte veteres tyranni ex tribunis plebis extiterunt. Cur autem tum essent, nunc non sint, in causa est, quòd tum ex imperatoribus erant tribuni plebis: nondum enim valebant dicendo. His verò temporibus quibus ars Rhetorica floret, qui aliquid dicendo possunt, plebis illi quidem patroni sunt: imperitia autem rerū bellicarum nouis rebus non student, nisi fortè paulum aliquid tale extitit. In tyrannorum etiam ditionem magis respub. olim redigebatur, quàm nunc, quòd magnos magistratus quidam tum adipiscebantur, vt Mileti Prytaniam. Multa enim magna erant in Prytanis potestate. præterea quòd paruæ tum erant vrbes, & populus in agris viuebat, & in opere erat, præfecti plebis tum denique tyrannidem affectauerunt, cùm idonei bello esse cœperunt, quod populi

gratia freti omnes perfecerunt. Ea autem persuasio locupletum odio nata est. Vt Athenis Pisistratus, cùm inimicitias cum Pediacis exercuisset, & Theagenes Megaris cæso locupletum pecore, quod ad flumen in pastu ceperat. Dionysius etiam cum Daphnæum locupletésque accusaret, ad se vnum vt dignum Rempub. transtulit, cùm propter inimicitias se esse popularem probasset. Mutantur etiam Respu. ex auita & vera populi potestate, in eam quæ his paucis annis inuenta est. Vbi enim suffragiis magistratus creantur, neque census ratio habetur, & plebs eos mādat, ibi tribuni plebis imperij cupiditate eò loci rem deducunt, vt populus plus etiam quàm leges possit. Vt autem id ne fiat, aut fiat rarius, tribus eos creare debet, non vniuersa multitudo. Ac ex his quidem causis popularis status existunt mutationes.

Ea autem Respubli. quæ est in potestate paucorum, duobus potissimùm modis perspicuè mutatur: vno, si plebi ab illis inferatur iniuria. Cùm enim quilibet idoneus est huius rei autor, tum vel maxime quando ita accidit, vt princeps ex ipsa paucorum potestate nascatur. Quod Naxi Ligdami vsuuenit, qui postea Naxiis tyrannus imperauit. Habet etiā initiū seditionis, quod ab aliis proficiscitur, distinctiones. Nā interitus reipu. interdū autores sunt ipsi locupletes, sed tum magistratum nullum gerunt, & pauci admodum honores adipiscuntur. Quod Massiliæ, Istri, Heracleæ, aliisque vrbibus contigit, in quibus fratres maiores natu primū, deinde rursus minores, quibus ad honores aditus non patebat, finem non fecerunt seditionum, quoad Reip. statum commutauerint. Neq; enim aliquibus locis Cap.6.

simul pater & filius magistratũ adipiscuntur, alicubi maior natu & minores. Atque hic quidem paucorum potestas ad ciuilem societatem propius accedit. Istri autem ad plebem peruenit. Heracleæ verò à paucioribus ad sexcentos. Commutata est etiam Cnidi popularis potestas, mutua patriciorum seditione, quòd pauci magistratus adipiscerentur: & quòd, quemadmodum dixi, si pater adipiscatur, filio aditus non patet: nec si plures liberi sint, nisi maximo natu. plebs enim cùm illi in seditione essent, delecto sibi præfecto ex patriciis, facto impetu vicit. Infirmum enim est quicquid est in seditione. Atque etiam Erythris cum reginarum staret potestas, quanquam Rempub. præclarè administrabant, tamen molestè ferens populus se paucis parêre, Reipub. formam statúmque mutauit. Euertuntur etiam per se ipsæ paucorum potestates, popularium contentionibus. Conciliandæ autem plebis ratio est duplex: vna, quæ in ipsis paucis consistit. Sunt enim qui plebis auram aucupentur, etiam si pauci sint. Vt Athenis cum triginta tyranni imperarēt, Charicles triginta collegarum qui plebi assentarentur, opes confirmauit: & cum quadringenti imperarent, Phrynichus. Quod eodem modo iudicandum est, cùm ij qui in paucorum potestate Rempub. administrant, plebis assentatores sunt: quemadmodum Larissæ ciuium custodes quos vocant, quòd ipsi suffragiis plebis creātur, eam colunt. Idémque fit, in quibus paucorum imperiis non ij magistratus suffragiis creant, quorum ordinis sunt magistratus, sed cum in magistratibus mandandis magnorum censuum vel sodalitatum ratio habeatur, magistratus ipsos ij qui arma ferant, vel populus voce deligit. Quod quidem

Abydi contigit. Id ſit etiã vbi iudices non ex iis qui Rempub. gerunt, leguntur. Qui enim plebi aſſentantur, propter iudiciorum cauſas Rempublicam commutare ſolent. quod Heraclææ, quæ eſt in Ponto, factum eſt. Quod idem fit, cũ nonnulli ad pauciores Rempub. trahunt. Qui enim æquationem volunt, iij à plebe præſidium & auxilium petere coguntur. Fiunt etiam paucorum poteſtatis mutationes, cũ ſua licenter & libidinoſe viuendo effundunt. Hi enim tales homines rebus nouis ſtudent, & vel tyrannidem affectant ipſi, vel alium ei parant: quemadmodum Syracuſis Hipparinus Dionyſium, & Amphipoli cui nomen erat Cleotimo, colonos Chalcidẽſium duxit. qui cùm veniſſent, eorum in locupletes odium concitauit. Et Æginæ is qui rẽ perfecit, quæ ei erat cum Charete, ob eam cauſam Remp. mutauit. Aliàs ergo conantur aliquid commutare, aliàs Remp. diripiunt. vnde inter hos ſeditiones & diſsidia naſcuntur, vel cum his latronibus bellum gerũt. Quod in vrbe Apollonia contigit. Paucorũ autem ſtatus ſi vnũ idémque ſentiat, haud facilè per ſe interit. Quod ex Pharſaliæ Repub. intelligi licet, in qua cum pauci ſint qui Rempublicam gerant, tamen iamdiu principatum tenent: propterea quòd præclarè ſe in imperio gerunt. Euertuntur etiam tum, cum in Rempub. quæ eſt in poteſtate paucorum, alia eiuſdem generis inuehitur. Quod tum ſit, cum Reſpu. vniuerſa parua eſt, & omnes qui pauci ſunt, maximos magiſtratus non adipiſcuntur. Quod Elidi aliquando vſuuenit. Nam cùm à paucis gubernaretur Reſpublica, ſenes omnino pauci erant, quòd perpetui erant cum eſſent nonaginta: ratio autem creandi ſuffragiis ad dominatum ſpe-

ctabat, similísque erat Lacedæmoniorum Senibus. Mutantur autem paucorum potestates & in bello & in pace. In bello, propter plebis infidelitatem, aliis militibus coguntur vti. Qui enim præficitur, is sæpe tyrannus efficitur: quemadmodum Corinthi Timophanes. qui si plures sint, ipsi sibi dominatum vendicant. Interdum autem hoc metu coacti, ad Reipublicæ gubernacula populo aditum patêre volunt, quòd populo cogantur vti. In pace autem propter mutuam infidelitatem rem committunt militibus & magistratui, qui medius vtrique parti consulit, ísque interdum vtrorũque summam potestatem habet: quod in vrbe Larissa contigit, tum cùm in magistratu essent Aleuadæ ij qui ad Samum imperium tenuerunt: & Abydi stantibus sodalitatibus, quarum vna erat ea quæ Iphiadæ fuit. Dissidia etiã fiunt ex eo quòd alij ab aliis vexantur in populari potestate, & quòd nuptiarum, aut iudiciorum causis, seditionibus exagitantur: quales sunt de iure connubij, quas suprà exposui. Paucorum etiam Eretriæ statum, qui erat in equitum potestate, Diagoras sustulit, cum ei ob rem vxoriam illata esset iniuria. Ex iudicio autem fori, seditio Heracleensis extitit: & Thebis stupri causa, cùm iure, sed seditione orta, sumptum esset supplicium ab Heracleensibus de Eutione, à Thebanis de Archia. Inimici enim suis certaminibus perfecerunt, vt in foro ad palum deligarentur. Multæ etiã Respublicæ, quòd nimium ad dominatum spectarent paucorũ potestates, à nonnullis ciuibus molestè ferentibus euersæ sunt. Cuiusmodi est Cnidiorum & Chiorum paucorum potestas. Atque etiam casu cõmutantur & eæ quæ Respub. vocantur, & eæ quæ sunt in potestate paucorum, in

quibus descriptus est censu senatus, & iudicia & cæteri magistratus. plerunque enim census primùm præscriptus, tempus quod adest, quódque præsens est, spectat, vt in paucorum potestate paucis, in ea autem quæ Respublica dicitur, iis qui mediocres opes nacti sunt, ad illos honores, liceat ascendere. Nam cum pax aut alia prospera fortuna, suppeditationem affert bonorum, ferè fit, vt eadem bona censu maiore digna sint. Ita omnibus ad omnes magistratus aditus patet, aliàs cum sensim & paulatim mutatio fit quæ lateat, aliàs etiam cum celerius. Atque ab his quidem causis & commutationes existunt Rerumpublicarum quæ in paucorum sunt imperio, & in eis seditiones. Omnino autem & populi, & paucorum potestates non in contrarias Respublicas mutantur, sed in eas quæ sunt generis eiusdem: veluti ex legitimis populi paucorúmque imperiis in ea, in quibus homines, non leges valent, ex hísque in illa mutantur.

In iis autem Rebusp. quæ sunt in potestate optimatum, seditiones & dissidia oriũtur, quòd paucis ad honores aditus patet: id quod dixi etiam paucorũ imperia solere euertere. quoniam optimorum potestas paucorum est quodammodo, quippè in quarum vtraque pauci imperent, etsi non eiusdem rei causa pauci ad Reipub. gubernacula sedent, quandoquidem non ob aliam causam optimorum esse potestas videtur. Atque id tum maximè necesse est fieri, cum multitudo animos sustulit, quòd pari virtute sit prædita. Quales Lacedæmone fuerunt ij qui Partheniæ nominantur, qui cùm ex seminibus orti essent, eos quòd rebus nouis studere deprehendissent, Tarentum colonos miserunt. Cap. 7.

Mutatio etiam fit optimorum potestatis, cum nonnulli magni viri, nec inferiores virtute, ratione honorum priuantur à quibusdam, qui in maiore sunt honore, vt Lysander à regibus: aut cum aliquis viri nomine dignus, non adipiscitar honores. quod Cinadon fecit is, qui rege Agesilao aduersus Lacedæmonios coniurationis autor fuit. Præterea cum alij nimium tenues sunt, alij locupletes: quod in bello fit maximé. Contigit ipsum etiam Lacedæmone sub Messeniacum bellum: quod ex poëtico Tyrtæi opere, quod Eunomia vocatum est, perspici licet. Nonnulli enim cùm bello premerentur, vt ager diuideretur petebant. Mutantur etiam optimorum potestates, si quis magnus sit, poßitque crescere, vt suo vnius dominatu summam rerum teneat: vt Lacedæmone Pausanias is qui Medico bello præfuit imperator, & Carthagine Hanno. Collabuntur autem maximè Resp. quæ dicuntur, & eæ quæ ab optimis gubernantur, cũ ius in ipsa Repub. violatur. Hoc enim initium & causa est ex qua intelligitur non præclarè temperatam coniunctámque fuisse cum Repub. quæ vocatur, populi paucorúmque potestatem, & cum ea Repu. quæ est in potestate optimorum has ipsas & virtutem, sed duo illa maximé. cum autẽ duo dico, populi paucorúmque imperia dico, quòd hæc ipsa Respub. & quæ optimorum potestates dicuntur, conantur coniungere. Hoc enim à Rebusp. quæ nominantur, eæ quæ sunt in optimorum potestate differunt, ob eámque causam earum partim minus, partim magis sunt stabiles atque firmæ. Nam quæ magis ad paucorum potestatem spectant, eas optimorum potestates vocant: quæ autem ad popularem statum, Respubli. Itaque minus hæ tales quàm reliquæ

requirunt ad se tuendas, quòd vincit maior numerus: & qui æqua obtinent, magis sunt se ipsi contenti. Qui autem magnas opes nacti sunt, ij, si autoritatem respubli. dederit, & libidini seruire, & maiores opes habere, & superiores esse volunt. Omninóque quamcunque in partem inclinet Respubli. in eam mutatur, & sua vtrique amplificant: veluti ea quæ Respubli. appellatur, in popularem statum: ea quæ est in optimorum potestate, in paucorum potestatem: aut contrà, optimorum potestas in populi potestatem. Quasi enim iniuriam acceperint, sic in contrarias potestates tenuiores rempublicam distrahunt, & quæ vocantur respub. in paucos incidunt: quòd ea demum æquabilitas & certa rerum cuiusque possessio stabilis diuturnáque est, quæ pro dignitate tribuitur. Quod autem dixi, Thuriis contigit: apud quos quoniam in mandandis magistratibus maioris cẽsus habebatur ratio, ad minorem redacta est Respubli. & pluribus magistratibus tradita est: quoniámque contra leges omnes agros patricij occupauerant. Respubli. enim in paucorum nimia potestate erat, vt res suas augere possent. Populus autem exercitatus bello, superior fuit armatorum vi, dum eos qui maiores opes habebant, ex agris expulit. Iam quia Respubli. omnes quæ in potestate sunt optimorum, à paucis administrantur, fit, vt patricij facilius maiores opes consequantur. Vt Lacedæmone opes ad paucos perueniunt, daturque patriciis quidlibet faciendi potestas, vt eis etiam liceat, quo cum velint necessitudinis iure coniungi. Itaque Locrorũ ciuitas propter Dionysij affinitates prorsus euersa est, cui rei nunquam in populari statu optimorúmque potestate rectè temperata locus esse potuisset.

Eæ autem Respublicæ quæ sunt in potestate optimorum, cum commutantur, incertum est ob id maximè, quòd pedetentim sensimq́ue concidunt. Id quod suprà dixi de omnibus rebuspublicis generaliter, paruitatem esse causam mutationum. Cum enim aliquid negligitur eorum quæ ad rẽpub. pertinent, tum facilius aliud aliquanto maius perturbant, quoad omnem ordinem euerterint. Quod etiam Thuriorum Reipub. usuuenit. Cum enim lex esset, ut quinque annorum esset præfectura belli, quidam adolescentes qui usu belli valebant, erántque apud plerosque custodes in honore, neglectis iis qui in rebus gerendis versabantur, quòd se facile id consecuturos putarent, hanc legem primùm sunt tollere conati, ut perpetuam belli præfecturam iidem gererent, quòd se à populo vltrò creatum iri cernerent. At illi magistratus qui ei rei præfecti erant, qui consiliarij vocantur, impetu facto, primùm ut ne intercederetur persuaserunt, existimantes hac lege sublata, eos reliquam rempublicam saluam & incolumem relicturos. postea cum prohibere vellent, sublatis cæteris, nihil iam aliud egerunt, sed omnis reipub. status in dominatum redactus est eorum, qui nouis rebus studerent. Omnes autem Respubli. collabuntur aliàs per se, aliàs externa causa, cum propè est contraria respubli. aut si procul abest, at certè vim eius habet. Quod Atheniensibus Lacedæmoniisq́ue contigit, quorum Athenienses semper paucorum, Lacedæmonij populi potestates deleuerunt. Atque quibus causis reipub. status mutaretur, aut seditionibus exagitaretur, ferè dictum est.

Cap. 8. De conseruatione autem & communiter & separatim cuiusque Reipubli. deinceps disserendum est. Ac il-

lud quidem primùm perspicuum est, si quibus rebus euertantur Respub. teneamus, etiam nos quæ sint earum causæ salutis tenere. cùm præsertim & contrariorum efficientia contraria sint, & interitui sit salus contraria. In iis igitur Rebuspub. quæ bene constitutæ sunt, illud obseruandum est, vt si quid aliud, vt nihil contra leges fiat: tum vel maximè, ne qua res parua violetur, videndum est. Latet enim sumptus, quòd non summa ratio ducitur, & animus ab eis capitur, vt ab hac fallaci conclusiuncula: Si singula pauca sunt, etiam vniuersa. quæ quidem quodam modo vera, quodam modo falsa est. Nam totum & vniuersa non parua sunt, sed ex paruis constant. Vna ergo contra hos initiò comparanda cautio est. deinde non est habenda fides iis, quæ fallacis conclusiunculæ gratia contra multitudinem composita sunt. Res enim ipsa eas refellit. Quas autem fallaces Reipub. conclusiones appellem, suprà exposui. Cernere autem licet quasdam stabiles non solùm optimorum potestates, sed etiam paucorum: non quòd in tuto sitæ sint Respubli. sed quòd præclare se gerant ij qui sunt in magistratu, & aduersus eos qui ad Rempublicam non accedunt, & aduersus ciues, dum illos nulla afficiunt iniuria, & eos qui principatu digni sunt, in Rempublicam introducunt, eósque qui honoris cupiditate inflammantur, non honore debito defraudant, nec plerisque quæstum detrahunt. & aduersus eos etiam qui honores non adipiscuntur, se gerunt populariter. Quod enim ius æquabile populares in multitudine volunt esse, id iis qui pari iure viuũt, nõ solùm æquum est, sed etiam vtile. Itaque si ij multi sint qui Remp. gereant, multa conducũt eorũ quæ populariter lege

le ſanciuntur. Veluti ſemeſtres eſſe magiſtratus, vt eos ij omnes qui ſimiles ſint adipiſcantur. Sunt enim inſtar plebis ij qui pares ſunt. Quocirca apud hos ſæpe plebicolæ, quemadmodum ſuprà dictum eſt, exoriuntur. Deinde minus in dominatus eæ Reſpub. quæ ſunt in paucorum optimatúmq; poteſtate incidunt. Neque enim tã facilè ad ſcelera & maleficia impelluntur magiſtratus cum breui tempore, quàm cùm diuturno imperant. quandoquidem ex eo in paucorum populíque poteſtatibus tyrannides naſcuntur. Aut enim potentiſſimi homines in vtraq; ad tyrannidem aſpirant, hic quidem plebis aſſentatores, illic potentes, aut ij qui maximos magiſtratus gerunt cùm diu imperant. Stant autem Reſpub. non ſolùm quòd procul abſunt ab iis rebus quæ interitum afferunt, ſed interdum etiam quòd propé. Qui enim in metu verſantur, ij diligentius Reipub. ſaluti conſulunt. Quocirca debent ij quibus Reſpu. curæ eſt, metũ incutere, non vt exitium, ſed quaſi nocturnum præſidium Reipu. ſalutem afferãt. Debent etiam quod procul à periculo abeſt, id docere imminere. Præterea dãda opera eſt, vt patriciorũ contentiones ac ſeditiones caueantur, eorúmque qui à contentionibus abhorrent, antequam ipſi cœperint: quòd naſcens malum cognoſſe, non cuiuſuis eſt, ſed viri ciuili ſcientia præditi. Quod autem attinet ad eam rerum commutationem, quæ propter cenſus fit ex paucorum poteſtate, & ea quæ Reſpu. dicitur, cùm hoc vſuuenit, ſi iidem cenſus maneant, & magna pecuniæ copia ſuppetat, tum erit vtile multitudinem publici cenſus ex præterito tempore ponderare. In nõnullis ciuitatibus quotãnis cenſentur, in maioribus tertio aut quinto quoque anno. quòd ſi maior

ſit aut amplior ſuperiore, quo cenſus publicus cõſtitutus eſt, perutile erit legẽ eſſe, & cenſum augere, aut imminuere, ſi ſuperet: augẽdo, pro ratione incremẽti: ſi quid pretermiſſum ſit, remittendo. Nã & in paucorum poteſtate, & in ea quæ Reſpub. vocatur, ſi hæc omittantur, hic ad paucos imperiũ perueniet, illic dominatu vnius omnia tenebuntur. Illo autem modo ex Repu. popularis poteſtas efficitur, ex paucorũ autem poteſtate Reſpu. aut certè populi poteſtas. Cõmunis autem conſeruandæ & populi & paucorum poteſtatis, omníſque Reipu. ratio eſt, neminẽ ornare ſupra modum, ſed exiguos potius & diuturnos honores tribuere, quàm celeriter magnos. His enim talibus deteriores fiunt, & ferre ſecundam fortunam non omnes poſſunt. Sin minus, at certè vtile erit non præripere honores vniuerſos, qui ſemel habiti fuerint, ſed ſenſim maximè conari ita legibus agere, vt nemini adſint nimiæ neque amicorum neque pecuniarum copiæ. Alioqui procul ab vrbe ſeiungendæ erunt eorum clientelæ. Et quoniam rebus nouandis priuata vita præbet materiam, magiſtratus quidam creandus eſt, qui vitam omnium & mores cenſeat, & ſpectet, ne reipu. nocere poſſint. Et ſiqua pars in ciuitate abundantia victus efferatur ac gliſcat, ob eas cauſas ſingillatim obſeruanda eſt. Cui remedio erit, ſemper contrariis partibus curationes & magiſtratus mandare. Dico autem bonos multitudini aduerſari, & inopes locupletibus. Danda etiam opera eſt, vt vel coniungantur tenuium & locupletum multitudo, vel ij qui iis interiecti ſunt amplificentur. Hoc enim ſeditiones quæ ex inæqualitate naſcuntur, reſtinguet. Maximum eſt autem, omnem rempu. ita legibus & omni procul ratione &

pacto constitutam esse, ut ne sint quæstui magistratus, idque in iis rebuspu. quæ sunt in paucorum potestate, obseruandum est maximè. Isto enim pacto non molestè ferunt plerique se à repub. gerenda exclusos esse: quinetiam lætantur, si quis eos sua negotia agere sinat. Quòd si magistratibus rempub. quæstui esse existiment, tum duplicem dolorē percipiunt, & quòd non adipiscātur magistratus, & quòd nihil lucri faciant. Atque etiam uno modo coniungi potest populi optimorúmq; potestas, si quis hoc instituat. Sic enim & patricij & plebeij quod volunt consequentur. Nam & licere omnibus gerere magistratus, populare est: & patricios esse in magistratu, eius est Reipub. quæ sit in potestate optimorum. Quod fiet, cùm magistratus non erunt quæstui. Nam nec tenues adipisci magistratus volent, quibus nullum lucrum propositum erit, sed sua agere potius: & locupletes poterunt, quòd nihil cōmunium rerum desiderant. Ita fiet, ut inopes se collocupletēt, quòd sua negotia agāt, & locupletes ne cuiuis pareāt. Ne autē pecuniæ publicæ surripiātur, pecuniæ præsentibus ciuibus omnibus tradātur, antigrapháq; apud curias, curiarúmq; partes & tribus cōdantur. Vt autē questui ne sit magistratus, honores legibus sanciri debēt iis, quorū de virtute erit opinio. In iis verò Rebusp. quæ à populo tenentur, locupletibus ita parcēdum est, ut nō solùm eorū possessiones ne diuidantur æqualiter, sed ne fructus quidem. quod in quibusdā ciuitatibus dum fit, ignoratur. Melius est autē eis vetare qui clàm inscii: sque aliis instituent hæc sustinere munera, quæ & magno sumptu constent, nec utilitatē obeuntibus afferūt: cuiusmodi sunt ædilitates, lampadúmq; in ludis exhibitiones, cæteráq; generis

eiusdẽ. In paucorũ autẽ potestate cõsulendum est tenuibus: iisq; magistratus mãdandi sunt potissimũ, ex quibus vtilitas aliqua percipitur. Quòd si quis locupletũ pauperẽ violet, grauius in eos animaduertẽdum est, q̃ si inter se alij alios iniuria afficerent. Perutile etiam erit, hæreditates non donationibus venire, sed genere, nec eũdem plures vna adire. Sic enim æquabiliores erũt facultates, & maior inopũ numerus opibus affluet. Proderit etiã & in ea Rep. quę à populo, & in ea quæ à paucis gubernatur, reliquarũ rerũ vel æqualitatẽ, vel præstantiã tribuere iis qui minus Rempu. gerunt, in populari ciuitatis genere locupletibus, in paucorũ potestate inopibus: præter amplissimos magistratus, qui iis solis mandãdi sunt, qui Rempu. gerunt, vel certè pluribus.

Tria autẽ quædã præcepta tenere debent ij qui summos magistratus gesturi sunt. Primũ, vt charam habeãt Rẽpu. Deinde vt maximã habeãt munerũ magistratus potestatẽ. Tertiũ, vt in quaq; Repub. præditi sint virtute ac iustitia ea, quæ ad Remp. accõmodata sit. Si enim non idem ius est in omni Reipu. genere, sint necesse est varia iustitię genera. Sed quoniã non in eundẽ hæc omnia cõueniunt, quẽadmodum delectus habẽdus sit, quæstio est. Vt si quis dignus sit belli principatu, sed vitiosus, & cui minimè chara sit Resp. alter autẽ bonus, & qui charã habeat Rẽpu. vter deligendus est? Duo autẽ spectanda sunt, & quibus rebus præditi sunt omnes sępius, & quibus rarius. Itaq; in munere imperatorio magis exercitatio, quàm virtus postulatur quòd rarius imperatoriæ laudis homines, virtutis sæpius sunt cõpotes. At in statione & quęstura cõtrà. Maior enim virtus in ea desideratur, q̃ quanta plerique præditi sint. Scientia au- Cap. 9.

tem communis est omnium. Sed quæret aliquis, si ratio adsit ciuilis & charitas Reipu. quid virtute opus est? Nam duobus illis Reipubli. consulet: nisi fortè fieri potest, vt ij in quibus hæc duo insint, impotentes sint. Ita quemadmodum ipsi sibi non ministrant, quanquam docti sint, & sibi chari: sic nihil prohibet aliquos se hoc pacto gerere aduersus Rempu. Omninò quæ legibus contenta Reipu. prodesse dicimus, ea omnia Rempu. tuentur: & quod sæpe expositum est maximum esse, videre, vt superior sit ea multitudo, quę Rempu. saluam esse velit, ea quæ nolit. Hoc præterea intelligendum est, quod nunc ignorant Respub. eæ quæ modum optimi status transeunt. Multa enim eorum quæ popularia videntur, populi opes vímque dissoluunt: & paucorum potestati multa accommodata videntur, quæ illam euertunt funditus. Qui autem hanc vnam virtutem esse putant, trahunt Rempub. ad nimium, nec intelligunt quemadmodum naris optimam formam egressa est collata cum aduncitate aut simitate, sed tamen etiam honesta est & venusta cum aspectu collata: cùm interea si quis eam etiam intendat supra modum, primùm amittit partis eius iustum modum: postremò eò progredietur, vt ne naris quidem perspiciatur, propter nimium ac parum contrariorum: sic eandem aliarum partium esse rationem. Hoc etiam in aliis Rebuspu. contingit. Nam fieri potest, vt & cum paucorum & cum populi potestate, præclarè agatur, etsi ab optimo statu dimota sit. At si quis vtranque earum ampliorem faciat, primùm deteriorem efficiet Rempublicam, postremò ne Rempubli. quidem, Quapropter tenere debet scriptor legum, & scientiæ ciuilis haud ignarus, quæ popularem con-

seruent, & quæ populi opes labefactent, quæque paucorũ potestatem: quarum neutra nec stare, nec permanere potest sine locupletibus & multitudine. Sed cùm æquatæ sunt facultates & possessiones, tum alia sit Respu. necesse est. Ita qui leges de excellentia tollunt, Respu. tollunt. Peccatur autem & in populi & in paucorum potestatibus. in populi potestate à plebicolis, vbi multitudinis summa est in leges potestas. Duas enim faciunt semper respub. ex vna, gerentes inimicitias cum locupletibus. At contrà oportet speciẽ præse ferre dicentis pro copiosis, & in ea Repu. quæ paucorum dominatu tenetur pro plebe, & iurare contrà quàm nunc fit, debẽt ij qui paucis parent. Nam in quibusdam his temporibus iurant, & cum plebe bellum geram, & male in eam consulam. Atqui sentiendum & dissimulandum est contrà, cum hac iurisiurandi significatione, Non faciam populo iniuriam. Omnium autem quæ dicta sunt pertinere ad conseruandas Respub. nihil est melius ea, quam nunc omnes pro nihilo putant, Reipub. disciplina. Vsus enim nullus est vel maximè salutarium legum, atque eorum quę visa sunt omnibus qui in repub. versantur, sine educatione ac disciplina: quæ si leges populares sint, accommodata sit ad populi potestatem: si ad paucorum potestatem aptæ sint, accommodata ad illam. Quemadmodum enim in vno intemperantia est, sic in ciuitate. Disciplina autem accommodata ad Rempub. non in eo posita est, vt ea fiant quæ paucis quorum in potestate respub. est, aut iis qui populare ciuitatis genus probant, afferant voluptatem: sed vt ea quibus perficere possint, vt illi pauci imperent, hi populari ciuitatis genere vtantur. Nunc verò in iis rebuspu. quæ à paucis

tenentur, liberi eorum qui imperant, molliter educantur, tenuiorum autem exercentur, atque laborem perferunt. Ita fit, vt facilius ac libentius res nouas moliri & velint & poßint. In iis autem rebuſpub. quæ maximè populares videntur, contrà quàm è repub. ſit vſuuenit, propterea quòd vitioſe libertatem definiant. Duo enim ſunt termini & quaſi fines populari ſtatui conſtituti: vnus, quòd maioris partis ſumma eſt poteſtas: alter, libertas. Ius enim æquabile videtur eſſe: æquabile autem ac æquum eſt, quod multitudini viſum ſit, id valere. Libertas autem & æquitas in eo poſita eſt, vt quod quiſque velit, faciat. Ex quo efficitur, vt in populari genere ciuitatis eiuſmodi, ita quiſque viuat vt velit, & quemadmodum ait Euripides, vt deſideret: quod in vitio eſt. Neque enim vita quæ ex reipublicę pręſcripto degitur, ſeruituti deputanda eſt, ſed ſaluti. Ac de cauſis mutationis Rerumpublicarum, interitus, ac ſalutis hactenus.

Cap. 10. Reliquum eſt, vt quibus rebus vnius dominatus tollatur & conſeruetur, diſſeramus. Ferè autem eadem quæ ſuperioribus rebuſpublicis, etiam tyrannidi & regiæ poteſtati vſuueniunt. quandoquidem & regale ciuitatis genus ex eo quod eſt in optimorum poteſtate, & tyrannicum ex paucorum extrema poteſtate, populari que genere conſtat. Itaque obeſt genus hoc plurimùm iis qui ei parent, quippe quod ex duobus quæ vitioſa ſunt conſtet, habeátque vitia quæ ab vtroque proficiſcuntur. Vtriuſque autem ſingularis principatus origo profecta ex contrariis eſt. Regia enim poteſtas eò cōparata eſt, vt in populo bonis præſidiū eſſet cōſtitutū: & reges ex bonis propter virtutis præſtantiam con-

stituti sunt, aut propter virtutis actiones, aut certè pro huius generis excellentia & dignitate. Tyrannus autem ex populo & multitudine contra patricios constitutus est, vt plebem iniuria prohiberet. Quod exitus indicat. Tyranni enim ferè ex iis qui plebis auram aucupabantur, extiterũt, cùm ad eorum fidem inops multitudo confugisset, quòd ab iis qui maiores opes habebant premeretur. At tyranni quidem hoc modo, cùm iam ciuitates coaluissent, constituti sunt. Alij autem ante hos ex regibus, qui patrios mores violabant, affectabántque imperium quod seruili par erat. Alij ex iis quibus summi magistratus mãdati sunt. Quondam enim populi diuturniores curationes ac magistratus constituebant: alij ex paucorum potestatibus, quæ vnum aliquem cum summa potestate ad maximos magistratus extollebant. His enim modis omnibus licuit hoc perficere, si modò voluissent, quòd adesset aliis regij honoris autoritas, aliis ea quæ magistratu continetur. Veluti Phidon Argis & alij tyranni impositi sunt, cùm regalis staret potestas. Ii autem qui in Ionia fuerunt, & Phalaris, ex honoribus & magistratibus effecti sunt tyranni. Panætius verò apud Leontinos, & Cypselus Corinthi, Pisistratus Athenis, & Dionysius Syracusis, aliíque eodem modo aura populari. Ergo regalis potestas, vt dixi, ex ea Republica constituta est, quæ est in potestate optimorum. Nã vel excellentia & dignitas eam, vel priuata virtus, vel generis, vel beneficiorum ratio, vel hæc ipsa & potentia pepererunt. Omnes enim qui beneficia dederũt, vel vrbibus ac gentibus dare potuerunt, hunc honorem sunt adepti: alij prohibẽtes seruitute bellica, vt Codrus: alij data libertate,

vt Cyrus: vel cõditis vrbibus, agrísque occupatis & quæsitis, vt Lacedæmoniorum, Macedonum, Molossorúmque reges. Reges autem custodiæ defensionísque causa constituti sunt, vt & locupletes prohiberẽt iniuria, & inopem multitudinem contra locupletum iniurias tuerentur. At verò tyranni non publicæ omnium, vt sæpe dixi, sed suæ ipsorum vtilitati consulunt. Estque tyranno voluptas proposita, regi honestas. Itaque tyranni pecunias congerere & augere student, reges eas potius res quæ ad honorem & gloriam valent. Regum etiam cohors ex ciuibus, tyrannorum ex externis constat. Inesse autem in tyrannorum vita & populi & paucorũ potestatis mala, hinc perspici licet, quòd tyranni in diuitiis quæ sunt paucorum potestatis, omnia ponunt. Nam isto vno pacto necesse est præsidium victúmque permanere, & quòd nulla in re multitudini fidem habeant. Itaque arma ei adimunt. premere etiam inopem multitudinem, eámque ex vrbe eiicere, atque in diuersos locos dispergere, vtriusque cõmune est, & eius Reipu. quæ est in paucorum potestate, & eius quæ in tyrannorum. Ab ea autem quæ à populo regitur, hoc mutuata est, gerere inimicitias cum locupletibus, eósque & clàm & palàm de medio tollere, in exiliúmque mittere, vt qui eorum fraudi oppositi sint, eorúmque imperio obstent. Quibus rebus efficitur, vt tyrannos aggrediantur alij imperij cupiditate ducti, alij libertatis. Vnde Periandri ad Thrasybulum consilium est summarum spicarum decusio, quòd primores ciuitatis interficiendi essent. Vt ergo expositum est, eædem causæ, eadémque initia mutationum in Rebuspub. habenda sunt, quæ in ea quæ dominatu vnius tenetur. Nam & in-

iuſtitia,& metu,& contemptione ad delendum ſingulare imperium plerique eorum qui id ferunt aggrediuntur. Iniuriæ autem eæ commouent maximè, quæ per contumeliam inferuntur: interdum eos impellit etiam rerum priuatarum detractio. Fines etiam iidem propoſiti ſunt,vt illic,etiam tyrannis ac regibus. Viuunt enim in magna opum honorúmque abundantia ij qui ſoli imperant. quarum omnes rerum cupiditate ducuntur. Impetus autem alius in corpus fit eorum qui præſunt,alius in imperium. Ac is quidem qui à contumelia proficiſcitur,fit in corpus. Cúmque contumeliæ multæ partes ſint, vnaquæque earum iracundiam miniſtrat. Iratos autem maxima ex parte vlciſcendi libido,non dignitas ad aggrediendum permouet. Quo in genere eſt impetus is qui in Piſiſtratidas factus eſt ab Harmodio,quòd filiam irriſiſſent: & ab Ariſtogitone, quòd in Harmodium dixiſſent. In Periandrum etiam Ambraciæ tyrannum impetus factus eſt,quòd in conuiuio puerum interrogaſſet,an ex ſe grauidus eſſet. Philippus autem à Pauſania interfectus fuit,quòd eum ab Attalo contumeliis iactari ſineret. Et Amyntas paruus à Derda, quòd ſe abuſum eſſe eius ætate gloriaretur: & Eunuchus ab Euagora Cyprio cæſus fuit,propter contumeliam qua ſe affectum putauit,quòd mulier filium eius exterminaſſet. Multi etiam impetus in corpus facti ſunt, quòd ij qui ſingularem principatum tenebant, concubitu corpora dedecorarent: cuiuſmodi ille fuit Cratæi in Archelaum. Cum enim moleſtè grauitérque ferret conſuetudinẽ, idonea etiam leuior cauſa ei fuit,quàm ꝙ cum alteram filiarũ ipſi nuptũ daturum ſe recepiſſet,neutrã dedit: ſed maiorẽ natu,occupatus

bello quod cum Sirra & Arrabæo gerebat, regi Elibeæ, minorem natu Amyntæ filio, quòd isto modo putaret illũ cum Cleopatræ filio inimicitias non esse gesturũ. At alienationis causa erat, quòd res venereas grauiter ferret. Eadémque de causa adiutor eius facti fuit Hellanocrates Larissæus. Cum enim cũ eo consuesceret, neque eum reduceret in patriam, quemadmodum pollicitus erat, libidinis, non amoris causa concubitum fuisse existimauit. Paron autem & Heraclides Ænienses Cotyn, vt patrem vlciscerẽtur, interemerunt. Adamas verò à Coty defecit, ꝙ puer ab eo per contumeliam fuisset exectus. Multi etiam cæso corpore concitati, partim interfecerunt, partim adorsi sunt, tanquã contumeliis affecti, eos etiam qui regalem potestatem obtinebant. Veluti Mitylenis Megacles Pentalidas, cum præterirent pulsaréntque claua, adiutoribus amicis impetu facto necauit: posteáq; Sperdes Penthilum acceptis plagis, cũ à muliere extractus esset, occidit. Eius autem impetus qui in Archelaum factus est, Decamnichus autor fuit: quippe qui primas eos qui aggressi sunt, concitauerit. Causa autem irarum fuit, quòd cũ Euripidi poëtæ verberandũ tradidisset: Euripides autẽ ei succensebat, quòd in tetrũ odorẽ oris eius dixisset. Aliíque permulti ob eam causam partim interfecerunt, partim insidias pararunt. Itémque metu permulti impetũ faciũt. Vna enim causa hæc quædam est, vt in Rebuspublicis, sic in iis quæ vnius dominatu tenentur: veluti Xerxem Artapanes metuens inuidiam qua flagrabat, quòd Darium egisset in crucem iniussu suo, cùm sibi veniam daturum eum putaret, quasi propter cœnam in mẽtem ei non veniret. Alij impetus contemptione fiunt: quẽ-

admodum fecit in Sardanapalum quidam, cum eum inter mulieres nentem animaduertisset, si modò fabulis credendum est. Quòd si minus in hoc, at in alio certè verum fuit. Dionysium etiam minorem contemptu Dion inuasit, cum videret ita affectos ciues, & illum semper ebrium. Atque etiam amici quidam contemptione ducti aggrediuntur, quod propter fidem quæ eis habetur, obscura sit futura contemptio. Ita etiam qui se putant imperium posse obtinere, quodam modo contemptu aggrediuntur ad impetum faciundum. Potentia enim freti, neglecto periculo, facilè adoriuntur: vt imperatores ducésque copiarum, eos qui singularem obtinent principatum: veluti Cyrus Astyagem, cum & vitam eius, & potentiam contemneret, quòd potentia eius consenuisset, ipse verò molliter viueret. Et Seuthes Thrax Amadocum, qui eum bello præfecerat, inuasit. Alios autem multæ causæ earum quas exposui impellunt vt faciant impetum: interdum contemptio & præmium, quibus impulsus Mithridates Ariobarzanem interfecit. Sed hæc ipsa causa eos potißimùm ad impetus faciẽdos impellit, qui natura audaces laude & gloria rerum bellicarum valent apud eos qui soli imperant. Fortitudo enim vi freta audacia est, quarum vtraque sperantes se facilè superiores fore, impetum faciunt. Eorum autem quos ambitio ad inuadendum stimulat, alia ratio est & causa, quàm superiores. Nõ enim vt quidam tyrannos aggrediuntur, quòd sibi magna præmia proposita esse videant, magnósque honores, sic vnusquisque eorum qui cupiditate gloriæ inflammati, alios occupant, adire pericula instituunt: sed illi ea

quam dixi causa ducti, hi autem quasi alia etiam quędam res sit minus necessaria, & qua nomen suum clarum efficiant aliis, sic in eos impetum faciunt qui soli imperant, non quòd comparare sibi velint singulare imperium, sed gloriā. Veruntamen perpauci adhuc inuenti sunt, quos haec causa impulerit, vt se periculis offerre vellent. Subesse enim debet salutis negligentia, si rem quam volunt, minus assequātur: quibus quidē comes Dionis opinio esse debet, quæ ægrè in multis reperitur. Ille enim paucos milites in Dionysiū eduxit, cùm se ita animo cōstitutum diceret, vt quocūque progredi posset, id sibi satis foret, vt si vt primùm in eius fines progressus esset, è vita migraret, eam mortem præclaram sibi duceret. Ea autem Respub. quā tyranni tenent, vno modo euertitur, quemadmodum vnaquæque cæterarum Rerumpub. à causis externis, siqua sit cōtraria Resp. superior. Perspicuum est enim, voluntatem affuturam propter institutorum voluntatúmque repugnantiā. Atqui quod quisque vult, id, si modò poßit, efficit. Sunt autem Respu. contrariæ, ea in qua populus imperat, tyrannorum vitæ, Hesiodi sententia, figulo figulus. Nam populi potestas extrema tyrannis est. Regalis etiam & optimorum potestates inter se dißident, propter Reipub. repugnantiam. Itaque permulta tyrannorum imperia & Lacedæmonij deleuerunt, & Syracusani, tum cùm præclarè Rempub. gerebāt. Altero modo tyrannorum potestas per se dissoluitur, cùm ciues exagitantur seditionibus: vt Gelonis antea, & nūc Dionis. Gelonis, dum Thrasybulus Gelonis frater filium Gelonis popularē efficit, ad voluptatésque pellicit, vt ipse imperaret. Domestici autem coniurarunt, vt non tyrannis

funditus euerteretur, sed Thrasybulus. At coniurati dato tempore eos omnes expulerũt. In Dionysium verò Dion cùm affinis eius esset, exercitum eduxit, assumptóque populo cum illum eiecisset, ipse interfectus est. Cúmque causæ duæ sint, quæ homines ad impetus faciendos in tyrannos impellant odium, & contemptio: alterum quidẽ in tyrannis inesse debet, odium: ex contemptu autem multæ eueniũt euersiones. Quod ex eo fieri potest, quia multi qui tyrannidem sibi parauerant, imperium tutati sunt: alij cum accepissent, statim omnes interierunt. Qui enim voluptariam vitam traducunt, ij certè facilè despiciũtur, multásq; dant impetui faciendo opportunitates. Pars autem quædã odij etiam ira ducenda est, quippe quæ ad easdem res agẽdas quodam modo impellat: quanquã sæpenumerò maiorẽ vim ad agendum habet, quàm odium. Contentione enim maiore vt impetum faciant homines, impellit hæc perturbatio, propterea quòd rationi maximè pareat. Contumelia autem maximè homines vt dolori obtemperent, permouet. qua de causa Pisistratidarum imperium concidit, aliáque permulta reliquorum generum. At odium magis rationi obtemperat. Cum enim ira coniuncta sit cum ægritudine, cogitationi & rationi vix locus aliquis relinquitur, & odium separatum est à dolore. Sed vt in pauca rem conferam, quot causas exposui paucorum imperij immoderati & extremi, popularísque potestatis postremæ, totidem intelligendæ sunt esse tyrannorum imperij. Hę enim sunt diuisæ distinctæque tyrannorum potestates. At verò regalis potestas quia externis nullis causis rebúsque deletur, stabilis est ac diuturna. plurimos autem interitus gi-

gnit ex se, sed duobus modis. Vno modo, eorum qui regium imperium obtinent seditionibus. Altero, administratione nimium tyrannica, cùm plura sui iuris esse volunt, ídque contra leges. Non extant etiam his temporibus regiæ potestates, sed quæ extant, potius imperia sunt tyrannorum, quòd regalis potestas voluntarium imperium est. sed quòd maiorem habeat potestatẽ, & quòd multi sunt qualescunque, prestátque tantum nemo, vt maiestatem dignitatémq; imperij pari dignitate tueatur: ob eámq; causam vltrò imperium illud non ferunt, & si quis dolo & fraude aut vi imperium assequatur, iam tyrannis quædam videtur. Earum autem regalium potestatum, quas qui tenent ex certo genere semper imperant, eadem est interitus causa, quæ superiorum, & quòd multi sunt qui facilè contemnantur: & quòd cum potentiam tyrannorum nacti non sunt, sed dignitatem regiam, viuant licentius. Est enim facilis regni interitus, quandoquidem si nolint, quamprimum nulla erit regia potestas: sed tyrannorum, etiamsi nolint. Atque hæ quidem sunt, aliæque eiusdem generis, causæ singularium imperiorum euersionis.

Cap. II. Conseruantur autem communiter quidem, vt perspicuum est, rebus contrariis: sigillatim autem, regiam potestatem ad moderatiorem formam disciplinámque reuocando. Quò enim minor potestas est eorum qui imperant, eò diuturnius stabiliúsque omne stat imperium. Nam & minus ad dominationem instructi sunt, & magis pares sunt moribus, & minus eorum qui se ipsorum imperio subiecerunt, flagrant inuidia. Ob eam enim causam & Molossorum regale ciuitatis genus stabile fuit, & Lacedæmoniorum,

quòd iam ab initio in partes duas imperium diuisum est, & rursum ei Theopompus modum adhibuit, cùm præter alios magistratus etiam Ephoros instituisset. Imminuta enim potestate, tempore auxit imperium regium. Ita quodammodo id non minus, sed maius effecit. Quod eum vxori solitum aiunt dicere. Cum enim ea obiiceret, an non puderet eum regnum minus tradere liberis, quàm ipse à patre accepisset? Non certè, inquit: trado enim diuturnius. Tyrannorum autem imperia duobus modis maximè repugnantibus conseruantur, quorum alter traditus est, quóque tyranni permulti imperium administrant. Eorum partim à Periandro Corinthio aiunt tradita, partim ab imperio Persarum sumi possunt. Sunt autem quæ suprà dixi ad salutem tyrannidis pertinere, vt primores ciuitatis interficere, sapientes tollere, conuictus non pati, nec sodalitates, nec disciplinam, nec quicquam tale: sed ea ne fiant cauere, vnde duo effici solent, prudentia & fides. nec scholas, neque conuentus alios aptos ad cessationem sinere fieri, & omnia perficere, vt quàm maximè ignoti inter se omnes sint. Notitia enim fidos eos inter se faciet. Eos etiam qui in vrbe morantur, semper videri, & stare pro foribus. Sic enim minimè latebit quid agant, & assuescent animo esse abiecto & demisso, perpetua seruitute. Aliáque omnia eiusdem generis Persarum & Barbarorum instituta, quæ ad tyrãnorum imperiũ pertinent. Tantundem enim valent omnia. Et dare operam vt non lateat, quid quisque eorum qui eius imperio se subiecerũt, dicat aut agat: cõtráque vt sint speculatores, cuiusmodi erant Syracusis, qui Potagogidæ vocabãtur. Hieron

etiam quosdam qui auribus perciperent quid diceretur, mittebat, vbi conuentus aut cœtus aliquis hominum erat. Minus enim liberè loquuntur, horum metu: aut si liberè dicunt, minus latet quid dicant. Præterea crimina eis inter ipsos & pericula creare, concitare odiis amicos inter se, & plebem cum patriciis, & locupletes inter se, eósque qui sunt in illius imperio, pauperes efficere, tyrannorum propriũ est: vt nec præsidiũ alatur: & quotidianis operis occupatis non vacet impetum facere. Testes sunt Pyramides Ægypti, testes statuæ quas Cypseli posteri statuerunt, & Iouis Olympij ædes à Pisistrati posteris facta, & in Samo Polycratis opera. Hæc enim omnia valent ad negotium & inopiam eorum qui parent. Multum etiam potest tributorũ collatio. vt Syracusis, vbi tyranno Dionysio quinquennij spacio vniuersæ opes collatæ sunt. Solet etiam tyrannus bellum gerere, vt ne sint in otio, & ducis desiderio teneantur. Et regia quidem potestas amicorum fide, & præsidio maximè conseruatur: tyranni autem est, amicos potissimùm suspectos insidósque habere, quasi verò omnes velint, hi autem maximè eum possint de medio tollere. Ea etiam omnia quæ in extrema populi potestate obseruantur, propria sunt tyrannorum: veluti mulierum potestas vagandi per domos vt consilia virorum enuncient. Itémque seruorum manumissio, eadem de causa. non enim impetum faciunt in tyrannos serui ac mulieres: qui si ex animi sententia viuant, charas habeant necesse est tum tyrannorum tum populi potestates. populus enim solus princeps vult esse. Itaque assentator apud vtrũque est in honore ac precio, apud plebem popularis, (est enim plebicola populi assentator) apud tyran-

num is qui summisse se gerit in conferendis sermonibus, quod est assentationis. Ob eámque causam tyranni improbos sibi amicos parant, quòd assentatione moueantur: quod nemo qui animo libero præditus erit, faciet. quinetiam amant boni viri, vel certè non assentantur. Et improbi maleficiis apti sunt. Clauus enim clauo truditur, veteri prouerbio. Tyranni etiam est, nullo præstanti, aut libero homine delectari, quòd se tantum eiusmodi putat esse. & qui contrà ritu hominis liberi splendorem adhibet, is maiestatem potestatémque tyranni tollit. Quocirca eos odit, vt imperij euersores. Adhibere etiam conuictores peregrinos potius quàm ciues, tyrannorum est, quòd hos hostes habeant, illos non repugnantes. Hæc autem aliáq; eiusdem generis tyrannorum sunt illa quidem, ad conseruationémque imperij valent, sed nullum non scelus complexu suo continent, quæ omnia tribus generibus cõtinentur. Tyrannus enim tria exquirit: Vnum, vt ij qui ipsi parẽt, abiecto sint animo. quòd qui pusillo animo est, impetum facit in neminem. Alterum, vt alteri alteris infidi sint. neque enim tyrannorum potentia antè euertitur, quàm aliqui conspirent, fidíque sint inter se. Itaque cum bonis inimicitias exercent, tanquam imperio eius obstent, non solùm quòd parêre nolint vt serui domino, sed etiam quòd ipsi alij aliis fidem habent, & illis cæteri, & quòd neque se ipsi accusent, neque cæteros. Tertiũ, vt nulli potẽtes sint. Cum enim id aggrediatur nemo, quod ipse efficere non possit: ne tyrannum quidem, si vires non suppetant, quisquam interficere velit. Atque hi tres fines sunt & quasi termini, quò voluntates tyrannorum & consilia referuntur. Nam ad has reliquæ eorum cogitationes

referri redigíque possunt, partim vt fides nulla ciuibus inter ipsos relinquatur, partim vt parum poßint, partim vt demisso sint animo. Hæc igitur vna ratio est conseruandarum tyrannidum. Altera ferè diligentia contrà quàm diximus, continetur, quam à regiæ potestatis interitu assumamus licet. Vt enim vna ratio euertēdi regni in eo posita est, si imperium ad tyrannidem propè accederet: sic tyrannorū opes conseruabuntur, si ad regiæ potestatis similitudinem imperium transferatur, retenta modò ea potestate, vt non solùm volentibus, sed etiam inuitis ac nolentibus imperet. Si enim negligat, & hoc ipsum amittet, & ius tyranni. Sed hoc quasi fundamentum constituendum ac stabiliendum est: cætera partim efficienda sunt, partim specie regis tegenda, primùm vt Reipubli. consulere videatur. Quod fiet, si nec impensas eiusmodi faciat, quæ multitudinis voluntatem offendant, cum ab ea accipiuntur quæ parcè opere ac labore quæsiuit, & scortis, peregrinis, opificibúsque effusè dantur: & accepti expensíque rationem referat, quod iam quidam tyranni fecerunt. Qui enim hoc modo Rempubli. administrabit, paterfamiliâs, non tyrannus esse videbitur. Neque verò timendum est, ne pecuniæ desint, cùm summa sit eius potestas in ciuitate. Quinetiam domo abeuntibus tyrannis hoc vtilius est, congestas relinquere. Minus enim custodes corporis imperium occupabunt. Maius autem periculum tyrannis à cohorte, quàm à ciuibus imminet: quòd illi vnà cum eo absunt, hi manent domi. Præterea tyrannus ita se gerere debet cogendis tributis & vectigalibus, vt ea reipublicæ causa cogere videatur. Quòd siquando vsui sunt bellicis rebus, omnino se ipse præstare debet custo

dem ac quæstorem, vt rerum communium, non suarũ. Hoc etiam perspectum sit & cognitum, eum non difficilem esse, sed comem & humanum: quod in eo positum est, vt eum non timeant ij qui adeunt, sed vereantur potius. quod assequi difficile est eum qui huiusmodi est, vt facilè contemnatur. Itaque si minus cæteris virtutibus, at certè ciuili dãda opera est, talísque ei de se afferenda opinio est. Iam verò ea de illo opinio esse debet omnium, vt non solùm ab iis adolescentibus aut virginibus, quibus præsit, manus abstineat, verùm etiam ab iis qui circa ipsum erunt. Eodémque modo eius mulieres aduersus cæteras se gerere oportebit, quòd propter mulierum iniurias multa tyrannorum imperia conciderunt. Quod autem ad voluptates corporis attinet: contrà ei faciendum est, quàm nonnulli tyranni hoc tempore faciant. Non enim solum, vt primùm illuxit, voluptatibus corporis se tradunt, multósque dies hoc vnum agunt: sed hæc sua facinora aliis perspecta esse volunt ac cognita, vt se vt beatos suspiciant atque mirentur. Sed in primis his modus adhibendus est. sin minus, certè ei afferenda opinio est, ab iis se abhorrere. Neque enim impetus fieri solet in eum qui sobrius est, sed in eum qui ebrius: neque in vigilantes, sed in dormientes. quod de contemptu eodem modo iudicandum est. Contráque faciendum est, quàm suprà dixi. Constituere enim Rempu. & ornare debet, tanquã tutor sit, non tyrãnus. Religioni etiam deorum præ cæteris operã dare debet, ꝙ ita minus verentur, ne in se contra leges princeps malè consulat, si eum vereri deos ac curare arbitrentur. minúsque in eum impetum facient, qui deos etiam adiutores habeat. Eúmque se præstare sine vlla

ſtultitiæ ſuſpicione debet. Boni autē qui aliquid cum laude geſſerunt, iis honoribus ab eo afficiendi ſunt, vt non putent vnquam ſe maioribus ornari potuiſſe, ſi ſuis legibus vterentur. Quos quidem honores ipſe tribuet, pœnarũ autem atque ſuppliciorum rationem aliis magiſtratibus iudiciíſque committet. Communis autem cautio omnis ſingularis imperij eſt, ne vnus aliquis creſcat, ſed plures, quòd ſe inter ſe obſeruabunt. Quòd ſi quis forte magnus faciendus ſit, at ne is fiat, quem mores ſuperbũ audacémque efficiunt. Sunt enim hi tales mores ad impetus faciendos in Rebuſp. omnibus inſtructiſsimi. Quòd ſi quem potētia ſpoliare videatur, ſenſim id erit pedetentímque faciendum, vt ne totam adimat. Cùm autem ab omni libidine continere ſe debet, tum præ cæteris à duabus, & à verberibus, & à rebus venereis. Hoc autem ne fiat, in iis maximè qui cupiditate gloriæ ducuntur, prouidendum eſt. Vt enim ij qui pecunias amant, pecuniarum imminutionem, ſic ambitioſi ac boni viri gloriæ iacturam moleſtè ferunt. Itaque aut non eſt his vtēdum, aut opinio eſſe debet, eum ſupplicium patrio more, non eo repudiato & ſpreto ſumere. Conſuetudinis autem eius & concubitus cum pueris, videri debet amor cauſa eſſe, non libido & licentia. Omninò quæ ignominiæ ac dedecori ducuntur, ea erunt maioribus honoribus compenſanda. Eorum autem qui impetum faciunt ad corporis internecionem, à nemine maius periculum impendet: neque quiſquam maiore diligentia cauendus eſt, quàm is qui poſt hanc mortem, vitam nullam vult quærere. Quocirca ab iis declinandum eſt, maximè qui vel ſibi, vel iis qui illis curæ ſunt, iniuriam factam eſſe putant. Neque enim ſibi

consulunt, qui ira incitati, impetum in alios faciunt: Heracliti etiam sententia, qui ait, difficile esse iracundiæ obsistere, quòd vita constet. Quoniámque ciuitates ex duabus partibus constant, ex inopibus & locupletibus: hoc in primis statuendum est, vt vtrorumque saluti in imperio consulatur, aliíque ab aliis nulla afficiãtur iniuria. Vtrilibet autem superiores erunt, ij adiungẽdi erunt imperio: propterea quòd si hæc adsit facultas, nec manumittere seruos tyrannus, nec arma ponere cogetur. Pars enim altera cum copiis cõiuncta satis munita erit, vt impetus hostium vincere & reprimere posit. Sed superuacaneum est de singulis dicere. perspicuum est enim id quod spectare & quod sibi proponere debet tyrannus, opinionem de eo omnium eorum quibus præest, eiusmodi esse oportere, vt non tyrãnum eum, sed patremfamiliâs & regem: non vendicatorem, sed tutorem esse existiment, vtque moderatum viuendi genus, non effusum delegisse videatur. Iam verò cum primoribus conferre sermones, plebem delinire obsequio debet. Sic enim fiet necessariò, vt non solum imperium sit præstantius & amabilius, quod melioribus ciuibus præsit, non abiectis & demissis animis, cùm nec eum ciues oderint, nec metuãt, sed etiã vt sit diuturnius. Denique iis moribus debet esse prẹditus, vt vel ad virtutem aptum animũ habeat, vel certè quadã ex parte bonus sit, non planè improbus, sed quodam modo.

Atqui omnium Rerumpu. minus diuturnæ sunt paucorum tyrannorúmque potestates. Nam Sicyone tyrannorum imperium Orthagoræ eiúsque liberorum diuturnum fuit: quippe quod centũ annos tenuerit. sed id accidit propterea, quòd moderatè se & præclarè gesserũt aduersus eos Cap. 12.

quibus imperabant, & quòd magna ex parte legibus paruerunt. Et quoniam bello erat bonus Clisthenes, non contemnebatur, & quòd multis in rebus studiose popularis erat. dicitur enim Clisthenes corona donasse eum iudicẽ, qui eius victoriæ & triũpho repugnauerat. nec desunt qui confirment, eius qui ita iudicauit, eam esse statuam quæ in foro posita est. Ferunt etiam Pisistratum cùm in ius ad Ariopagum vocatus esset, passum esse iudicium. Altera tyrannis fuit Corinthi, eorum qui in Cypseli locum successerũt, quæ quidẽ durauit annos tres & septuaginta & sex menses. Cypselus enim annos triginta imperauit, Periander quatuor & quadraginta, Psammetichus Gordij filius tres annos. Eædem etiam causæ diuturnum hoc fecerunt. Cypselus enim popularis fuit, ob eámque causam in imperio nullum sibi præsidium adhibuit. Periander autẽ tyrannum ille quidem se præstitit, sed idem bello fuit bonus. Tertium eorum qui Pisistratum consecuti sunt, fuit Athenis, sed non fuit cõtinuatum. Bis enim actus est in exilium. Ita ex annis tribus & triginta, decem & septem tantummodo imperiũ tenuit, & duodeuiginti eius liberi. Ita omnes anni quinque explent & triginta. Reliquũ est imperium Hieronis, Gelonis, Syracusis, quod non multos annos stetit, sed tantùm duodeuiginti. Gelon enim cùm tyrannus septem annos imperium tenuisset, octauo excessit è vita, & Hiero decẽ imperauit. Thrasybulus autem vndecimo mense exactus est. At verò magna ex parte tyrãnorum omninò breuia sunt, non imperia diuturna. Ac quibus quidem rebus Respu. potestatesque eorũ qui soli præsunt, euertantur, atque conseruentur, ferè dictum est. In Platonis autem Po-

litia disseritur quidem de mutationibus Rerump à Socrate, sed non rectè disputatur, cùm præsertim optimæ Reipu. quæ eadem prima est, non tradat quæ sit propriè mutatio. Ait enim id causæ esse, quòd nihil maneat, mutetúrque circuitu quodam temporis. initium autē horum esse ea quorum sesquitertium fundum coniunctum, cùm quinque duplicem cōcentum efficit. addítque ille tum id fieri, cùm diagrammatos numerus huius est solidus, tanquam natura interdum prauos ac meliores quàm disciplina procreet. Atque hoc quidem certè dicit non malé. Fieri enim potest, vt sint nonnulli qui institui boníque effici non possint. At quî tandem hæc propria illius quam dicit optimam Rempub. esse potest, magis quàm cæterarum omnium, & omnium rerum quæ oriuntur? atque id, tēpore quo fluere ait omnia? etiam ea quorum non simul origo est & ortus, vnà mutantur? veluti si sint pridie quàm mutentur. simul ergo mutantur. Præterea quamobrem ex hac ipsa in Rempu. Lacedæmoniorum fiet mutatio? cùm præsertim sępius in contrarias mutentur Respu. omnes, quàm in finitimas atque vicinas. Eadem est ratio reliquarum commutationum. Lacedæmoniorum enim Respu in paucorum potestatem, vt ait, mutatur, & hæc in populi, & populi potestas in eam quæ est in potestate tyrannorum. Atqui cōtrà etiam cōmutantur, veluti populare ciuitatis genus ad paucos transfertur, idque potius quàm ad eos qui soli imperant. Iam verò sit nécne futura tyrannorū potestatis mutatio, & quāobrem, in quámque Rempub. non asserit. Cuius ratio afferri potest, quòd non facilè id potuit dicere. incertum enim est, quandoquidem eius ratione ac sententia, in primam eandémque

optimam fieri mutatio debeat. Sic enim fiet continenter, atque in orbem reuoluetur. At res tyrannorum ad alios tyrannos transferuntur: vt tyrannis quæ Sicyone erat, ex ea cui Myro præfuit, in eam mutata est, quam exercuit Clisthenes. In paucorum etiam potestatem commutatur, quemadmodum Chalcidensis, quam Antileon occupauit: & in popularem, vt Syracusis ea quam tenuerunt Gelonis liberi: & in Rempu. quæ est in potestate optimorum, veluti Lacedæmone & Carthagine. Charilai. paucorum etiam opes ad tyrannos tranferuntur, vt veteres Respubli. ferè in Sicilia, apud Leontinos in Panætij, Gelæ in Cleãdri, Rhegij in Anaxilai tyrannidem commutata est. quod eodem modo de aliis plerisque vrbibus iudicandum est. Illud etiã absurdum est, eam Rempubli. ad paucos putare concedere, propterea quòd auidi pecuniæ sint ij qui sunt in magistratu, non quòd permulti qui summas opes nacti sunt, non æquum putant eos qui nullas opes habent, pari iure in Republi. cum iis qui habent contineri. In multis quidem ciuitatibus non licet facere pecuniam, legésque sunt quæ id vetent. Carthagine autem, quæ ciuitas populi consiliis administratur, id licet, neque adhuc eorum res opésque ciderũt. Absurdum est etiam dicere duas esse ciuitates, eã quæ à paucis gubernetur, si in ea sint opulẽti ac pauperes. Quid enim peiore ea conditione erit, quàm Lacedæmoniorum quæuis alia, in qua omnes pari iure viuunt, aut non omnes boni viri simili iure continentur? Quòd si nemo egentior quàm prius, fiat, tamen in populare ciuitatis genus ex paucorum potestate mutantur Respubli. si maior sit pars tenuiorũ: & ex populari in paucorum, si pars locupletũ vin-

cat multitudinē, & hæc negligat, illi ſint attentiores. Cúmque commutandarum rerum multæ cauſę ſint, eas non enumerat, ſed vnam, quòd cùm voluptatibus ſe tradant constringendos, luxúque diffluant, vſuris exhauſti egentes fiāt: quaſi verò omnes ab initio locupletes naſcantur, aut certè plurimi. Quod falſum eſt. Sed cùm aliqui ex primis ciuitatis patrimonia conſumpſerunt, tum denique nouis rebus ſtudent. Cùm verò alius, nihil aſperum eſt: mutatúrque nihilo minus interdum in popularem, quàm in aliam Rempublicam. Præterea ſi non pateat eis aditus ad honores, ſi iniuria aut contumelia afficiantur, ſeditionem inducunt in ciuitatem, réſque publicas commutant, etiamſi patrimonia non profuderint, quòd impunè quiduis agendi eis data ſit poteſtas. quod licentia aiunt fieri. Denique cùm plura ſint genera & earum Rerump. quæ à paucis, & earū quæ à populo principe adminiſtrentur, tanquam vna ſit vtraque, ita mutationes Socrates enumerat.

ARISTOTELIS DE REpublica Liber VI.

PArtis quidem ciuitatis quæ conſiliis Rempu. adminiſtrat, & eius quæ ſummam habet in Republica poteſtatem, magiſtratuúmque ac iudiciorum deſcriptionis quot quæque ſint diſtinctiones ac diſsimilitudines, quæque ad quam Rempub. accommodanda ſit: præterea quæ res ac cauſæ Rebuſp. interitum ſalutémque afferant, ſuperioribus libris demonſtratum eſt. Quoniam autem multa ſunt genera eius Reip. Cap. I.

quæ populi consiliis administratur, itémque cæterarum, non alienum erit, si quid reliquum sit vno sermone tradere, rationémque explicare, quæ cuique accommodata vtilísque videatur. Cognoscendæ sunt præterea omnium rationum quas exposui cõiunctiones, quòd ex earum copulatione variæ Rerumpub. formæ mutationésq; nascuntur, vt eæ quæ insunt in potestate optimorum, ad populum transferantur. Cùm autem coniunctiones dico, eas dico esse considerãdas, quæ nondum tractatæ sunt. Veluti vtrum eius pars ciuitatis quæ consiliis præest, & eius quæ creandis magistratibus descriptio ac ratio ad paucorum potestatem pertineat, an ea quæ consiliis præest, descripta sit accõmodatè ad paucorũ imperium: & quæ creandis magistratibus, ad eam formam Reipub. quæ optimatum consiliis administretur: an verò alia quadam ratione non omnia quæ Rempub. attingunt, sint constituta. Et quãquam quod populare ciuitatis genus ad quam ciuitatem accõmodandum sit, quódque paucorũ ad quam multitudinem, & quę reliquũ rerũp. quibus vtilis sit, iam expositum est: tamen planum fieri debet, non solùm quæ ciuitatibus sit salutaris maximè, sed etiam quẽadmodum constituendæ sint & hæ & aliæ, paucis explicandum est. Ac primũ de ea quæ à populo administratur, disseramus. Ea enim cognita, etiam contrariam intelligemus, quam quidam vocant paucorum potestatem. hac autẽ via & ratione iura omnia popularia exponenda sunt, quæque videntur res populi attingere. popularis enim potestatis genera, pluresque populi potestates, eásque distinctas eorum fecit coniunctio. Duæ enim causæ sunt, quæ res populi in multas partes diuiserunt: altera quæ suprà exposita

est, populi distinctio. Populi enim pars alia aratorum est, alia eorum qui in sordidis artibus versantur, alia mercenariorum: quarum prima cum secunda coniuncta, & tertia vtrique non tantum eo differt, quòd populi potestas melior deteriórque fiat, sed eo etiam quòd non eadem. Altera causa est ea de qua nūc dicimus. Quæ enim populares potestates attingunt, reíq; publicæ propria videntur, ea coniuncta Respub. quæ populi consiliis administrantur, ab hac separauerunt. Alij enim pauciora, alij plura conueniunt, cuidam hæc omnnia. perutile est autem vnumquodque eorum cognoscere, vt cōstituatur quam quisque sequi velit, & quæ sint adhibendæ correctiones. Hoc enim agunt, hoc meditantur ij qui Respub. constituunt, omnia quæ apta accommodatáque sint, ad finem propositum referre. quod qui faciunt, errant: quemadmodum docui tum, cùm de Rerump. interitu & conseruatione disputarē. Nunc de fundamentis & institutis, quæque expetant, disseramus.

Fundamentum quidem popularis Reipub. est libertas. Cap. 2. *Hoc enim omniū sermonibus increbuit, quasi verò in hac vna Repub. libertatis insit communio: propterea quòd hāc dicant ab omni populari imperio indagari & exquiri. Libertatis autem vna pars est, vicissim parêre atque præesse. Ius enim populi in eo positum est, vt omnes æquales opes habeant, non pro dignitate: quo iure constituto, necesse est summam esse populi potestatem: quódque maiori parti visum sit, id finē & ius esse. Omnes enim ciues pari iure viuere aiunt oportere. Ex quo fit, vt in potestate tenues, quoniam plures sunt, plus possint quàm copiosi. Id autem demū valet, quod maiori parti visum est. Atque hoc quidē vnum signum est libertatis, quem sibi finem omnes populares*

proponunt in Repub. Alterum autem est, sic viuere, vt velis. Hoc enim libertatis aiunt esse proprium: siquidem serui est, viuere non vt velit. popularis quidem Reipubli. alter hic finis est. Hinc autem euenit, vt parêre velint in primis nemini: sin minus, vicissim: idque ad libertatem conducit eam, quæ ab æquabilitate proficiscitur. His autem positis, atque hoc stante principio, hæc quæ sequuntur popularia sunt iura. Creandos & deligendos esse magistratus omnes ex omnibus, imperium habere oportere omnes in quẽque, & vicissim quenque in omnes. sortitò magistratus mãdandos esse omnes, aut eos certé qui exercitationis non indigeant, nec artis: non pro ratione vllius census, aut quàm minimi, esse mandandos: nefas esse eundem bis vllum magistratum gerere, aut raro, aut certè paucis exceptis bellicis: breue tempus præscriptum esse oportere magistratibus omnibus, aut quibus potest: omnibus licere de rebus omnibus ius dicere, aut de plurimis, iisque grauissimis & principalibus: veluti de rationibus referendis, de Repub. & rebus quas priuatim quisque cum quoque contrahit. Concionem summam habere omnium rerum potestatem: magistratum nullum vllius, aut quàm paucissimarum, aut maximarum. Magistratuum autem nullus magis popularis est senatu, in quo non omnibus stipendium datur, præsertim cùm ei etiã ordini potestas adimatur. Sibi enim populus cui ingens merces est attributa, iudicia omnia vendicauit, quemadmodũ superioribus libris, cùm hac de re dissereremus, diximus. Præterea stipendium pendere primùm omnibus, concioni, iudiciis, magistratibus: sin minus, senatui, & concionibus statis, vel magistratibus iis qui inter se victus societate cõ-

iungantur necessarió. Iam quoniam paucorum potestas & genere & opibus & disciplina definitur, popularia his cõtraria videntur esse, vt ignobilitas, vt paupertas, vt sordidæ & illiberales artes. Magistratum autem nullum perpetuum esse. Quòd si quis ex antiqua mutatione reliquus sit tum fas esse ei autoritatem imminuere, & à suffragiis ad sortem transferre. Atque hæc sunt popularium potestatum communia, quæ ex eo iure nata sunt, quod inter omnes constat esse populare, omnes æquo iure viuere, in quo populare imperium ac populus maximè videtur consistere. Aequum est enim nihilo magis præesse locupletes quàm tenues, nec eos solos summam habere potestatem, sed omnes ex æquo. Sic enim in Repub. æquabilitatem & libertatem inesse existimabunt.

Hoc ita constituto, quæret aliquis, quo tandem modo opes æquè magnas habere poßint an census, exempli causa, quingentorum, in mille diuidendi sint, vt mille tantum poßint, quantum quingenti? an non in eo ponenda est quæ ex eo sumitur æquabilitas, sed facta hoc modo partitione, ex quingentis & mille par hominum numerus sumendus est, quorum summa sit diuisionum atque iudiciorũ potestas? Vtrum igitur hæc Respub. quæ populari iure æquissima sit, an ea potius quæ multitudinis? Aiunt enim populares, id demum ius esse, quod maiori parti visum sit: pauci autem potentes, quicquid maiores opes probarint. pro opũ enim magnitudine iudicari aiunt oportere. Sed in vtroque inest inæqualitas & iniustitia. Si enim quicquid pauci approbarint, id ius tyrannis constituitur, quippe cùm si vnus aliquis locupletum opes superet, is vnus iure eius Reipub. Cap. 3.

quæ est in potestate paucorum , dignus sit principatu. Sin quod plures, ij iniuriam facient, proscribendis bonis locupletum & tenuiorũ, vt suprà diximus. Quæ ergo sit æqualitas, quã vtriq; concedunt ex eo iure quod vtriq; statuunt, cognoscendũ est. Quod enim dicũt, quicquid maiori parti visum sit, valere, sit ita sanè, at nõ oĩno. sed quoniã duę sunt partes, ex quibus ciuitas cõstat, opulẽti & pauperes, quod vtrisq; visum erit, aut maiori parti, id ratũ esto. Sin cõtrariæ sunt eorũ sententiæ, quod plures sequẽtur, atq; ij quorũ maior est census. Veluti si hi decem, illi viginti, & visum sit sex è locupletibus atq; tenuibus quindecim, accedant ad pauperes quatuor opulenti, ad diuites illos quinque inopes: túmque vtrũlibet census superabit, coniuncto vtrorumque censu, id valeat. Sin paritas erit sentẽtiarum, eadẽ hæc existimanda quæstio est: quæ nunc, si concio in partes duas diuisa sit, aut forũ & iudiciũ. Aut enim sorti res committẽda est, aut quid aliud tale faciẽdum. Et quãquam in ęquo & iure valdè difficilis est veri inuentio, tamen facilius est id assequi, quàm eis persuadere omnibus, qui augere res suas & amplificare possunt. Semper enim æquabilitatis & iuris pręsidiũ petunt inferiores, superiores autẽ id negligũt.

Cap. 4. *Cum autẽ eius reipu. quæ à populo administratur, quatuor sint genera, primæ & optima (quemadmodũ superioribus libris dictũ est) & vetustissima omniũ descriptio est. Primã autẽ dico, quæ in populos diuisa est. Cum enim populus agriculturæ deditus, bonitate & virtute præstet, certè populare ciuitatis genus constitui potest, vbi multitudo colendis agris pascendisque gregibus se vitámque tueatur. Nam cum operi intenta sit, quòd non magnas opes habeat,*

rarò conuentus celebrat, quódq; non ei res ſuppetant ad viuendum neceſſariæ, & in opere eſt, nec alieni eſt appetẽs. Sed maior quædam voluptas ex agendo opere, quàm ex Republica gerenda & magiſtratibus percipitur, vbicunque non magno quæſtui Reſpub. eſt. plerique enim vtilitatis magis quàm dignitatis ratione ducuntur. Quod ex eo intelligi poteſt, quia & olim tyrannos pertulerunt: & paucorum imperium perferunt, ſi quis opere eos minus prohibeat, nec eis ſuum detrahat. Citò enim aliis magnæ copiæ ſuppetunt, aliis non deſunt. Præterea poteſtas mandandorum magiſtratuum, & rationum repoſcendarum facilè explet deſiderium, ſiqua honoris cupiditate pulſentur. Quãquam enim apud nonnullos populos non mandat populus magiſtratus, ſed quidam qui ex omnibus viciſſim deliguntur, quemadmodum Mantineæ: tamen cum multitudine præclarè agitur, ſi ad conſilia adhibeatur. Eáq; ſpecies quædam ac forma Reipubli popularis ducenda eſt, cuiuſmodi fuit aliquando apud Mantineam. Itaque è Republi. populi, de qua prius dixi, eſt, in cáque eſſe conſueuit poteſtas mandandorum magiſtratuum omnium, & repoſcendarum rationum geſti magiſtratus, & iudiciorũ. Vtile eſt autem, ad gerendos maximos magiſtratus voce ac ſuffragiis peruenire: quorum vt quiſque maximus erit, ita ex maximo cenſu mandetur: vel certè in nullo mandando cenſus ratio ducenda eſt: iique demum eos gerent, qui adiumenta eorum gerendorum habeant. Qui autem hoc Reipub. genere vtentur, ij & præclarè gubernentur neceſſe eſt, quod à præſtantiſſimis viris magiſtratus gerentur, populi ſumma volũtate, nulláque honorũ inuidia: & boni atque

patricij hoc statu erunt & ordine contenti, quòd & parebunt non aliis deterioribus hominibus: & iustè præerunt, cùm sibi gesti magistratus rationes reddendas esse apud alios videbunt. Pendêre enim ex aliis, nec dari cuique quiduis faciendi potestatem, conducit. Licentia enim malum in quoque homine prouidere non potest. Ex quo efficitur id quod Rebuspub. plurimum prodest, vt boni qui omni vitio carent, præsint, nullo imminuto iure multitudinis. Perspicuum est ergo, hanc populi potestatem præstare cæteris, quòd populus bene sit animo constitutus. Ad studium autem agriculturæ leges omnes quę quondam apud nonnullos latæ sunt, mirabiliter populum alliciunt, quæ omnino modum quendam possessionibus adhibent, quem egredi nō liceat, aut vetant ne quid à certo loco ad vrbem versus occupent. Legibus etiam olim in multis ciuitatibus sancitum fuit, ne quis primam hæreditatem venderet. Lex etiam est quam Oxyli esse dicunt, cuius vis ea erat, vt ne quis in parte fundi qui cuiuspiam esset, fœneraret. Sed hoc tempore ad Aphytalorum legem quę ad id quod agimus pertinet, dirigenda sunt omnia. Illi enim etsi multi sunt, agrúmque exiguum tenent, tamen viuunt omnes in agris. Apud eos enim in precio sunt non vniuersæ possessiones, sed eæ quæ in tot partes diuisæ sint, vt etiam pauperes æstimationem ac precium superare poßint. Secundum autem multitudinem quæ agriculturam tuetur, populus is præstantißimus est, apud quem opiliones sunt, & rei pecuariæ studiū sequitur. magnum enim habet cum agricultura commercium: quæque ad officia bellica pertinent, hi maximè præstant exercitatione, & optima corporis constitutione, sub

diuo durare possunt. Reliquæ autem omnes ferè multitudines ex quibus cætera populi imperia constant, ab harum bonitate deflexerunt. Nam & vita praua est, & nullum facinus cum virtute habet commercium eorum quę tractat multitudo opificum, & forensium hominum atque mercenariorum. Præterea quoniam in foro & in vrbe hoc hominum genus versatur, facilè cœtus & conuentus celebrat. At agricolæ quòd per agros dispersi sunt, nec conueniunt ipsi, nec æquè eiusmodi conuentus desiderant. Vbi autem agri eiusmodi situs est, vt procul absit ab vrbe, ibi facile est præclarum populare ciuitatis genus constituere, & Rempublicam, quòd in agris multitudo in colonias exire cogitur. Quocirca in eo Reipub. genere quod populi dominatu tenetur, etsi vulgus forum terat, tamen non sunt conuentus celebrandi, quin ea multitudo quæ in agris habitat conuocetur. Ac optimus quidem & primus popularis ciuitatis status, quemadmodum constituendus sit, dixi. Perspicuum est autem quomodo etiam cæteri. Nam eodem modo egrediendum est extra limites iusti imperij, deteriórque multitudo semper separanda est. At verò extrema populi potestas, quoniam in ea omnes reperiuntur permixtæ, nec cuiuis ciuitati tolerabilis est, nec facilè stare potest, quin legibus & moribus bene sit constituta. Quæ autem & hanc & cæteras Respu. euertere soleant, maximam partem tradidi. Constituenda autem hac populari potestate, firmandisque populi opibus soliti sunt ij qui præsunt, quàm plurimos recipere, ciuitatéque donare, non solùm legitimos & proprios, sed eos etiam qui ex alterutro ciue, vt patre vel matre nati sint. Quicquid enim tale est, naturæ istius ple-

bis est aptius. Mos quidē fuit assentatoribus plebis hoc pacto constituere Rempu. sed tamen recipiendi sunt ciues eatenus, quoad maior sit pars locupletum atque mediorū, nec vltrà progrediēdum est. Si enim superent, ordinem omnem è Repu. tollunt, & locupletes vt molestè ferant popularem potestatem impellunt: quod seditionem in Remp. Cyrenensium induxit. Malum enim recens & exiguum contemnitur: cum autem conualuit, viréſque sumpsit, videtur ab omnibus. Ea etiam consilia valent ad constituendam hanc populi potestatem, quibus & Clisthenes vsus est Athenis, cū populare ius amplificare vellet, & apud Cyrenen ij qui populi potestatem constituerunt. Nam & tribuum numerus augendus est, & sodalitates à priuatis sacris ad pauciora & publica reuocandæ sunt, omniáque facienda vt quàm maximè inter se omnes permisceantur, & superiores consuetudines dirimantur. Quæ etiam opes tyrannorū firmant, ea omnia popularia videntur: cuiusmodi est seruorum, quæ ad quandam finem conducere potest, licentia, & mulierum & liberorū, & viuendi vt quisque velit potestas. Multi enim erūt, qui hāc Remp. iuuabunt, cū præsertim plerique malint intemperatè quàm temperatè viuere.

Cap. 5. *Quoniam autem scriptoris legum, eorúmque qui aliquam eius generis Rempu. constituere velint, neque maximum opus, neque solum est constituere, sed vt conseruetur potius prouidere: (neque enim difficile est eos qui qualibet Repub. vtuntur. vnum diem aut duos tréſve florére) danda opera est, vt iis rebus ex quibus cognouimus superioribus libris quę Rerump. conseruationes essent, quæque euersiones, tutam Rempu. firmámque reddamus. Ac primùm*

ea quæ interitum & perniciem afferunt vitabimus, deinde leges feremus eiusmodi & scriptas, & non scriptas, quibus maximè salus Reip. continetur. Neq; verò existimare debemus, id valere ad populi paucorúmque opes, quod facit maximè vt Respu. vel in populi sit vel in paucorum potestate, sed id demum quod facit vt diu. Quoniam autem nunc tribuni plebis dum grati esse plebi volunt, in iudiciis multa publicant, debent ij qui Reipublicæ consultum volunt, contrà facere, sanciendo legibus, nihil esse publicum eorum qui damnantur, sed sacra omnia. Nam & ij qui iniuriam faciūt, quòd æqualis erit iactura, non minus pertimescent, & plebs minus condemnabit, cùm sibi damnatos nulli quæstui fore intelliget. Publicæ etiam accusationes in angustißimimum locum concludendæ sunt. Sic enim maximis pœnis ij qui temerè accusant, coërcebuntur, quòd non in populares, sed in locupletes intendi soleat actio. Cùm autem omnes, tum vel maximè ciues charam Rempub. habere debent. Sin minus, at certè enitendum est, vt ne ij qui præsunt, hostes habeantur. Cúmque extremæ populi potestates multitudine hominum abūdent, difficiléque sit eos conuentus cœtúsque celebrare, quibus merces nulla proposita est, quę res vbi fructus nulli publici sunt, locupletibus obest: propterea quòd ex tributis, publicatione bonorum & iudiciis iniquis id necessariò nascitur, quæ omnia multas iam populi opes euerterunt: vbi fructus nulli sunt, populus raròconuocandus est, & iudicia facienda sunt de multis rebus, sed paucos dies. Hoc enim valet & ad demendum sumptuum metū locupletibus, si inopes, non copiosi iudicent: & ad iudicandas causas, quòd locuple-

tes multos dies à rebus suis abesse nolunt, & paucos volũt. Vbi autem vectigalia sunt, non id faciundum est, quod hodie ij faciunt qui populi patrocinium susceperunt, qui ea quę superant partiũtur, eáq; simul capiunt, ac rursus eadem requirunt: vt instar vasis quod perfluit, pauperibus præsidio id esse videatur. Sed ei qui verè popularis sit, videndũ est, vt ne nimiùm sit inops multitudo. Hac enim re fit, vt res populi vitiosæ sint. vt ergo abundantia rerum diu suppetat, omni ratione prouidendum est. Et quoniam id etiam diuitibus vtile est, ea quæ fructus ipsi pariunt omnia diuidenda sunt inter inopes: præsertim si quis congerere tantum possit, quantũ satis sit ad agellũ emendũ: sin minus, ad mercaturæ agriculturęq; rationem. Quòd si inter omnes minus possit, at certè tributim, aut inter aliam quandam partem erit diuidendum. In quo perutile erit ad necessarios conuẽtus locupletes conferre pecuniam, qui minus necessaria munera expetent. Quo quidem modo Carthaginenses dum Rempublicam administrant, populi beneuolentiam conciliant, quòd cum semper populum in colonias deducunt, eũ collocupletant. Gratiosorum autem nobilium est, ac sapientum, recipiendis pauperibus, occasione data, ad opes eos adhortari. Præclarum etiam est Tarentinorum facta imitari, qui possessionibus cum inopi multitudine communicandi beneuolentiam ad vsus Reipubli. comparant. Iidem magistratus omnes in duo genera tribuerunt, vt alios suffragiis, alios sortitò creari vellent. Sortitò quidem, vt plebi ad eos aditus patêret: suffragiis, quò melius Rempubli. gererent. Quod in eodem magistratu licet facere, si ita partiamur, vt aliis sorte, aliis voce, suffragióque mandetur. Ac

quemadmodum populare ciuitatis genus constituendum sit, diximus.

Ex quibus perspicuum est, quemadmodum Rebuspub. iis quæ paucorum dominatione tenentur, sit consulendum. Ex contrariis enim vnaquæque paucorum potestas ad contrariam Rempubli. cui præsit populus, reuocanda est, habita ratione eius paucorum potestatis, quæ & prima sit, & maximè temperata. Cuiusmodi ea est quæ proximè ad eā accedit, quæ Respub. dicitur, in qua census ita diuidendi erunt, vt eorum partim minuamus, partim augeamus. & minuamus eos, ex quibus magistratus necessarios ciues adipiscentur: augeamus verò eos, ex quibus describuntur ij, quorum maior erit in Republi. potestas. Quique hunc censum habebunt, eis ad Rempubli. gerendam aditus erit patefaciendus, si modò interim tantum censum conferet populus, vt eo adiuncto superiores sint iis qui ad Rempublicam non accedent. Homines autem Reipublicæ administrandæ, semper ex meliore populo deligendi sunt. Eodémq; modo in ea quæ hanc sequitur paucorum potestate, pauca restitui corrigíque debent. At verò ea quæ extremæ populi opposita est, quáque nulla nec ad dominatum, nec ad tyrannicum imperium propius accedit, quò deterior est, eò maioris cautionis ac diligentiæ indiget. vt enim corpora quæ bene constituta sunt, atque valent, & naues ad nauigandum aptæ nautis, multos errores ferunt, vt iis non intereant: corpora autem ægrota, & naues dissutæ, quibus nautæ imperiti contigerunt, ne paruam quidem culpam ferunt: sic vt quæque Respublica pessimè constituta est, ita plurimum ad se tuendam requirit. Ac Respub. eas quæ à populo re- Cap. 6.

guntur, omnino hominum frequentia tuetur atque conseruat: quippe quæ iuri quod pro dignitate tribuitur, opponatur. Paucorum autem potestati contrà, à recta & præclara descriptione salus & auxilium petendum est necessarió.

Cap. 7 Quoniam autem partes sunt quatuor potissimùm multitudinis, agricolarum, opificum, mercatorum, & mercenariorum: quatuor item ad bellum vtiles, equitum, grauis armaturæ militum, leuis, ac nauticarum rerum peritorum: vbi locus & ager ad equites accommodatus erit, ibi percommodè firmas paucorum opes constituere licebit. Nam & his copiis incolarum salus conseruatur, & alere equos ij demum possunt qui magnas opes habent. Quę autem regio grauis armaturæ militibus opportuna erit, ea secundo generi paucorum potestatis erit aptissima. Nam grauis armatura locupletes potius quàm tenues attingit. Leuis autē armatura, & res nautica, omnino popularis imperij est. At nunc quidem vbi hominum huius generis magna copia est, cùm in seditione est ciuitas, tum ferè infelicius dimicatur. Cui malo remedium petendum est à belli ducibus, qui cum equitatu & graui armatura leuem quæ conueniat solent coniungere. Hac autem in discordiis & seditionibus locupletes populus vincit. Cum enim expediti sint, facilè cum equitatu & grauis armaturæ militibus concertant. Hanc ergo manum ex his constituere, cum sit in se constituere & comparare: omnes debent, quoniam distinctæ ætates sunt, aliique maiores natu & senes sunt, alij adolescētes, eos qui etiam adolescētes sunt, liberos suos leuibus artibus erudire: eos autem qui è pueris excesserunt, athletarum arte. Cōmunicāda est autē cum multitudine Reipub. rectio, aut quem

admodum modò docui, cum iis qui opes ac censum nacti erunt: aut quemadmodum Thebani faciunt, cum iis qui certo quodam tempore à sordidis operibus abstinuerũt: aut vt Massiliæ, delectu habito eorum qui digni sunt Repub. & eorum qui repudiandi sint, & excludendi. Magistratibus etiam iis quorũ summa est in ciuitate potestas, quósque adipisci debent ij qui in Rep. versantur, munera quædã & sumptus addendi sunt, vt iis populus sua voluntate careat, gratiámque habeat magistratibus, quòd magno precio eis constet magistratus. Eos autem qui hos magistratus inibũt, & sacra facere magnifica decebit, & aliquod opus publicum ædificare, vt cum populus epulo adhibebitur, cernétque vrbem ornatu & splendore nitere, partim donariis, partim ædificiis, libẽter videat stantem & florẽtem Rempub. Ex quo etiam fiet, vt monumẽta sumptuum ac magnificentiæ suæ locupletibus maneant. Quanquam hæc non obseruãt hoc tempore ij qui ad gubernacula sedent Reipub. quæ est in potestate paucorum: vtilitati enim non minus, quàm dignitati seruiũt. Quapropter præclarè agitur, si paucas eius generis quæ à populo tenentur, Respublicas nominare possimus. Ac de constituenda Republica, & ea quæ à populo, & ea quæ à paucis administratur, hactenus.

Sequitur vt quot sint, & qui, quarúmque rerum magistratus, quẽadmodũ suprà dixi, disseramus. Nam & sine magistratibus quibus opus est, esse ciuitas non potest: & sine iis qui ad ordines moresque instituẽdos pertinent, rectè habitari nullo modo potest. Præterea cum sit etiam necesse, quẽadmodũ docui, in paruis ciuitatibus paucos, in magnis plures esse magistratus: qui probandi sint, qui repudiandi, Cap. 8.

nosse debemus. Primùm quidem in necessariis est curatio quæ in foro tota occupata sit, cui preponendus est magistratus, ad quem res contrahendæ, earúmque apta moderatio pertinent. Ferè enim necessaria est omnibus ciuitatibus aliarum rerum emptio, aliarum venditio, ad vsus vitæ necessarios: ídque proximè videtur accedere ad earum rerum abundantiam, cuius causa conuenisse homines in vnam Rempublicam videntur. Altera quæ hanc sequitur, eíque finitima est, procuratio rerum est publicarum & priuatarum quæ in vrbe accidunt, vt decorum seruetur: eius est etiam, collabẽtes ædes sartas & tectas seruare, vias reficere, fines agrorum inter ciues terminare, vt sine litibus viuant, omniáque alia munera eiusdem generis. Hunc magistratum plerique præfecturam vrbanam vocant. plures autem partes complectitur, quarum aliis alios præficiunt in iis ciuitatibus quæ celeberrimæ sunt, vt murorũ, fontium, portuúmque curatores. Alius est necessarius, similísque superiori. Iisdem enim in rebus versatur, sed ad regionem eáque quæ extra vrbem sunt, pertinet. Vocantur autem ij magistratus præfecti peregrini à quibusdam, ab aliis nemorum præfecti. Atque hæ quidem tres sunt harũ rerum curationes. Alius autem magistratus est, qui pecunias publicas cogit, diuidítque asseruatas vnicuique iurisdictioni. Hos coactores quæstorésque nominant. Est etiam magistratus alius, apud quẽ perscribẽda sunt priuata pacta, & iudicia forensia, apud eosdem etiam accusationes & vocationes in ius. Alicubi verò hunc quoque in multas partes tribuunt, sed earum omniũ eadem est autoritas. Appellãtur autem commentarienses, præfecti, actuarij, aut scribæ,

aliísque nominibus quæ his vicina sunt. Hunc sequitur alius, quo nullus ferè magis necessarius est, neque difficilior, cuius procurationi commissæ sunt mulctæ damnatorum, & ea quæ ad professiones puerorum pertinēt, cùm in numerū virorū ascribuntur, atq; homines custodiēdi tradūtur: Difficilis est quidem & molestus, quòd in odia hominum incurrat. Itaq; vbi magnum præmium non proponitur, nec magistratum eum adipiscuntur: neque cùm adepti sunt, legibus parent. Necessarius autē vsus eius est, propterea quòd frustra iudicia fiūt de rebus iustis, nisi ad finem perducantur. Ita si iudiciis sublatis, nulla hominum inter ipsos societas & cōmunio esse potest, & sublata effectione. Itaq; melius est non esse vnum hunc magistratū, sed alios aliarum decuriarum. itemq́ue danda est opera, vt eorum qui in acta referūtur, & adolescentum qui profitentur, professiones distinctis magistratibus potestatibúsque tribuantur. Hoc etiā faciendum erit, vt quædam negotia ita gerant magistratus, cùm cæteri omnes, tum noui noua potius, & instantia, vt alius condēnet, alius puniat. Veluti negotia de quibus sententiā tulerint præfecti annonæ, præfecti vrbis exequātur, & illi ea de quibus alij pronūciarint. Quò enim minus inuisi erunt ij qui quod ab aliis statutum erit, ipsi perficient, eò facilius res ad exitum perducentur. Ac si iidem condemnent & puniant, duplici inuidia laborabūt: sin autem iidem de rebus omnibus statuēt, omnibus inuisi erūt. Multis etiā locis magistratus is cuius custodiæ sontes traduntur, ab eo distinctus est, cuius est in eos animaduertere, vt Athenis eorum qui Vndecimviri nominantur. Quò melius est hunc etiam diuidi, in eoque subtilem quādam inuenire rationē,

cùm presertim nō minus quàm superior desideretur. Et quoniam boni hunc magistratum maximè repudiant, eúmque malis periculosum est mandare, quòd iis custodia potius opus est, quàm vt aliorum se custodes poßint profiteri: nō debet hic vnus magistratus esse eisdem, neque perpetuus esse, sed vbi est quidam adolescentum & custodum ordo atque descriptio, magistratus etiam prouinciam hanc vicißim alij atq; alij debent gerere. Atq; hi quidem magistratus primo loco habēdi sunt, quòd vsus eorum sit necessarius maximé. Alij autem hos sequuntur non minus illi quidem necessarij, sed qui maioris amplitudinis speciē præ se ferunt. Ab iis enim maior vsus, periculū, fidésq; postulatur. Cuiusmodi sunt ij qui vrbem custodiunt, quíq; ad bellicos vsus deligūtur. Esse enim oportet & pace & bello, qui portas & muros custodiant, & quorum diligētiæ ac curæ recensio delectúsq; ac descriptio ciuium permittatur. Ac nonnullis quidem in locis his omnibus muneribus multi, in aliis pauci præpositi sunt magistratus, vt in paruis ciuitatibus vnus omnibus præest. Hos autem imperatores, ducésque belli vocāt. Quòd si sint equites, aut pedites, aut sagittarij, aut nautici, vnicuique eorum interdum præficiuntur magistratus, appellantúrque præfecti claßis, præfecti equitum, & præfecti peditum, sigillatímq; his subiecti sunt tanquam partes generi, vt præfectus triremis, vt decurio, vt cēturio, quæque horum sunt partes: quorum omnium si quid totum sumatur, genus erit bellicorū munerum. Atque huius quidē magistratus talis est ratio & descriptio. Quoniam autem si minus omnes, at quidam certè magistratus multa negotia publica tractāt, alius sit necesse est, qui rationem ab illis re-

poſcat geſti magiſtratus, in eóſque animaduertat, nec quicquam aliud agat. Eos vocāt tum cenſores, tum logiſtas, tum quæſtores, tū patronos. Eſt præterea magiſtratus cuius maior eſt quàm cæterorum poteſtas, qui ſæpe & vectigal & tributū exigit. Is multitudini præeſt, vbi ſumma eſt populi poteſtas: quia debet id quod cōuocat conſilium, ſummam in Repu. habere poteſtatem. Alicubi autē vocantur conſules, à conſulendo. vbi autē plebs dominatur, ſenatus potius dicitur. Ac ciuiles quidem magiſtratus tot ferè ſunt. Aliud genus curationis eſt eorū qui religioni deorū præpoſiti ſunt, cuiuſmodi ſunt ſacerdotes & curatores eorū quæ ad ſacra pertinent, vt ſarta tecta ſint ea quæ ſtant, & ædes collabētes reſtituantur, quæq́ue alia deorum cultui ſunt attributa. Hæc autem cura & diligentia alicubi vna eſt, vt in paruis vrbibus: alio in loco multas habēt partes atq; diſtinctas à ſacerdotio, vt ſacrificuli, vt æditui, vt quæſtores ſacrarū pecuniarū. Huic coniuncta ea eſt, quæ iis ſacris publicis preeſt, quæ ſacerdotibus lex nō attribuit, ſed ex publico epulo honorem conſequitur. Hos appellāt tum magiſtratus, tū reges, tū Prytanes. Præſunt ergo magiſtratus ijqui neceſſarij ſunt, vt rem in pauca conferam, rebus diuinis & bellicis, publicas pecunias tractant, annonæ præfecti ſunt: mercatus, vrbis, portuū, agrorū præfecti ſunt: iudiciis præterea, rebus contrahendis, perſcribēdis, profitēdis viris, cuſtodiēdis, puniendis, deligēdis, repoſcendis rationibus, de cuiuſq; moribus quæſtionibus exercendis, corrigēdiſq; magiſtratibus, deniq; cōſiliis publicis præſunt. Propria eſt autem earū ciuitatum quæ à rebus gerēdis remotiores otio perfruuntur, quæq; rebus ſecundis vtūtur, dignitatiq́ue ac decorō cōſulunt,

rebus secundis vtuntur, dignitatíque ac decoro consulunt, mulierum disciplina, legum custodia, puerorum disciplina, & gymnasiorum præfectura, ludorum præterea diligẽtia, quales sunt gymnici & scenici, & si qui alij ad hæc specta cula pertinent. Horum autem magistratuum perspicuum est aliquos non esse populares, cuiusmodi est mulierum pue rorúmque præfectura. Inopes enim mulieribus ac liberis pro seruis vti coguntur, quòd seruis careant. Cúmque tres magistratus sint, quorum ratione quidam magistratus summos esse volunt: nomophylaces, consules, & senatus: nomophylaces Reipublicæ quæ in optimorum est potestate accommodati sunt, consules paucorum potestati, senatus po pularis est. Ac de magistratibus quidem ferè omnibus pla nè dilucidéque disputatum est.

ARISTOTELIS DE REPV blica Liber VII.

QVoniam autem qui optimum Reipu. statum rectè quærere vult, is primùm statuat necesse est, quænam vita sit expetẽda maximè, quip pe cùm hac re ignorata & incognita, optima etiam Respub. cognosci nequeat: & præclarißimè agi de beat cum iis qui optima Repub. vtuntur, iis copiis quæ sup petant, nisi quid fortè præter expectationem accidat: Primùm constare debet, quod tandem vitæ genus sit omnibus maximè expetendum: tum idémne publicè ac priuatim, an aliud. De qua beata vita quoniã in libris quos ἐξωτερικοὺς inscripsi, satis multa dixisse videor, illinc assumenda sunt

quæ ad hũc locum pertinebunt. Nemo enim verè dubitare poteſt, quin cùm tria ſint bonorum genera, externa, corporis, & animi, hęc omnia inſint in beatis. Nemo enim beatum dicat eum, in quo particula nulla ſit fortitudinis, nulla temperantiæ, nulla iuſtitiæ, nulla denique prudentiæ: quíque circumuolantes muſcas extimeſcat, neque ab vlla re ſe abſtineat, ſi ſumma edendi bibendíve cupiditate inflammetur, ſummos autem amicos ob quadrantem interficiat, ſitque mente ita inſana & à vero aliena præditus, vt puer eſt & amens. Hæc, inquam, vt dicta ſunt, omnes concedent: de magnitudine autem excellentiáque diſſentient. Nam ſatis in ſe virtutis eſſe rentur, quantulacunque ſint præditi: diuitiarum autem & pecuniæ, & poteſtatis, & gloriæ cæterarúmque rerum eiuſdem generis cupiditati ac ſtudio neque finem vllum, neque modum apponunt. Nos autem eis reſpondemus, facilè eſſe harum rerũ fidem ex effectu & euentu ſumere, cùm videamus omnes quærere, ac tueri virtutes non bonis iis quæ extrinſecus ſunt, ſed hæc illis & quærere & tueri: beatámque vitam ſiue in voluptate, ſiue in virtute ponenda ſit, ſiue in vtroque, iis adeſſe potius qui ſummis voluntatis animíque ornamentis inſtructi ſunt, & modica adiumenta externa & aduentitia habẽt, quàm iis qui magnis copiis illi quidem abundãt rerum externarum, ſed his veris bonis carent. Atqui ſi quis conſideratè rem perpenderit, facilè perſpici poteſt. Nam bona externa terminata ſunt, vt inſtrumentum quoddam. Id autem demùm vtile eſt, cuius nimia abundantia vel obeſt neceſſariò, vel certè nihil eos quibus adeſt adiuuat. At verò animi bona quò plura ſunt & excellunt, eò maius adferunt

adiumentum, si modò eis nō solùm honesti, sed etiam utilitatis nomen attribuendum est. Omninóque illud perspicuū est, optimā cuiusq; rei affectionē ex excellentia quā sumpsit differentiā, earum rerū quarū affectiones dicuntur, esse appellādas. Ita si animus & opibus & corpori præstat, certè omninò, ac ratione nostra necesse est uniuscuiusq; horū optimæ affectionis eandem esse rationem. præterea animi gratia hæc solent expeti, ut omnes qui suæ sunt mentis, expetere debent, nō illorū causa animū. Ac unūquemque nostrûm eatenus participē esse beatæ vitæ, quatenus virtutis ac prudentiæ sumus compotes, iísque consentanearum actionum, inter nos constat, in quo deo teste utimur: qui cùm beatus sit ac felix, non propter aliquod aduentitiū adiumentū, sed per se ipse, & quòd natura sit bonus. ob eam enim causam prospera fortuna aliud est, aliud felicitas. Nā à causa & fortuna quæ extra animā sunt commoditates, proficiscuntur. Iustum autē neminem, neque temperatum fortuna efficit. Ex quo id efficitur, quod iisdem rationibus confirmari debet, & beatā esse ciuitatem optimā, & cum ea præclarè agi. Præclarè autē agi cum iis non potest, qui non præclara facinora faciant. Atqui nullū præclarum facinus nec viri, nec ciuitatis, sublata virtute atque prudentia. fortitudinis autem ciuitatis, & iustitiæ ac prudentiæ eadem vis & ratio est: quarum cùm est particeps unusquisque nostrûm, iustus, prudens, temparatúsq; dicitur. Sed hæc hactenus proœmij loco. neque enim ea præterire potui, neque eorum rationes accommodatæ ac propriè exponi potuerunt. Neq; enim sunt huius disputationis. Nunc verò hoc tantùm positum sit, vitam optimam & priuatim unicuique & publicè ci-

uitatibus eam esse, quæ coniuncta cum virtute, tantum habeat copiarum, vt actiones virtuti cōgruentes adipiscatur. Eos autem qui dissentiunt à nobis, nunc dimittamus. contra quos, si quis fortè iis quæ exposita sunt non credat, mox disputabimus.

Reliquum est, vt eadémne sit beata vita vniuscuiusq; hominis ac ciuitatis, nécne, disseramus. Quæ etiam facilis quæstio est, quandoquidem omnes eandem esse concedent. Qui enim in diuitiis beatā vitam ponūt, ij totam ciuitatē si diues sit beatam esse ducunt. Qui autē tyrannorum vitam plurimi faciunt, ciuitatem etiam, quæ plurimis imperet, beatißimam esse fatebuntur. Quòd si quis vnum virtute præstantem probauerit, is vt quæque Respub. maximis virtutibus ornata erit, ita eam ducet beatißimam esse. Sed hęc iam duo sunt, quæ egent disputatione. Alterum, vtrum vitæ genus anteponendum sit, an quod in gerenda & administranda Repub. cum aliis traducitur, an peregrinorum, quódque procul à ciuili societate seiunctum est. Alterum, quæ Respub. quíque ciuitatis status sit optimus, siue omnes ad Rēpublicā accedere velle debent: siue nō omnes, sed ij quorum sit pars maior. Quoniā autē ciuilis sciētię ac rationis hoc officium est, non quid cuique sit expetendum, videre: nos hoc tempore hanc tractādam quęstionem suscepimus, quòd illud quidem pręter rem esset, hoc huius est institutę disputationis. Ac illud quidem perspicuum est, Rempub. optimam esse eam necessariò, cuius descriptione vnusquisq; beatè posit viuere. Dubiū est autē iis qui viuendi genus coniunctum cum virtute maximè expetendum esse concedunt, vtrum vita quę in Repub. degitur, & Cap. 2.

in actione posita est, sit deligēda: an ea potius quæ ab omnibus externis commoditatibus aliena sit: quo in genere est ea quæ in cōtemplatione rerum & cognitione versatur, quod vnum vitæ genus quidam dicunt esse philosophorum. Nā ferè omnes qui laudem & gloriā ex virtute capere studēt, siue antehac, siue his temporibus, hæc duo potissimùm vitæ genera sequūtur. Sed non parui refert, vtra vera sit opinio. Nam prudens homo, & priuatim vnicuique homini, & publicè Reipu. optimum finem solet proponere. Nonnullorū autē sententia est, illud ipsum finitimis imperare, si ad dominatum spectet, cū maxima quadam iniuria esse coniunctū: sin autem ad ciuile imperiū, vacare illud quidem iniustitia, sed impedimento esse vitæ iucunditati. His quasi è regione oppositi alij, in alia sunt sententia. Tantū enim viri esse vitæ viā, quæ actione ceruitur, & in Repu. degitur. Vniuscuiusq; enim virtutis officia non esse magis priuatorum propria, quàm eorum qui Rempub. gerunt & administrant. Atque horum quidem hæc sententia est. Alij autem eum demùm ciuitatis statum qui à domino aut tyranno tenetur, beatum esse confirmant. Quibusdam is in Repu. finis legum constitutus est, vt finitimis imperent. Itaque etsi apud quosdam plurimæ leges, vt ita dicā, fuse scriptæ sunt, tamen sicubi quid vnum leges spectent, omnes ad id obtinēdum ferunt. Itaque Lacedæmone & Cretæ ferè disciplina & legum multitudo ad bella pertinet. Apud omnes etiā gētes, quæ propagare fines suos possūt, id posse gloriæ datur, vt apud Scythas, Persas, Thraces, & Gallos. Apud quosdam enim populos leges quædam sunt, quæ ad hanc virtutem excitent: vt Carthagine ferunt annulorum ornatum,

pro numero expeditionũ in quibus quisque militauerit, accipi. Fuit etiam interdum lex in Macedonia, vt is qui nullum hostẽ interfecisset, capistro cingeretur. Apud Scythas autem non licebat in epulo quodã solenni poculum circumlatum bibere, ei qui hostem nõ interemisset. Apud Hispanos verò quæ gens multùm valet bello, tot columellas circa sepulchrum statuunt, quot quisque hostes occiderit. Pleraque etiam alia eiusdem generis apud alios partim legibus, partim moribus recepta sunt. Quanquam nimis alienum videbitur iis qui rem attentius considerabunt, hoc esse officium eius qui ciuilis scientiæ peritus est, posse prouidere, vt imperet finitimis, seu imperium volentes ferant, seu detrectent. Quo enim pacto id ciuili communioni aptum esse potest, aut lege sanciẽdum, quod ne legitimum quidem sit? Neque enim legitimum est, non solùm iure, sed etiam iniuria imperare. Nam imperium obtinerè, licet etiam nõ iure. Atqui ne in cęteris quidem artibus hoc animaduertimus. Neq; enim medici, aut gubernatoris est persuadere, aut vĩ afferre: illius, iis qui se curari volent: huius, nautis. Quinetiam plerique scientiam imperandi seruis, ciuilem esse sentiũt: & quod iustum sibi aut vtile esse negant, id nõ pudet eos aduersus alios gerere. Nam & se ipsi iure imperare volunt, & aliis ius suum tribuere nõ curant. Absurdum est autem, nõ esse tributum à natura alij vt imperet, alij vt pareat. Quod cùm ita sit, danda opera est, non vt omnibus imperes, sed iis tantummodo, qui nati sunt ad ferendum imperium: quemadmodum non est enitendũ, vt homines venãdo nanciscamur, vt iis vescamur, vel eos immolemus, sed quod ad eam rem venando quæri potest. Est autem aptum

venationi id omne animal, quod ferum & esui aptum est. Quanquam per se ciuitas vna beata esse potest, quæ scilicet præclarè administretur. siquidem fieri potest, vt ciuitas per se alicubi & sola habitetur, vtatúrque bonis legibus, cuius Reipublicæ descriptio non ad bella, neque ad vincendos hostes pertineat. nihil enim tale instituatur. Ex quo perspicuum est, rem omnem militarem in honestis præclarísque rebus illam quidem ducendam esse, non ita tamen, vt ipsa summum illarum omnium sit, sed hæ illius esse videantur. Est autem sapientis scriptoris legum videre, quemadmodum ciuitas, hominúmque genus, ac omnis reliqua societas, bene beatéque posśit viuere. Attamen quædam erit legum differentia. Idque erit rationis ferendarum legum videre, si qui sint finitimi, quæ quibús cũ excolenda exercendáque erunt, quæque officia aduersus quęque erunt cõseruanda. Sed de hoc toto, quem finem optimus ciuitatis status spectare debeat, mox idoneo loco disseremus.

Cap. 3. Disserendum est autẽ nobis contra eos, qui vitæ genus virtuti consentaneum maximè expetẽdum esse concedunt, & de vsu eius dissentiunt. Nã alij ciuiles magistratus probant, cum aliam liberorum hominum, aliam eorũ qui Rẽp. gerunt, viuendi rationem, illámque vnam ex omnibus maximè expetendam esse putant, alij autem hanc optimam. Neque enim fieri posse, vt is felix sit & beatus, qui nihil agat: felicitatem autem idem esse, quod beatã vitã. Ac vtrique quidem partim verè, partim non verè dicũt. Illi quidem, quòd genus id viuendi quod liberi sequuntur, ei anteponendum esse dicunt quod domini delegerunt, verè dicũt. Neque enim seruo vti, quia seruus sit, vlla laude dignum

est. præscribere enim id quod alter facere cogatur, nulli laudi datur. Existimare autem omne imperium seruile esse, falsum est. Neque enim minus interest inter liberorum hominum & seruorum imperium, quàm inter eos quos natura ad libertatem genuit, & quos ad seruitutem. De quibus, superioribus libris satis multa dicta sunt. Maioribus verò laudibus ornare ocium quàm actionem, haud verum est. Est enim beata vita actio: & ad multos ac præclaros fines, iustorũ temperatorúmque actiones pertinent. Quanquam fortasse erit aliquis, qui his ita constitutis, in eo summum bonũ positum esse putet, si quis omnibus imperet. Sic enim in eius potestate erunt plurimæ pulcherrimęque actiones. Ita qui à natura habet adiumenta imperandi, non debet alteri hanc laudem concedere, sed eripere potius, neque patri liberorum, neque liberis parentis, neque omnino amico amici habenda ratio est. Quod enim optimum sit, id esse expetendum maximé. nunc officium & actionem esse optimam. Atque id quidem verè dicunt fortasse, si modò in iis qui spoliãt alios, vímque afferunt, id insit, quo nihil melius est, nihil præstantius. Sed profectò non potest, idque falso proponunt. Neque enim etiam præclaræ actiones in eo esse possunt, qui non tantum cæteris præstet, quãtum vir mulieri, aut pater liberis, aut seruo herus. Quocirca is qui violabit, non tãtum postea progressum faciet in virtute, quantum iam à virtute defecit. Qui enim similes & pares sunt, ij in imperandi parendíque vicißitudine honestum iúsque collocant: id enim par est, ac simile. Pares autem non æquo, aut impares æquo iure viuere, contra naturam est. Quod autem repugnante natura fit, id non decet.

Quapropter si quis alius excellentioribus virtutibus ornatus erit, adiumentáque rerum gerẽdarum maiora habebit, quàm optimus quisque: ei & seruire pulchrum est, & æquum parêre. Sed non solùm virtus in eo esse debet, verũ etiam vis quædam & autoritas, qua præditus instructior & paratior veniet ad agendum. Quæ cum ita sint, beata certè vita in præclara actione ponenda est: & publicè totius ciuitatis, & priuatim vniuscuiusque optimum vitæ genus erit id, quod in actione consistit. Sed non necesse est vitam eam quæ in actione posita est, ad alia vitæ genera referri, quemadmodum nonnulli existimant: nec cogitationes in agendo esse eas solas, quæ sententiæ aperiendæ gratia, ab actione proficiscũtur. sed multò etiam magis eæ sunt eius generis, quæ se ipsæ contentæ sunt, in séque totæ vertũtur cognitiones & cogitationes. Præclara enim actio ipsa finis est officij. ita quædam etiam actio. Atque etiam eos potißimùm agere propriè dicimus, qui animo & cogitatione externis actionibus præsunt. Neque verò nihil agere necesse est ciuitates eas quæ viuunt in solitudine, ídque viuendi genus delegerunt. Hoc enim in partibus contingere potest. Multæ enim societates sunt, quæ inter se eandem habent rationem quam partes ciuitatis. In vno etiam quouis homine id inuenitur. Haud enim cum Deo, & vniuersitate præclarè ageretũr, quibus nullæ sunt aduentitiæ externæq; actiones, præter eas quæ ipsorum naturis aptæ accommodatæque sunt. Perspicuum est igitur, eandem vitã esse optimam, & priuatim vniuscuiusque hominis, & publicè ciuitatum hominúmque omnium.

Cap. 4. *Quoniam autem & ea quæ modò diximus, proœmij*

loco dicta sunt, & de aliis Rebusp. suprà disseruimus, initiū eorum quæ reliqua sunt, hinc primùm ducendū est. Quæ tandem fundamenta esse oporteat eius ciuitatis, quæ consti tuenda sit ex animi sententia. Cum enim Respu. optima cō stitui non poßit sine moderata & temperata rerū abundā-tia, multa antè ponenda sunt tanquam fundamenta optā-do quæ suppetere poßint. vt multitudo ciuium, & agrorū. Vt enim aliis opificibus, veluti textori & nauium fabro, materia suppeditare debet apta ad id quod vult efficere (quò enim melius parata erit, eò præstantius erit quod ab arte efficietur) sic Reip. rectori scriptoríque legum materia apta suppetere debet. Ciuilis autem suppeditationis primæ partes sunt in hominum multitudine, vt quanta qualísque esse natura debeat, intelligatur. itémque ager quantus & qualis. Ac nonnulli quidē ciuitatem beatam magnam esse putant oportere. Quod vt verū sit, tamen quę magna, quę-que parua ciuitas sit, ignorant. Nam ex multitudine inco-larum magnam iudicant, cùm spectanda sit potius potētia, quàm multitudo. Nā cum certū quoddam sit ciuitatis of-ficium ac munus, ea demum maxima habenda est, quæ id facillimè poßit exequi. vt Hippocratem non hominē, sed medicū maiorem esse quiuis dicat eo, qui ei præstat magni-tudine corporis. Et quāquam iudicanda est ex multitudi-ne, non tamen ex qualibet multitudine, cum præsertim in ciuitatibus necessariò insit numerus & seruorum multorū & inquilinorum, & peregrinorum: sed ex eorum numero qui partes sunt ciuitatis, & ex quibus vt propriis ac suis partibus constat ciuitas. Nā præstās horū multitudo, ma-gnam ciuitatem indicat. At ex qua, eorū qui in sordidis

artibus versantur magnus exit numerus, eorum autem qui arma ferre possunt exiguus, ea certè esse magna nullo modo potest. Neque enim idem valet magna ciuitas, quod frequens. Quinetiam id & difficile esse, res ipsa declarat, & fieri non posse vt præclaris legibus regatur nimiùm celebris ciuitas: quippe cum ex iis quę pręclarè administrentur, nullam multitudine infinitam esse videamus. Quod etiam rationibus cõcludi potest. Nam & lex descriptio est, & pręclara legum descriptio, præclara destriptio ordóque sit necèsse est. Numerus autem immensus, nec descriptione vlla, nec ordine contineri potest. Diuinæ enim hoc potestatis ac naturæ est, quæ hanc etiam vniuersitatem cõtinet. Et quia pulchritudo in multitudine ac magnitudine existere solet, ciuitas in qua cum magnitudine cõiunctus erit is quem dixi modus, pulcherrima sit necesse est. Sed vt aliorum omniũ animantium, & earum rerum quæ gigunntur è terra, & instrumentorum, sic ciuitatum magnitudinis quidam modus est. Horum enim vnumquodque, nec si nimis paruum sit, nec præter modum magnũ & immensum, vim suam retinere potest, sed aliàs sua natura spoliatum erit, aliàs malè affectũ. Veluti nauigiũ vnius palmæ, non erit nauigiũ omnino, nec si sit duorũ stadiorũ lõgitudine. Si verò in quãdam magnitudinẽ progrediatur, interdũ propter paruitatẽ nauigationem aduersam faciet, interdũ propter immẽsitatem. Similiter ciuitas ea quæ ex paucißimis ciuibus constat, nõ erit satis munita: quæ autem ex nimiùm multis, erit illa quidẽ satis instructa & munita rebus ad vitam necessariis, sed in hoc gentis potius quàm ciuitatis nomen obtinebit. neq; enim facile est ex his ciuitatẽ existere. Quis enim

dux in bello tam immẽsæ multitudinis futurus est? aut quis præco non Stentorius? Quapropter prima sit necesse est ciuitas ea, in qua tanta sit multitudo ciuium, vt in ea prima multitudine satis sit præsidij ad bene viuendum in ciuili communione. Fieri autem potest, vt ea quæ hanc multitudinem superet, maior sit ciuitas: sed hoc non est, vt dixi, interminatum. Quis verò sit præstantiæ modus, facilè ex officiis intelligi potest. Sunt enim in ciuitate officia alia eorum qui præsunt, alia eorum qui parẽt. Eius autem qui imperat, est iubere ac iudicare. vt autem de rebus iustis sentẽtia feratur, mandentúrque magistratus pro dignitate, necessariò cognoscendi sunt ciues, qualis quisque sit. quòd vbi hæc minus obseruantur, necesse est malè geri ea quæ ad magistratus & iudicia pertinent. Nam in horum vtroque nihil temerè faciundum est: quod in ciuitate illa immensa perspicuè contingit, in qua etiam & peregrinis & inquilinis facilè ad Rempublicam aditus patet, quòd propter nimiam multitudinem non difficile sit latêre. Perspicuũ est igitur in hoc esse ciuitatis modum & terminum optimũ, si maxima sit multitudo eiusmodi, quæ & munita sit iis copiis quas vita desiderat, & facilè qualis sit, perspici posit. Ac de ciuitatis quidem magnitudine, hactenus.

Eadem est etiã agri ratio. Nam de illo, qualis esse debeat, profectò eũ qui plurima præsidia habeat, sitq; munitißimus, omnes probabũt. qualẽ necesse est rerum omnium ferre ac suppeditare copias. Omnia enim habere, & re nulla egere, id demum est seipso esse cõtentum, satísq; præsidij in se habere. Tantam autem & multitudinem & magnitudinem agri omnes laudabunt, vt poßint incolæ etiam in Cap. 5.

ocio liberaliter simul ac temperatè viuere. Id autem recténe an secus præcipiamus, pòst accuratius videbimus, cum de toto genere possessionum, atque abũdantia facultatum, idoneo loco mentionem faciemus, quemadmodum, & quis modus in earum vsu retineri debeat. Magna est enim de hac re dissensio, propter eos qui vsum earum, in vtranque vitæ rationem quæ modũ transeat, partim ad nimiã pærsimoniam & tenuitatẽ in victu, partim ad luxũ distrahũt. Agri autẽ genus quod esse debeat, facile est dicere. Sed in quibusdam rebus rei militaris peritis habẽda est fides, qui tradunt agrum eiusmodi esse oportere, vt in eum non facilè hostes impetũ facere, & ex eo facilè milites ad expeditionem educi poßint. Iam verò vt multitudinem ipsam hominum eiusmodi esse oportere diximus, quæ facilè videri posset, sic agrum volumus. Aspectui autem subiectum esse agrum, est esse eiusmodi, cui facilè succurri poßit. Vrbs autem, si ex animi sententia condenda sit, & mare & agrũ spectare debet, ídque duabus de causis: quarum altera quidem quæ esset, iam diximus. pertinere enim ager debet ad omnes locos, vt facilè defendi poßit. Altera est, vt fructus qui gignuntur, lignorum præterea materia, & si quam aliam commoditatem ager nactus sit generis eiusdem, commodè & facilè importentur & inuehantur.

Cap. 6. Maris autem nauigatio vtrum ciuitatibus quæ bonis legibus vtantur prosit, ánne obsit, multi sunt qui ambigãt. Nam peregrinorum & exterorum quorundam, qui in aliis legibus educati sunt aduentũ & communionem nocere aiunt & bonis legibus, & loci fræquentiæ. Vsu enim maris fieri, vt mittẽdo & recipiendo, mercatorũ multitudo exo-

riatur: quod præclaræ Reip. administrationi repugnet. Atque id quidem non dubium est, quin si his locus nullus sit reliquus, melius sit & ad propulsanda pericula, & ad rerũ necessariarũ copias, vrbem atque agrum cum mari rationẽ habere. Nam & quò facilius sustineant hostes, & eos dãno aliquo afficiãt qui aggrediuntur, magnę opportunitates ad opem ferendam & terra & mari iis suppetant oportet, qui seruandi sunt. Quod si minus vtraque re poterunt, at certè altera magis suppetet iis qui vtraq; re valent. Quæque desunt, ea accipere & importare, & quæ abũdant exportare cogit necessitas. Sibi enim negotiatrix ciuitas, non aliis esse debet. Qui autem mercatum aperiunt omnibus, ij quæstus causa id faciunt. Quòd si hãc talem auiditatem probarę non debet ciuitas, ne hunc quidem mercatum obtinere. Et quoniam nunc videmus multis agris & vrbibus adesse nauium stationes, & portus aptè extructos ad ciuitatem, vt neque ipsa vrbs id aliis tribuat, neque procul loco aliquo remotiore: quinetiã muris aliísque eius generis propugnaculis cincta sit: perspicuum est, si qua commoditas ex hac communione percipiatur, ad ciuitatem id totum peruẽturum: si quid autem incommodi, id facilè vitari posse, sanciendo legibus, quibúscum non sit ineunda & quibúscum ineunda sit societas. De copiis autem naualibus, haud dubium est quin perutile sit earum quandam vim & copiam obtinere. Neque enim sibi ipsis solùm, sed etiam finitimis, auxilio ac præsidio & terrori esse omnes debent, vt terra, sic mari. Quanta autem vis & multitudo huius rei esse debeat, ex vitæ genere quod ciuitas delegerit, cõstituendũ est. Si enim vitã principe vel Repub. dignã sequatur, necesse

erit hanc vim ad officia ac negotia accommodari. Multitudo autē hominum quæ in turba nautarum esse solet, non est ciuitatibus necessaria. Nulla enim in parte ciuitatis habendi sunt. Claßiarij enim & vectores liberi sunt homines, & in iis qui terra militant, atque summam habent in nauigando potestatem. Et si magnus sit numerus accolarũ & agricolarum, magna sit etiam necesse est nautarum copia. Quod etiam nũc animaduertimus: vt in ciuitate Heracleotarum, qui multas triremes implent, nacti ciuitatem commoditate præstantem cæteris. Ac de agro, & portubus, & ciuitatibus, & mari, copiisque rerum nauticarũ hactenus. Quis autem modus ac finis constituendus sit vrbanæ multitudini, suprà dictum est.

Cap. 7. *Quæ autem natura eorum esse debeat, nunc dicendum est. Hoc quidem certè facilè perspici licet, si ciuitates Græcorum quæ in magno sunt nomine & gloria, vniuersúsque orbis à quàm variis & differentibus inter se gentibus incolatur, videamus. Nam quæ gentes frigida loca incolunt, & Europam, alto & excelso animo sunt, ingenio autem & arte nihil valent. Itaque libertate magis gaudent, à ciuili scientia abhorrent, nec finitimis imperare sciunt. Asiaticæ autem, ingenio valent illæ quidem, & artificio: sed quia demisso animo sunt, parēt aliis semper ac seruiunt. At verò Græci vt medium inter eos locum incolunt, sic vtrorumque mores imitantur. Sunt enim & magnanimi, & acuti. Itaque tum libertate vtuntur, tum optima Repub. eáque vna tum ceteris imperare norũt. Eadem est Græcorũ inter se dißimilitudo. Aliorum enim simplex natura est, alij aptos habent animos ad vtrãque vim & facultatem.*

Perspicuũ quidẽ est, & ingenio & animo excelso esse oportere eos qui à scriptore legũ ad virtutis studiũ sint impellendi. Quod enim aiũt quidã, custodes aduersus notos amicè, aduersus ignotos acerbè & immaniter se gerere oportere: pars ea animi in qua irarũ existit ardor, est quæ amicitiã gignit. Hæc enim pars est animi, qua ad amorẽ impellimur. Quod ex eo sciri potest, quia magis in familiares & amicos cõcitatur pars illa, q̃ in ignotos, si se contemptam putet. Itaq; Archilochus rectè, cũ de amicis quereretur, cum hac animi parte verba facit, Nunquídnã amicis opprimebare? Atq; etiam imperãdi & liberè viuendi voluntas ab hac parte animi datur omnibus. Est enim & propẽsus ad imperandum animus, & inuictus. Nec verò honesta oratio est, ignotis difficilẽ se & acerbũ præstare oportere. Neq; enim aduersus quẽquam eo modo nos gerere debemus: neq; magnanimos natura immanes facit, nisi aduersus eos qui iniuriam inferũt. Quẽadmodum aduersus familiares, vt dixi, se gerunt magis, si se violatos existimẽt: nec iniuria. A quibus enim sibi beneficiũ deberi putant, ab iis & iniuria affici se, & gratia debita fraudari vident. Hinc illud, Fratrũ graues inimicitiæ. & illud, Quorũ amor summus est, horũ summa odia. Atq; quot ciues in ciuili societate, quæq; eorum natura esse debeat, quantúsq; ac qualis ager, satis ferè diximus. Neque enim eadem ab iis quæ ratione dicentur, postulanda est subtilitas, quæ ab iis quæ sensibus.

Quoniam autem quæ à natura constituta sunt, non eæ sunt partes totius cõpositionis, sine quibus esse totum non potest, profectò & in ciuitatis quidẽ partibus habẽda sunt ea quæ in ciuitate insunt necessariò, neque in alia vlla cõ- Cap. 8.

munione ex qua vnum aliquod genus efficitur. Vnũ enim aliquid commune atque idem socij adipisci debent, siue par, siue dispar sit eorum conditio, siue id sit cibus, seu agri multitudo, seu aliquid eiusdem generis. Cum verò duarũ rerum ea vis est, vt vna ad alteram quasi ad finem referatur, nihil certè illarum cõmune est, nisi quòd hæc facere, illa accipere debet. Vt exempli gratia, instrumento omni & opificibus nihil cum opere quod efficitur, commune est, quoniam domui cum architecto nihil commune est, sed omnis architectorum ars & industria ad domum refertur. Quapropter etsi possessionibus opus est, tamen nulla est in ciuitatis parte possessio, quanquam multæ res inanimæ in ciuitatis partibus habentur. Ciuitas autem communio est & societas quædam eorum, quorum par est causa, optimæ vitæ degendæ, quoad eius fieri poterit, gratia cõstituta. Et quoniam in beata vita summum bonum est, eáque in virtutis actione vsúque perfecto consistit, itaque fit, vt quidã eius fieri possint compotes, alij aut parum, aut nihil: certè ex hoc multa variáque ciuitatum atque Rerump. genera extiterunt. Nam alij alio modo, aliísque rebus id indagantes, varia viuendi & Reip genera effecerunt. Quantus autem numerus sit eorum, sine quibus esse ciuitas no potest, videamus. Nam quæ in ciuitatis partibus numeramus, in iis ciuitas consistat necesse est. Rerum ergo sumendus est numerus: ex iis enim id perspici licebit Primùm victus suppeditare debet, deinde artes: multas enim commoditates vita desiderat. tum arma, quæ necessaria sunt iis qui ad Rempublicam accedunt, & ad cogendos eos qui detrectant imperiũ, & propulsandam exterorum iniuriam: tum magna vis pe-

cuniæ, quam & ad ſuos & ad belli vſus ſuppeditare poſſint. Quinto loco, atque in primis deorum cultus eſt, quod ſacrum vocant Sexto, id quod omnium maximè neceſſarium eſt, iudicium de rebus quæ ciuibus inter ipſos vtiles ſint, & iuſtæ. Atque hæ ſunt commoditates, quas omnis ciuitas deſiderat. Cùm enim ciuitas multitudo ſit non queuis, ſed quæ præſidia vitæ habeat, & ſi quid fortè horum deſit, omninò ſatis munita, ſéque ipſa contenta eſſe non poſſit: profectò ex his opportunitatibus conſtet ciuitas neceſſe eſt. Sint ergo oportet agricolæ, qui ea quæ ad vitam neceſſaria ſunt, præparent: ſint opifices, ſint qui bellum gerant. ſint locupletes, ſint ſacerdotes, ſint denique qui iudicent de rebus neceſſariis & vtilibus.

His ita conſtitutis, reliquum eſt, vt omnéſne ciues hæc omnia tractare ac ſequi debeant, videamus (fieri enim poteſt, vt omnes ſint & agricolæ, & opifices, & ſenatores, & iudices) an procurationi harum alij præponi, an verò eorũ partim priuata ſint, partim publica neceſſarió. Nõ in omni autẽ Repup. ei quod poſtremò dixi, eſt locus. Quemadmodũ enim dixi, omnes omnia, & non omnes omnia, ſed alij alia ſuſtinere poſſunt. Nam hæc varia Rerumpub. genera ſunt conſecuta: quippe cùm in eo ciuitatis ſtatu cui præeſt populus, omnes munera omnia exequantur. in ea Rep. quę eſt in paucorum poteſtate, contrà. Cúmque optimus ciuitatis ſtatus nobis ſit propoſitus, iſque ſit in quo beatiſsima ciuitas eſſe poteſt, neque beata vita ſine virtute, quemadmodũ dixi, poſsit exiſtere: profectò in ea Repu. quæ quidẽ optimè adminiſtretur, quæque viros iuſtos omninò, non ex fictione & quadam ex parte nacta ſit, ciues nec in ſordidis Cap. 9.

artibus, nec in propolarũ quæstu debent versari, (est enim hæc obscura vita, virtutiq; inimica) neq; agricolæ debẽt esse ij qui futuri sunt ciues: quòd virtutis ortus, ciuiliáque officia ocium desiderant. Cùm autẽ & ij qui bellicis officiis addicti sunt, & ij qui de rebus vtilibus deliberant, & ij qui de iustis iudicãt, sint in primis partibus ciuitatis, ídque constet, vtrum ij in alio numero reponendi sint, an eis vtraque officia tribuẽda, quæstio est. Sed ea quæstio facilè explicari potest. Nam quodammodo iisdem, quodammodo aliis tribuenda sunt. Quatenus enim vtrunq; officium ab alia atque alia ætate præstandum est, & alterum prudentiam, alterum vires postulat, eatenus tribuenda sunt diuersis. Quatenus autem fieri non potest, vt qui iniuriam facere & propulsare possunt, ij perpetuum imperium ferant, eatenus iisdẽ. Qui enim armorum bellíque vsu valent, in iis situm est vt & stet & non stet Respub. Relinquitur ergo, vtrisque eorum committẽdam esse Rempub sed non eodem tẽpore, verùm vt natura & res feret. Vires sunt florẽtis ætatis, prudentia senectutis. Itaq; hoc modo vtile est & æquum tribui, quandoquidem hæc fit pro dignitate tributio. Quinetiam opibus hi abundare debent, cùm presertim ciuibus in quo sunt numero, necessariæ sint opes. Nam multitudo eorũ qui in sordidis artibus versantur, in nulla sunt parte ciuitatis: neque vllum aliud genus hominũ, quod non virtutis officia prestat. Idq; ex eo quod positum est, perspici licet. Nã & beata vita cũ virtute cõiuncta est necessariò: & ciuitas dicẽda est beata, nõ habita vnius alicuius eius partis ratione, sed omnium ciuium. Perspicuum est etiã, hos opibus valere oportere, si modò serui esse debent agricolæ,

aut barbari, aut accolæ. Reliquum est ex his sacerdotum genus, quorum in promptu descriptio est. Neq; enim agricola aut is qui in sordidis artibus versatur, instituẽdus est sacerdos: quandoquidẽ honorem diis ciues tribuere debent. Sed quoniã Respub. in duas partes distributa est, id est in equites & senatores, tribuendúsque est diis cultus, & cessare debẽt in eorũ cultu ij quibus certo tempore vt cessent denũciatum est: iis certè sacrorum cura erit committẽda. Numerus quidẽ eorũ sine quibus ciuitas stare nõ potest, & omniũ partiũ ciuitatis, præscriptus est à nobis. Nam & aratores, opifices, totúmq; genus mercenariorum inesse debẽt in ciuitatibus, & in partibus ciuitatis equites ac senatores, & ita vnumquodque eorum separatum distinctúmque fuit, vt alteri semper alteris vicissim hæc officia præstarent.

Neque verò aut his temporibus, aut nuper hoc intellexerunt ij qui de Repu. disserunt, esse in genera tribuẽdam ciuitatem, aliúdque esse equitum, aliud agricolarum. Nã & in Ægypto etiam nũc, & Cretæ, hęc manet ratio: quarum in Ægypto Sesostrius, vt fama est, & Minos Cretæ ita sanxit legibus. Sodalitatum etiam vetus ratio est. Cretæ quidem Minois imperio constitutæ sunt, in Italia autem multò anté. Tradunt enim qui ea loca incolũt, patriorum institutorum interpretes, Italum quendam fuisse Oenotriæ regem, à quo, mutato nomine, Itali pro Oenotris sint vocati, orámque illam Europæ quæ est intra Scylleticum & Lameticum sinum, qui inter se absunt dimidiati diei itinere, Italiam appellatam esse. Hunc Italum fama est, Oenotros, qui tum greges pascebant, ab illa vita ad agriculturæ studiũ traduxisse, eísque cùm leges alias dedis- Cap. 10.

se, tum in primis sodalitates constituisse. Itaque etiam nunc quidam ex illius posteris, & sodalitatibus vtuntur, & quibusdam legibus. Incolebant autem tum oram eam quæ ad Tyrrhenum mare pertinet, Opici: qui & antea, & nunc Ausonij vocantur. & eam quæ ad Iapygium & Ionium spectat, quæque Syrtis dicitur, Chaones, qui etiam ab Oenotris genus duxerant. Hinc ergo primùm aduecta est sodalitatum ratio, ex Aegypto autem multitudinis ciuium in genera descriptio. Multo enim tēpore antè fuit, quàm Minois regnum, Sesostrius. Ex quo intelligi par est, alia etiam ferè multis antè, atque adeò infinitis temporibus inuenta fuisse, cùm præsertim & verisimile sit, vsum ipsum ea docuisse, quæ ad viuendum necessaria sunt: & cōsentaneum, ea quæ ad ornatum pertinent, cùm iam hæc essent, ad tantam peruenisse dignitatem. Ita fit, vt eodē modo etiam de iis quæ ad Rempub. pertinent, iudicare debeamus. Esse autem ea antiqua, ex Aegyptiorum institutis intelligi licet, qui & vetustißimi videtur esse, & leges ciuitatísque statum habuerunt. Quapropter & iis quæ adhuc dicta sunt, vtendō est: quæ prætermisimus, & omni ratione quærēda sunt. Agrum quidem esse oportere & equitum, & eorum qui ad Rempublicam accedunt: eósque qui agrum ipsum colent, ab iis distingui oportere: & ager quantus qualisq; esse debeat, iam demonstrauimus. Nunc quoniam possesßiones, vt quidam volunt, communes esse nobis non placet, sed communicari eas inter ciues volumus vsu quodam amicitiæ, vt desint nemini ea quæ ad victum pertinent: de agri diuisione, quósque ac quales ij qui eos colent, esse oporteat, disseramus. Sodalitates quidem omnibus pla-

cet, vtiles esse bene constitutis ciuitatibus. quamobrem autem nobis etiam placeat, pòst dicemus. Sed quoniam iis ciues omnes adhiberi debent, nec facilè possunt inopes tum cõstitutum sibi tributum pendere, tum rem suam familiarẽ tueri: & ij sumptus qui sacris deorũ fiunt, cõmunes sunt totius ciuitatis: in partes duas ager sic diuidendus est necessariò, vt altera communis sit, altera priuata, earúmque vtraque rursus bifariam ita diuidi debet, vt communis agri altera pars ad deorum munera & sacra, altera ad sodalitatũ sumptus referatur: priuati autem altera pars ad prædia sita in agri finibus suppetat, altera ad suburbana: vt duplici parte cuique agro attributa, vtriusque loci ad omnes perueniat hæreditas. Ita enim æquitas & ius seruabitur, & cũ finitimis rariùs bellum geretur. Vbi enim his locus non est, ibi alij finitimorũ inimicitias & bella negligunt: alij nimiũ ea, & contra decorum extimescunt. Itaque apud nõnullos lex est, ne ij qui in agri finibus aliquid possidẽt, in cõsilium adhibeantur de bello quod cum finitimis suscipiendum est: quasi res sua quenque impediat, quò minus prudens consilium capere possit. Ager ergo his de causis ita est diuidendus. Ij autem qui agrum ipsum colent, primùm ac maximè, si ex animi sententia serui esse debent, nec vnius gentis omnes sint, nec elato animo. Sic enim & ad rem gerendam vtiles erũt, & procul ab eo aberũt, vt res nouas moliantur. Secũdo autẽ loco barbari accolę, iisdẽ præditi moribus quibus superiores. Eorũ autem priuati in priuatis agris eorum erunt peculiares ac proprij, qui opes habebunt: in communibus autem, publici. Quo autem modo seruis vtendum sit, seruisque omnibus libertatem melius esse quasi præmium

proponere, post demonstrabimus.

Cap. II. Vrbem quidem terram ac mare omnémque agrum spectare oportere, quoad eius fieri poterit, iam ostendimus. ut autem ipsa situm eum assequatur, quem maximè velimus, quatuor spectanda sunt. Primum quod necessariũ est, salubritas. Eæ enim vrbes, quæ Orientem spectant, eósque ventos qui inde flant, salubriores sunt. Alterum, Aquilo. Hæ enim contra hyemẽ sunt munitiores. In reliquis duobus positæ sunt rerũ vrbanarum & bellicarum opportunitates. Atque ad bellicas quidem facilè atque expeditè ex ea exercitus debet educi: hostium contrà ægrè ad eam penetrare, atque eam obsidione cingere. Aquarũ autem & stagnorum maximè quæ natura loci per se suppeditet, magna vis & copia suppetere debet. Sin minus, at certè id inueniendum est, parãdis aquæ pluuiæ receptaculis, quæ magna vi aquarũ abundent, vt nunquam eos in bello præclusos ab agro deficiat. Quoniam autem habenda est valetudinis incolarũ ratio, id positum est in eo, vt vrbs sita sit in hoc vel illo loco, & ad hoc vel illud efficiendũ aptè & accõmodatè: deinde vt aquis salubribus vtatur, eáq; res magnæ sit curæ. Quarũ enim rerum maximã copiam plerunq; ad corporis vsum adhibemus, eæ maximũ adiumentum ad valetudinẽ afferunt, quam naturã habent aquarum ventorúmq; vis ac copia. Quocirca in bene moratis ciuitatibus definiendũ præscribẽdúmq; est, si non omnis aqua sit æquè salubris, neq; eiusmodi cisternarũ sit copia, quę aqua ad victũ, quæ ad alios vsus adhiberi debeat. De locorum autem propugnaculis, non parem vtilitatem ex iis omnes percipiunt ciuitates. Veluti arx paucorũ potentiam & vnius

dominatum attingit potius, loci æqualitas populi imperiũ, eorúmque neutrũ aptum est ad eam Rempub. quæ optimorum cõsiliis administratur, sed loca potius firma & crebra. Priuatorum autem ædificiorum forma gratior illa quidem habetur, & ad cæteras res vtilior, si aditus faciles habeãt, & ea forma quæ nunc in vsu est, & ea qua Hippodamus vtebatur: sed ad belli opportunitates, contrà vt quondam erat. Nam & difficiles præbebat exitus exteris, & inextricabiles latebras, si quis impetum faceret. Hæ igitur duæ commoditates in illis retinendæ sunt. Fieri enim potest, si quis ita extruat, vt solent agricolæ, quos nonnulli vocant vitium ordines, vt tota vrbs non fiat peruia, sed quibusdam in partibus ac locis. Sic enim & munita erit, & clara. De muris autem, quos adimũt quidam vrbibus iis quæ virtuti dant operam, nimiùm veterem opinionem repetũt, præsertim cùm re ipsa videant improbari eas vrbes, quæ id sibi laudi ducebant. Ac si res quidem sit cum pari iure & more viuentibus hominibus, nec qui multitudine vincant, indecorum sit profectò saluti suæ consulere murorum septis velle. Cùm verò & vsu veniat, & fieri poßit, vt vis eorũ qui aggrediuntur & humanam & paucorum virtutẽ longè multúmque superet, certè si saluti prospiciendum est, non expetenda clades aut contumelia, tutißimũ murorum præsidium, & propugnaculum bello aptißimum esse putãdum est, his præsertim temporibus cùm tormenta & machinæ excogitatæ sunt, obsidendis oppugnandísque vrbibus. Nihil enim interest, vtrum muros vrbibus circundari nolint, an agrum opportunum iniuriis aggredientiũm quærant, an locos montosos tollant: similitérque faciunt, vt si

priuatis domibus muros & parietes non circundarent, tanquam incolæ ignaui essent futuri. Atqui hoc intelligendũ est, licere iis qui mœnibus vrbes cingunt, in vtranque partem uti vrbibus, & pro iis quæ muros habent, & pro iis quæ carẽt. quod in iis non contingit quæ carent. Quæ cùm ita sint, non solùm muri vrbibus circundandi sunt, sed diligentia adhibenda est, vt & ornamentum vrbi afferant, & bellicis necessitatibus cùm cæteris, tum iis quæ nunc inuentæ sunt. Vt enim id curant omni ratione ij qui aggrediuntur, quibus rationibus superiores erunt: sic & hæc inuenta sunt, & alia quærenda iis qui vrbes tuentur. Neq; enim vnquam in paratos & instructos impetum facient.

Cap. 12. Quoniam autem multitudo ciuiũ sodalitatibus adhibenda est, & muri idoneis locis distinguendi sunt turribus & stationibus, certè quasdam sodalitates in his propugnaculis conuenit constitui. Atque hæc quidem eo modo quo dixi, exædificanda erunt. Aedibus autem quæ sacris deorum faciendis assignabuntur, magistratuúmq; maximè ratis sodalitatibus locus idoneus deligendus erit, atq; idem iis sacris omnibus, quæ lex separatim, nec responsa deorum excipiunt. Cuiusmodi locus erit is, qui magnam significationem dabit, virtuti tributum locum esse, & speciem propugnaculi vicinis vrbis partibus præbebit. Ei autem loco subiici debet forum eiusmodi, quale in Thessalia est, quod liberum vocãt. Id est, liberum esse debet ab omni mercatu, vt neq; fæx plebis eò, neque agricolæ, nec vllum aliud tale genus hominum accedat, nisi à magistratibus accersatur. Locus etiam clarus ita futurus est, si senum exercitationibus erit constitutus. Nam pro cuiusque ætate hoc Reipu.

ornamentum distinguendum est, vt & rebus quas adolescentes gerent, magistratus quidam intersint, & frequẽtes sint senes cum magistratibus. Magistratuum enim præsentia vero pudore afficit maximè, metúmque libero dignum homine incutit. Forũ autem rerũ venalium ab hoc diuersum esse debet, & alio in loco situm eiusmodi, in quẽ facilè conuehi poßint, & quæ mari, & quæ ex toto agro importabuntur. Cúmque multitudo ciuitatis distributa sit omnis in sacerdotes, & magistratus, decet sacerdotum etiam sodalitatibus ad ædes sacras locum constitui. Magistratuũ verò & eorũ qui rebus contractis & cõtrahendis præsunt, & eoram qui accusationibus, atque vocationibus in ius, aliísque rebus eius generis administrandis præpositi sunt: itémque præfectorum mercatus, & præfecti vrbis, in foro & in loco celebri sodalitates constituendæ erunt. qualis locus est is, in quo res ad viuendum necessariæ venduntur. Nam vt alterum forum semotum à turba, & à rebus agendis liberum posuimus, sic hoc rerum necessariarum causa. Imitari etiam ac tenere debemus in agro eam quam exposui descriptionem. Illic enim magistratibus iis quos syluarũ custodes vocant, & definitores agrornm, sua propugnacula & sodalitates præsidij causa esse debent. itémque sacra in agro attribui debent, alia diis, alia heroibus. Sed superuacaneum est de his talibus accuratè differere, cùm præsertim nõ sint hæc cognitu difficilia, sed factu potius. Nam de his disputare, optare est: ea autem euenire ac fieri, fortunæ.

Quapropter his omißis, nunc quibus rebus ea ciuitas, quæ beata futura est, quæque optimo Reipublicæ statu vtitur, constare debeat, dicendum est. Duo sunt in quibus Cap. 13.

omnium rerum laus & perfectio consistit, quorum alterum in eo quod sibi proponere debent, & in fine actionum sapienter constituendo: alterũ in earũ actionum quæ ferunt ad finem, inuentione cernitur. Fieri enim potest, ut hæc ipsa & consentiãt inter se, & discrepent. Interdum enim id quod spectare debent, rectè illud quidem constitutum est, sed in actione ipsa ab eius adeptione aberrãt. aliàs ea quæ ad finem pertinent, omnia assequuntur, finem autẽ sibi vitiosum proponunt. aliàs in vtroque peccatur, vt fit in medicina, in qua quomodo affectũ esse oporteat corpus quod valeat, interdum non rectè iudicant, neque res ad propositum finem ferentes assequuntur. Atqui hæc duo in artibus ac disciplinis obtineri debent, finis, & quæ ad finem pertinent actiones. Ac illud quidẽ perspicuũ est, bene beatéque viuendi cupiditate incensos esse omnes, quæ aliis assequi licet, aliis per quãdam fortunã aut naturã non licet. Nam adiumenta quædam bene viuendi ratio desiderat, eáque minora in iis qui melius animo & corpore, maiora autem in iis qui peius sunt constituti. Sunt autẽ qui etsi detur potestas, tamen non rectè beatam vitam exquirãt. Quoniam autem nobis optimum ciuitatis genus propositum est ad cõsiderandum, ídque est quo sapientißimè ciuitas administratur, eóque demum ciuitatis status sapiẽtißimè administratur, quo facillimè esse beata ciuitas potest: certè quid sit beata vita intelligendum est. Tradimus quidem in libris de Moribus, si quid fortè libri illi nos adiuuant, actionem esse & vsum virtutis perfectum, eúmque non ex fictione, sed omnino. Dico autem ex fictione, necessariò: & omnino, præclaré. Vt in iustis officiis & actionibus iustæ pœnæ

& supplicia à virtute illa quidẽ proficiscuntur, sed necessariæ sunt, in iisque honestum necessariò continetur: quippe cùm optabilius sit, nec in viro desiderari hæc, nec à ciuitate postulari. At verò quæ ad honorem & copias pertinent, omnino sunt pulcherrimæ actiones. Nam cùm alterũ e mali cuiusdam sit optio, contrà sit in his actionibus. Sunt enim & præparationes & causæ bonorum. Vir autem sapiens ac bonus, & in paupertate & in morbo, cæterísque rebus aduersis decorum conseruabit. Atqui beata vita in rebus contrariis cernitur. Etenim illud constitutum est in libris de Moribus, eum esse sapiẽtem qui à virtute impelli tur, vt quæ omnino bona sunt, ea denique bona iudicet. Ex quo perspicuum est, necesse esse vsum hunc præclarum esse omnino. Itaque adiumenta hæc externa beatam vitam efficere homines existimant. Vt si quis præclarum vsum fidium à lyra magis quàm ab arte proficisci arbitretur. Ex quibus efficitur necessariò, quædam suppetere oportere, alia à legis scriptore esse præparanda. Quocirca optamus ex iis cõstare ciuitatem, quorum est domina fortuna, quandoquidem eam dominam esse posuimus. Non enim in fortuna positum est, sapientem esse ciuitatem, sed in scientia, animique iudicio ac voluntate. Atqui sapiens ciuitas ex eo est, quòd ciues ij qui in ciuitatis partibus habentur, sapientes sunt ac boni. nobis autem ciues omnes in partibus sunt ciuitatis. Hoc ergo videndum est, quónam pacto vir bonus ac sapiens possit effici. Etenim si omnes sapientiam consequi possunt, non singuli ciues, sic magis expetendum est. Consequens est enim, si omnes sint, & vnumquẽque esse sapientem. Tribus autem rebus probitatẽ

sapientiámque adipiscimur, natura, more, atque ratione. Primum enim natura gignat oportet, vt hominem, non aliud aliquod animal: ita quodam modo affectum & animo & corpore. Quædámque nihil à natura tribui adiuuat, quòd moribus detorqueãtur. Sunt enim quædam à natura data hominibus, quæ consuetudine in vtranque partem deflectunt, in bonum & in malum. Ac cætera quidem animantia naturam potissimùm vitæ ducem sequũtur, quædã etiam paulùm consuetudinẽ adhibent. Homo autem etiã ratione vtitur. Solum est enim ex tot animãtium generibus particeps rationis, atq; cogitationis. Quocirca hæc inter se cõgruere oportet, cùm præsertim multa cõtra morem & naturam faciant homines, sua quisque duce ratione, si inducãt in animũ, melius aliter fore. Ac quę natura in iis esse debeat, qui legis scriptori morẽ sint gesturi, iam exposuimus. Reliquum autem officium ac munus est iam disciplinæ.

Cap.14. Quædam enim homines assuescẽdo discunt, alia audiẽdo.

Quoniam autem ciuilis societas omnis ex iis qui pręsunt, & ex iis qui parent constat, hoc quidem videndum est, aliámne vitæ rationem, an eandem ij qui imperant, & qui in aliorũ sunt imperio, sequi debeant. Perspicuum est enim pro hac dissimilitudine & distinctione, dissimilem etiam adhibendã esse disciplinam. Ac si tanta esset inter eos dissimilitudo ac differentia, quantum deos & heroas hominibus præstare arbitramur, in quorum primùm corporibus magnæ sunt excellentiæ, deinde in animis, vt certa & perspicua esset eorum qui præsunt præstantia, profectò semper eosdem imperare atque parêre esset melius. Cum verò hoc sit difficile inuentu, neque id in promptu sit, quod apud

Indos Scylax ait, esse reges, tantũ præstantes iis qui in eorũ sunt imperio: perspicuum est, necesse esse multis de causis omnes ciues ex æquo vicißim præesse atque parére. Nam & eodẽ iure viuere debent, quorũ par causa est, & Remp. stare difficile est, quæ contra ius sit constituta. Omnes enim qui agrum incolunt, rerum nouandarum cupidi, cum iis qui parent se coniungent, quos vniuersos ij qui Rempu. gerent superare non poßint. Veruntamen eos qui præsunt, præstare iis qui se ipsorum imperio subiecerint oportere, de hoc nulla dissensio est: quod quemadmodum fiat, scriptori legum diligenter videndum est. Quanquam de eo iam diximus. Natura enim hæc distinxit, quippe quæ in eodem genere alios adolescentes, alios senes fecerit: quorum illos parêre deceat, hos imperare. Molestè autem & acerbè nemo fert imperium, quem parêre ætas patitur: neque se superiorem putat, præsertim cum eundem honorem sit adepturus, cum id ætatis fuerit. Concedendum est ergo, vt eosdem illos imperare & parére, & vt diuersos, ita esse quatenus disciplina eadem, & quatenus alia sit adhibenda. Qui enim bene imperaturus est, paruerit, vt aiunt, aliquando necesse est. Imperium autem, vt in primo libro diximus, aliud ad principis, aliud ad eorum qui parent commoda refertur: quorum illud seruile imperium appellamus, hoc liberorum hominum. Et quoniam eorum quæ imperantur quædam distinctio est, quæ non in officiis ac muneribis, sed in fine cernitur, multa eorum munerum quæ seruilia videntur & puerilia, liberis hominibus digna sunt. Neque enim tam interest ad honestatem aut illiberalitatem, qualia per se officia sint, quàm quò quicque referatur. Quoniámque

eandem virtutem & ciui, & ei qui præest, & præstantissimo viro attribuimus, eũdémque parêre primùm ac deinde imperare volumus, hoc certè scriptori legum videndum erit, quemadmodum viri boni efficiantur, & quibus studiis, & quis optimo vitæ generi sit propositus finis. Animus autem in partes duas diuisus est, quarum altera per se est rationis particeps, altera per se illa quidem non est compos, sed ei obedire potest: quarũ partium virtutes esse cõfirmamus eas, ex quibus vir bonus quodãmodo nominatur. Sed in vtra harũ parte potius finis situs sit, quæstio est. Nec obscurum est quidem quid consentaneũ sit iis dicere, qui eandem quam nos partitionem adhibebunt, cum præsertim & minus perfecta perfectorũ gratia procreata sint: quod tum in iis quæ arte efficiuntur, tum in iis quæ natura vigent, perspici licet: & rationis quæ pars est compos, ea quæ non est, melior sit atque perfectior. Eius autem partes sunt duæ, quemadmodum eam partiri soliti sumus. Ratio enim alia in actione, alia in cognitione cernitur. Eodémq; modo ea pars in qua ratio ipsa inest, debet diuidi. Quod eodẽ modo de actionibus & officiis iudicandũ est, vt optimæ cuiusque partis quę per se expetatur, actiones sint expetendæ maximæ iis qui vel omnes, vel certè duas poßint consequi. Semper enim id maximè cuique expetẽdum est, in quo adepto quasi extremo acquiescit. Omnis etiam vita in partes duas distributa est, in negotium & ocium, in bellum & pacem. Atque rerum agendarum partim necessariæ sunt, partim vtiles, partim honestæ. Quæ etiam diuisio ad animi partes, earúmque actiones transferri accommodaríque debet. Ac bellum quidem pacis causa expetendum

est, negocium autem ad ocium conferendum est. at officia necessaria & utilia, honestorum causa expetenda sunt. Ac ciuilis quidem rationis peritus in ferendis legibus omnia circunspicere debet, tum partes animi, tum earum actiones & officia, sed multò magis optimum quicque ac extremum. Eodémque modo in omni vitæ genere, actionúmque diuisione se gerere debet. Cùm enim rerum gerendarum bellíque, tum multò etiam magis pacis atque ocij adiumenta ciues habere debent. Et res necessariæ atque vtiles gerendæ sunt, sed multò magis honestæ. Quapropter hæc spectanda sunt erudiendis instituēdísque pueris, aliísque ætatibus quæ disciplinam desiderāt. At verò Græci ij qui his temporibus optimo Reipublicæ genere gubernari videntur, scriptoresque legum qui has Respublicas constituerunt, nec in Repub. describenda optimum finem, nec in legibus & disciplinis virtutes omnes sibi proposuerunt, sed vim spectantes, eas tantummodo quæ vtilitatibus amplificādísque rebus diriguntur. Atque etiam quidā qui postea his de rebus scripta reliquerunt, eandē secuti sunt opinionem. Lacedæmoniorum enim Rempu. laudantes, legislatoris sapientiam mirantur, quòd omnia ad potentiam bellúmque direxerit: quæ & verbo facilè reprehendi possunt, & re ipsa nunc sunt reprehensa. Vt enim maxima pars hominum multis imperare vult, quòd ita rerum secundarum, ad nostrámque voluntatem fluentium maximæ suppetunt copiæ: sic & Thibro, & omnes qui de Lacedæmoniorum Repu. scripserunt, eum qui Lacedæmoniis leges dedit, propterea admirātur, ꝙ quia exercitati e-

rant periculis, latè eorum imperium patuit. Atqui perspicuũ est, cùm imperium iam non teneant Lacedæmonij, nec beatos eos esse, nec legis scriptorem fuisse sapientem. Hoc etiam ridiculum est, eos parentes eius legibus, cùm esset nemo qui impediret quò minus legibus uterentur, amisisse bene uiuendi rationem. Nec verò vera est eorum de imperio sentẽtia, quod is qui dat leges, probare videri debet. Nam seruili, liberorum hominum præstantius imperium est, multóque magis si sit cum virtute coniunctum. Præterea non est ciuitas ob eam causam ducenda beata, nec legis scriptor ornandus laudibus, quòd exercitatione docuerit eos finitimis imperare. Hæc enim magnum important incommodũ. Cui enim dubium est, quin ciuibus omnibus qui modò possint, danda sit opera, vt ciuitati cuius sunt imperent? At hoc Lacedæmonij in Pausania rege etiam tanta dignitate prædito, reprehendunt. Harum igitur rationum ac legum nulla nec ciuili societati apta est, nec cum vtilitate aut veritate coniuncta: cùm præsertim iis quę præstantissima sint mentes hominum & priuatim & publicè scriptor legis imbuere debeat. Rerúmque bellicarum vsus & exercitatio, non ob eam causam adhibenda est, vt eos qui indigni sunt, seruitute opprimamus: sed primùm vt ne aliis seruiamus, deinde vt principatum quæramus, quo eorum qui nostro imperio se subiecerint commodis consulere, non omnium dominatum vendicare possimus. Postremò, vt eos dominatu & imperio premamus, qui digni sunt. Ponendum autem esse studiũ & operam ei qui dat leges, in eo potius, vt leges quæ & bellum & cætera omnia attingunt, ocium pacémque quasi finem spectent, res ipsa, quæ cum verbis

cõsentit, indicat. Hæ enim tales ciuitates, maximá ex parte bello conseruantur, imperij vendicatione concidunt. In pace enim splendorem quasi ferrum amittunt, eius culpa qui leges dedit, qui eos ocij pacísque artes non docuit.

Et quoniam idem finis propositus est & priuatim, & publicè hominibus, idemq; modus cõstituendus est & viro optimo, & optimæ Reip. certè virtutes eæ quæ ad ociũ & quietẽ ferunt, adesse debent, præsertim cum sæpe, vt dictũ est, & bellum suscipiatur ob eã causam, vt in pace, & negociũ, vt in ocio viuatur. Valent autẽ ad ociosam vitã, & eæ virtutes quarũ omne opus ac munus in ocio, & eæ quarũ in negocio actionéq; cernitur. Multæ enim res ad victum cultumq́ue necessariæ adsint oportet, vt quietã vitã liceat degere. Itaq; frugalitatẽ ciuitas, fortitudinẽ, patientiámq; desiderat. Nam cùm veteri prouerbio, seruis nulla sit cessatio, ij qui forti animo adire pericula non possunt, serui sunt eorum qui aggrediuntur. Ac fortitudo quidem & patientia in suscipiẽdis gerẽdísque negociis necessaria est, philosophia autẽ in ocio. Temperãtia verò & iustitia in vtroque tẽpore necessaria est, potiúsq; ociosos & quietos attingit. vt enim bellum iustos frugíque esse cogit, sic res secũdæ atque ociũ cum pace libidinosos & iniustos potius facit. Magna igitur iustitia, magna tẽperantia iis necessaria est, qui putãtur beatissimi, iísque rebus omnibus quæ beatos faciunt, perfruuntur: cuiusmodi sunt si qui sunt, vt tradunt poëtæ, in beatorum insulis. Maximè enim his necessaria erit philosophia, maximè temperantia & iustitia, quò magis quietam vitam in tanta omnium rerum copia & affluentia traducunt. Ac eam quidem ciuitatem quæ beata futura Cap. 15.

est & sapiẽs, his virtutibus præditam esse oportere, hinc intelligi licet. Turpe est enim non posse vti bonis, in negocióque ac bello virtutis & probitatis, in pace & ocio seruilis ingenij dare significationem. Itaque excolenda virtus est, non quemadmodum Lacedæmonij faciunt, qui hoc à cæteris non differunt, quòd nõ eadem quæ alij in maximis bonis ducunt, sed quòd hæc ipsa magis quadam virtute effici existimant. Ex his autem perspicuum est, hæc bona esse maiora, eámque voluptatem quæ ex his percipitur, ea quæ ex virtute, eámque per se existere. Quo autem modo, quibúsque rebus eam assequamur, id iam videndum est. Exposuimus quidem paulò antè, eam natura, consuetudine, & ratione constare. Et quoniam natura eorum quæ esse debeat, docui, reliquum est vt ratione instituendi sint, an more, videamus. Hæc enim duo inter se maximè congruere debent. Fieri enim potest vt ratio quæ ab optimo fine qui ei propositus sit aberret, à consuetudine, quæ ei cõsentanea sit, eò dirigatur. Id quidem primùm animaduerti licet in cæteris rebus, ortum ab aliquo initio, & absolutionem ab aliquo initio alterius naturæ perfectæ proficisci. Nobis autem ratio & mens naturæ perfectio est. Ita fit vt ab vtraque morum origo & exercitatio præparanda esse videatur. Deinde vt animus & corpus duo sunt, sic animi partes duas cernimus: alteram quæ expers est rationis, alteram quæ est eius particeps: duósque harum habitus, quorum hic appetitus, ille mens dicitur. Vt autem corporis ortus prior est quàm animi, ita ea pars quæ non vtitur ratione, antiquior ea est quæ vtitur. Idque ex eo sciri potest, quia ira, volũtas, & cupiditas in pueris insunt, vt primùm

ſunt in lucem editi: ratio autem & mens, progredie͂tibus ætatibus. Quocirca primùm corporis cura & diligentia illam animi antecedere debet, deinde cupiditatis. ita tamen, vt curam cupiditatis ad mentem, & corporis ad animũ referamus. Quòd ſi principiò legiſlatori vide͂dum eſt, vt eorum qui educantur corpora optimè ſint conſtituta, prima cura in coniugio poni debet, quando & cuiuſmodi inter ſe coniugia inire debeant.

Sanciendis autem de coniugio legibus, ſpectandi ſunt vir & mulier, mas & fœmina, & vitæ tempus, vt eorum ætates eodem tempore concurrant, neque ita vires diſcrepent, vt vir etiam ſuſcipere liberos poßit, mulier nõ poßit: aut hæc poßit, ille non poßit. Ex his enim ſeditiones inter eos diſcordiǽque naſcuntur. Habenda eſt etiam ratio ſuſcipiendorum liberorum. Liberi enim nec parentibus ætate multò poſteriores eſſe debent, quia neque ſenibus patribus filij gratiam referre poſſunt, neque parentes liberis ſubuenire: nec ſuppares, quia multa hinc incommoda naſcuntur. nam & minus apud eius generis homines, vt æquales, pudor valet, & in re familiari inter pares ferè querelæ ſolent exiſtere. Præterea id vnde initiò huc delapſi ſumus, videndum eſt, vt corpora natorum, eius qui leges dedit, voluntati congruant. Quæ ferè omnia cura diligentiáque vna continentur. Quoniam enim ferè ad ſummum viris annorum ſeptuaginta numerus, mulieribus quinquaginta, procreandorum liberorum finis conſtitutus eſt, coniugij initium pro ætate in hæc tempora incidere debet. Eſt autem iuuenum coniugium incommodum liberorum procreationi. Cum enim in omnibus animantibus im- Cap.16.

perfecti sint iuniorum partus, ac multò etiam magis fœminarum, eorúmque statura exigua, id etiam in hominibus fiat necesse est. Quod hinc sciri potest, quia quibus in ciuitatibus hoc in more positum est, vt adolescentes cum puellis coniugentur, & minus absoluta sunt & parua corpora natorum. Plus etiam doloris percipiunt in partu iuniores, pluresq; moriuntur. Itaque respõdisse deos Trœzeniis quidam asserunt, multas periisse, quòd puellæ ante tẽpus nuptui darentur, non propter fructuũ perceptionem. Pręterea si serius dentur nuptui, in eo castitati earum continentiæque cõsuletur, quòd adolescentiores quæ liberis dant operã, ad libidinem sunt procliuiores: virorúmque corpora ex eo magnũ in crescendo detrimentum capiunt, si tum cum etiam semẽ augetur, venereis rebus vtantur. Earum enim certũ quoddam tempus est, quod non superat id etiam quod plenũ est. Quapropter anno circiter duodeuigesimo collocandæ sunt, illi septimo & trigesimo, aut paulò anté. Nam & coniugium erit tum cum vigent corpora, & opportunè coniunctis temporibus in finem procreationis incidet. Atque etiã liberos suscipient partim ineunte constanti ætate, si modò statim proportione procreent, partim inclinante iam ætate ad annum septuagesimum. Ac coniugia quidem quando ineunda sint, diximus. Tempus autem anni id quod multi sequuntur, id est hyemem, huic rei aptum esse constituimus. In danda verò opera liberis, diligenter attendenda eis sunt & ea quæ à medicis, & ea quæ à Physicis traduntur. quorum illi tempora commoda corporibus accuratè notant, hi autem ex ventis Boreales magis quàm Australes probant. Quæ autem corporum affectio maximo

vsui sit procreatis, dicendum est potius accuratè iis in libris qui ad puerorum disciplinam pertinent. nunc satis erit planè ac dilucidè dicere. Neque enim athletarum habitus ad firmam corporum constitutionem, quam ciuilis societas desiderat, vtilis est, nec ad valetudinem, nec ad procreandos liberos conducit, nec is qui in morbum procliuis, nec is qui ad laborem improbū ac nimium perferendum valet, sed is qui his interiectus est. Exercitatū quidem laboribus corpus esse debet, exercitatum autem non laboribus grauißimis, neque vna re modò vt est athletarum corpus, sed rebus liberis hominibus dignißimis. Quæ virorum & mulierum debent esse communia. Grauidæ etiam corpora curare debent, non ocio torpere, aut tenuem cibum adhibere. Quod facilè præstabit is qui leges dabit, si præscribat quotidie aliquod iter faciendum ad sacra deorum, qui honori partus præsint. Mens autem earum contrà quàm corpus, ocium in vita quietémque desiderat. Quæ enim procreantur, à matre in cuius aluo continentur, alimentum capiunt, vt à terra ea quæ gignūtur ex ea. De ablegandis autem educandísque liberis, esto lex, nihil debilitatum educandum esse. Quòd si propter multitudinē liberorum mos vetet, ne quid eorum quæ procreantur, amandetur, numerus certus constituendus erit eorum qui dabunt operam liberis, procreandorū liberorum. Si verò contra hanc legem nonnulli ineant coniugia, ac procreent, antè quàm sensus & vita ingenerentur, erit adhibenda abortio. Sensus enim ac vitæ erit particeps, quod certum erit: & ne amandetur, religio prohibebit. Quando autem initium ætatis viro atque mulieri præstitutum est, qua inire coniugium

debeant: quantum temporis etiam liberis operam dare conueniat, constituendum est (præsertim cùm senum fœtus, ut adolescentum, inchoata & minus perfecta corpora atque animi existant, eorúmque qui prouecti sunt ætate, infirma minúsque robusta) id, in quo & acies animi & ingenij ualet. Ea autem est in maxima hominum parte, quam quidam poëtæ tradiderunt, qui ætatẽ septenario numero metiuntur ad quinquagesimum annum. Itaque qui hanc ætatem quadriennio aut quinquennio excesserint, ij à procreatione liberorum planè abhorrere debebunt: & quod reliquum est, in contrectatione vel valetudinem, vel aliquã aliam causam eiusdem generis sequi debebunt uideri. Viri autem cum alia muliere, aut aliorum, concubitus omninò indecorus & inhonestus habeatur, cùm sit appelletúrque maritus. Quòd si quid tale tẽpore procreandis liberis præscripto quispiam facere manifestò deprehendatur, ignominia scelere digna notetur.

Cap. 17. *Natis autẽ liberis, magni referre putãdum est ad vires corporis, qualis cibus adhibeatur. ídque animaduerti licet cùm in cæteris animantibus omnibus, tum in gentibus, quibus semper curæ est ad rem militarem habitus aptißimus. Ac lactis quidem natura corporibus accommodata est maximè, sed vinum adhibendum non est, propter ægrotationes. Perutiles etiã sunt motiones, quas tantilli perferre possint. Ne autem in membris corporis propter teneritudinem distortione peccetur, adhibent etiam nunc quædam gentes adminicula quædam fabrefacta, quæ eorum corpora contra distortionem muniãt. Proderit etiam eos iam tum cùm admodũ pueri erunt, perferendis frigoribus assuefacere: hoc*

enim & ad valetudinẽ, & ad bellica officia valet plurimúm. Itaq; apud plerosq; mos est, partim procreata in gelidum flumen immergere: partim, vt apud Gallos, breui ac tenui veste induere. Omnium enim rerũ quæcunque possunt, iam inde ab initio ætatis, melius est adhiberi cõsuetudinẽ, sed sensim atq; pedetentim. Puerorũ autẽ constitutio apta est calore ad frigoris tolerãtiam. Ac in prima quidẽ ætate perutile erit hanc atq; aliam eiusdẽ generis adhibere curã ac diligentiã. Huic autẽ adiuncta ætas vsq; ad quinquennium, neque ad artem vllam trahenda & impellenda est, neque ad graues labores, vt incrementa impediant. Tantum autem motus eis cõcedendum est, vt corporum segnitiem fugiant: quod cùm aliis actionibus, tum ludo assequentur. Sed lusiones nec illiberales debent esse, nec eiusmodi quæ multum laboris desiderent, nec dissolutæ ac remissæ. Atq; etiã sermones in fabellas quas id ætatis pueros audire oporteat, ij magistratus prouidendo, quos puerorum præfectos nominãt. Hæc enim omnia viã munire & sternere debẽt ad eas exercitationes quæ sequũtur. Itaq; lusiones magna ex parte species ac simulacra quædã esse debẽt verorũ studiorum, quæ illos manent. Contentiones autem vocis in pueris rectè non prohibent, qui eas vetant legibus. Valent enim ad coalescendum corpus. Est enim quædam corporis exercitatio quippe cùm anhelitus retentione in eis qui laborem perferunt, vires augeantur. quod etiam in pueris clamore contendentibus contingit. Videndum est autem iis qui publicè pueris præficiuntur, vt pueri etiam alia ætate quàm minimùm cum seruis viuãt. Huic enim ætati ad septennium domi victus præberi debet. Consentaneum

est igitur, hanc etiam teneram ętatem à rerum illiberalium auditione atque aspectu abducere. Cùm omninò ex ciuitate ei qui scribit leges, vt si quid aliud, verborũ exterminanda est obscœnitas: (qui enim facilè obscœnum quid commemorat, is haud procul ab eo abest vt faciat) tum ex pueris maximè, vt nihil tale nec dicant, nec audiant. Quòd si cõstet aliquem quippiam eorum vel dicere, vel audire quæ vetita erunt, ísque ingenuus sit, necdum in cõuiuiis publi-çis accumbat, castigandus erit ignominia, & virgis cędendus: sin maior erit hac ætate, illiberalibus ignominiis notãdus erit, propterea quòd seruorum similis esse videatur. Et quoniã verborũ obscœnitatẽ expulimus, certè spectacula etiã picturarũ aut librorũ obscœnorũ exterminamus. Quapropter adhibẽda erit diligẽtia magistratibus, ne quod signum, néve pictura sit harũ rerũ imitatrix; nisi fortè apud deos quosdã eiusmodi, quibus lex etiã lasciuiã permittit; ac prætereà sinit, & pro se viros, & pro liberis & pro vxoribus diis sacra facere. At verò adolescentes nec iamborũ nec comœdiæ spectatores esse lex sinere debet, prius quàm ea ætate sint, in qua ad accubationem conuiuij publici eis aditus patebit. Tũ verò & ab ebrietate, & à detrimentis ac malis omnibus quæ ex his talibus existũt, omnes disciplina liberabit. Ac nunc quidem hæc in transcursu attigimus. pòst cõmorando diutius explicandũ cõstituendúmque erit, ac disputandum: primùm, vtrum id nõ sit faciendũ, an sit faciendũ, & quemadmodũ. Hoc verò tẽpore hæc quoniam necesse erat, commemorauimus. Profectò enim haud malè de hoc Theodorus tragœdiarum actor cẽsuit. Neminem enim vnquã vel leuem actorẽ ante se agere passus est,

quòd eis quæ prima audiũtur, spectatorum animi concilia-ri soleant. Quod idem & in hominum congressu, & rerum vsuuenit. vt enim quicq; primum est, ita est nobis charissi-mũ. Quocirca cùm mala omnia declinare adolescentes de-bẽt, tũ ea maximè, in quibus inest vel obscœnitatis aliquid vel offensionis. Exacto autem quinquennio, duobus annis vsque ad septimũ iam vidẽdum erit, quas disciplinas debe-bunt discere. Duæ quidẽ ætates sunt, in quas disciplina di-uidenda necessariò est: altera à septimo anno ad eũ cùm pri-mùm pubescere puer incipit, altera ab illo ad primum & vicesimum. Nam qui ætates in septem partiũtur, ij ferè er-rant: nobis autem naturæ adhibẽda diuisio est. Hæc enim omnis artis & disciplinæ volũtas est ac sentẽtia, id quod na-tura desiderat, explere. Ac primùm quidem videndũ est; sítne puerorum disciplina instituẽda: deinde, vtrũ vtile sit, publicè eos instituere; an, id quod fit etiam nũc in plurimis ciuitatibus, priuatim: postremò, qualis ea esse debeat.

ARISTOTELIS DE REPV-blica. Liber. VIII.

Cap. I.

NEmini quidem dubium est; quin is qui leges scribit, adolescentum disciplinæ atque educa-tioni in primis consulere debeat; quandoqui-dem quibus in ciuitatibus rei huius cura præ-termittitur, aut negligitur, magnum ex eo Respu. detrimen-tum capit. Ad quodque enim Reipu. genus huius rei accõ-modanda est procuratio, præsertim cùm sui cuiusque Rei-pub. mores & quamque Rempub. conseruare soleant, &

ab initio constituant: vt Remp. eam quam populus administrat, sui mores: itémque eam quæ est in potestate paucorum, sui. Semper autem optima quæque instituta, optimã quãque Remp. constituunt. Cúmq; in omnibus facultatibus & artibus, quædã sint, quorũ institutio & cõsuetudo cuiusq; munera & officia debeat antecedere: certè virtutis etiam actionibus atque officiis, quarundam rerum præponi debet tum consuetudo, tum institutio. Et quoniam finis vnus ciuitatibus omnibus propositus est, profectò vna etiam eadémque omnium disciplina sit, cuius cura & diligentia sit publica, necesse est: non priuata, quemadmodũ hoc tempore sui cuique curæ sunt liberi, priuatímque propriam artem, quam cuique videatur, docent. At rerum cõmunium communis etiam cura esse debet: nec quisquam ciuis suum se, suíque iuris esse, sed Reipu. omnes existimare debent: quippe cùm omnes in ciuitatis parte numerentur, & cuique parti à natura tributum sit, vt vniuerso cõsulat. In quo Lacedæmoniorũ laudãda est prudentia; qui de puerorum virtute, ídque publicè, vehementissimè laborãt. Ergo illud quidem perspicuum est; sanciendam esse legibus disciplinam, eámque publicè esse sustinendam.

Cap. 2. Intelligendum est autem, quæ sit disciplina & institutio; quæque sit instituendi ratio; quoniam de rebus & officiis nunc dissensio est. Neque enim eadem omnes pueris discenda esse sentiunt: nec quæ ad virtutem, nec quæ ad optimum vitæ genus pertinent: neque constat, vtrum potius rationis virtutibus, an animi & voluntatis eos instituere deceat. Atque ex facili instituẽdi ratione, hic locus lubricus difficilisque nascitur: nec perspicuũ est, vtrum colenda

ea sint, quæ ad vitam degendam pertinent, an quæ ad virtutem conducũt, an ea quæ minus necessaria sunt. Hæc enim omnia patronos quosdam inuenerũt. Ac de iis quæ ad virtutẽ ferunt, nihil constat. Cùm enim nõ eandem omnes virtutem probent, iure fit, vt de ea etiam colenda & exercẽda dissentiant. Nõ dubiũ est quidem, quin ex rebus quarum vsus est aliquis, eæ quæ necessariæ sunt, discendæ sint. Quia autem non omnes sunt, adhibita officiorum liberalium atque illiberalium diuisione, perspicuum est, ea huius generis adiungenda esse, quæ & vtilia sint, nec sordidum eum in quo sint efficiant. Opus autẽ atq; munus id demum sordidũ habẽdum est, eaq́; ars & disciplina, quæ ad vsus & munera virtutis, liberorũ hominum minus aptum corpus, vel animum mẽtémve reddũt. Itaque artes omnes eas quæ corpus inquinãt, sordidas vocamus, mercenariorúmq; officinas. Torpescentẽ enim animum abiectúmq; reddunt. Est autẽ quatenus honesta sit quarũdam artium liberaliũ sciẽtia: quem modum si non teneas, sempérque eas persequi velis, damna detrimẽtáque afferent quæ commemorauimus. Magnopere autẽ refert, quò actiones artésq; nostras dirigamus. Nã si ad nostram amicorumq́; vtilitatẽ, vel ad virtutẽ, haud illiberalis est discẽdi ratio. Sin aliò spectet, plerũq; sordida & illiberalis esse videbitur. Atque eæ quidẽ artes à quibus modò orsi sumus, in vtramq; partẽ, vt dixi, valent.

Sunt autẽ quatuor ferè artes quas solent ad discendum Cap. 3. *pueris proponere, literæ, gymnastica, musica, &, quam quartam quidam ponunt, pictura. grammaticã & pingendi artem, quòd earum in vita vsus est, isque multus: gymnasticam, quòd ad fortitudinem valet. De musica verò, iam in*

dubium venire potest. nunc enim permulti in ea discenda voluptatem sequuntur. alij eam à primo ortu in numero artium reposuerunt, quòd natura ipsa (id quod sæpe dictum est) non solùm otium honestum, sed etiam præclarum negotium requirit. Hinc enim de ea rursus dicẽdi capiẽdum initium est. Si enim vtroque opus est, magis certè expetendum est otium. nõ quidem in lusionibus, sic enim ad ludum & iocũ generati essemus: quod si fieri nõ potest, profectò in gerendis rebus potius ludo vtendum est. Nam quia ei qui laborat, grauésque res gerit, necessaria est requies, & ludus requietis causa comparatus est, negotiáque cum labore & contentione animi cõiuncta sunt: ob eam causam iocus adhibendus est obseruata vsus eius occasione, vt tãquam medicinæ loco adhibeatur. Eo enim motu animi relaxatio, & propter voluptatem requies quæritur. In ipso autẽ otio voluptas inesse videtur, & felicitas & beata vita: quod quidem nõ ij qui in rebus gerẽdis versantur, sed otiosi & quieti assequuntur. Qui enim in rebus gerẽdis versantur, suum negotium ad finẽ aliquem qui non suppetit, cõferunt. Beata autẽ vita ipsa finis est, quam non in dolore, sed in voluptate omnes collocant. Hanc autẽ voluptatem nõ iam eandem statuunt, sed pro se quisque ac pro animi sui habitu & constitutione: optimus autem quisque optimam sibi statuit & proponit, eámque quæ à præclarissimis officiis actionibúsque proficiscitur. Ex quo perspicuum est, otium id quod in vita degenda positum est, quarundam rerum disciplinam doctrinámque requirere, eámque disciplinam atque institutionem in seipsis verti: eas autem quæ ad negotium pertinent, vt necessarias, ad alia referri. Itaque Musicam

prisci in numerum disciplinarũ ascripserunt: non quòd necessaria esset (nihil enim tale habet) nec quòd vtilis, qualis est Grãmatica ad lucrum & ad rem familiarẽ, & disciplinam, multáq; officia ciuilia. Videtur etiã pingendi ars ad opificũ opera iudicãda subtilius, valere. Neq; rursus vtilis est Musica, quẽadmodũ gymnastica, ad valetudinẽ & robur. neutrũ enim horum videmus ex Musica existere. Relinquitur ergo, eam ad id ocium quod vita nostra desiderat valere. Cuius etiã causa eam videntur adhibere. Quod enim vitæ genus libero dignũ homine putãt, in eo ea vtuntur. Quocirca Homerus hoc obseruauit in carmine,

Quàm iuuat argutam mensis adhibere Thaliam.

Atque ita aliis primùm nominatis, qui, vt ait,

Accersunt, cythara illorum qui mulceat aures.

Aliis etiam locis Vlysses eam demùm viuendi rationẽ optimam esse ait, cum lætis hominibus.

Conuiuas aliquis cantu demulcet amœno,
Ordine dispositos.

Ac illud quidem perspicuũ est, quandam esse disciplinam, quæ pueris tradenda sit, non quòd sit vtilis, nec quòd necessaria, sed quia liberalis sit & honesta. Vtrũ autem vna sit an multæ, quæque sint, & quẽadmodum, mox differemus. Nunc hoc tantùm nobis ad patefaciendam viam valere visum est, veterum etiã testimonio quodã disciplinas eas quæ cõstitutæ sint cõprobari. Hoc enim Musica declarat, esse etiam quandam artẽ earum ex quibus vtilitas quæritur, tradẽdam pueris, non solùm propter vtilitatẽ, qualis est literarũ disciplina, sed etiam quia ex ea aliæ permultæ artes nasci possunt. Itémque pingendi artem, non vt in rebus suis venalibus ne fallantur, aut vi-

tent fraudes in emenda vendendáve supellectile, sed potius quòd ea instructi ad spectãdam inspiciendámque corporum pulchritudinem venient acutiores. In omni autem gerenda re proponere sibi finem diuitias, non est excelsi animi, neque liberalis. Quoniam autem perspicuum est, moréne, an ratione tradenda sit disciplina, & vtrum corpus primùm institui debeat an animus: profectò erudiẽdi sunt pueri & gymnastica, & athletarum arte, quandoquidem earum illa corpus bene constituit, hæc eius munera & officia præclara efficit.

Cap. 4. *Ac nunc quidem ciuitates quædam earum quibus maximæ curæ sunt pueri, athletarum habitum inducũt, corruptis formis incrementísque corporum. Lacedæmones autem non peccant illi quidem in hoc genere, sed laboribus eos efferant, quasi hoc ad fortitudinem proficiat plurimúm. Atqui quemadmodum sæpe diximus, nec vnius, nec huius potißimùm virtutis, in instituendis pueris habenda est ratio. quòd si huius habenda est, non tamen id assequuntur. Nã nec in cæteris animantibus, nec in gentibus videmus fortitudinem immanißimis, sed magis lenißimis ac leoninis moribus conuenire. Multæque gentes procliues sunt ad cædes hominum, vt etiam eorum carnibus vescantur. Cuiusmodi sunt eorum qui Pontum incolunt, Achæi & Heniochi. aliæque gentes ex mediterraneis, partim hos in hoc genere imitantur, partim etiam vincunt: quæ quidem ad latrocinandum valent, fortitudinis autem non sunt compotes. Lacedæmonios etiam scimus, quãdiu ipsi tenuerunt imperiũ, studio laboris præstitisse cæteris. nunc verò & gymnasiis & bellicis certaminibus ab aliis longè multúmque supera-*

ri. Non enim quia hoc modo pueros exercebant, præstabāt: sed hoc solùm, quòd nullos haberent æmulos. Ita fit, vt honestati primę partes tribuēdæ sint, nō feritati. Neque enim lupus aut aliarum belluarum vlla honestum vllum periculum certando adibit, sed vir bonus potius. Qui verò adolescentes nimium ad hæc incitant & vrgēt, in rebúsque necessariis eis doctores non adhibent, ij certè sordidos eos reddunt, cùm eos ad vnum tantummodo munus aptos Reipu. tradunt: ídque, vt ratio docet, aliis ea re minus instructos. Hæc autem non ex iis quæ olim, sed ex iis quæ nunc geruntur, sunt iudicanda: quandoquidem nunc æmulos eius disciplinæ habent, antea cùm non haberent. Inter omnes igitur constat, gymnasticam esse adhibendam, & quēadmodum sit adhibenda. Nam ad id tempus cùm primùm pueri pubescere solent, leuia certamina adhibenda sunt, athletarum cibo laboribúsque exclusis, ne quid impediant corpus crescere. Quod ex eo sciri potest, (quod certè magnum habēdum est, cùm eis accidere poßit) quia olympicis ludis vix duo aut tres reperire licet, qui iidem & viri & adolescentes vicerint: quòd puerorum vires cùm exercentur, immodicis exercitationibus opprimantur. Posteà verò quàm ab illo tempore tres anni aliis disciplinis dati erunt, tum hæc ætas & in laboribus grauioribus & in cibis athletarum occupanda erit. Neque enim eodem modo, tempore, animo & corpore labores suscipiendi sunt: quippe cùm in contrarias partes vtrique labores valeant, corporisque labores animo, & animi corpori dent incommoda. De Musica autem, iam quædam à nobis superiore sermone disputata sunt, quæ nunc non alienum erit repetere,

ac producere, vt sit quasi ansa quædam & præludium disputationis, quam de ea arte instituere liceat. Neq; enim facile est explicare, quam vim habeat, nec cuius gratia sit adhibēda: ludíne ac quietis causa, quēadmodum somni & ebrietatis. Hæc enim per se in rebus honestis non habentur, sed voluptatem afferunt, curásque depellunt, Euripidis sententia. Itaque eam in eo genere ponunt, eodémque modo his omnibus vtuntur, vino, ebrietate, ac musica. In quarum numero etiam salutationem reponunt. Sed potius ad virtutem quadam ex parte musica pertinere putāda est: quippe quæ poßit, vt gymnastica corpus bene afficere, consuetudine honestæ voluptatis: aut certè ad vitæ degendę rationem prudentiámq;, aliquid valet. Nam hoc tertium tenendum est. Non dubium est quidem, quin pueri ioci causa nō sint instituendi, quandoquidē cum discunt, non vtantur ioco, & disciplina dolorem afferat. Atqui ne viuendi quidem ratio pueris, ætatibúsq; generis eiusdem præscribenda est, cùm præsertim finis & extremū nō sit proponendū inchoatæ rei, minúsque perfectæ. Sed fortasse puerorum studia ad iocum & ludum referri videbuntur, quo vtantur cum robur assumpserint, suísque omnibus partibus perfecti fuerint. Quod si ita est, quamobrem hæc eis discenda erit, non quēadmodum solent Persarum ac Medorum reges, aliorū opera qui id præstent, percipienda voluptas ac disciplina? Præsertim cum melius hoc ipsum efficiant ij quorum hæ sunt artes & munera, quàm ij qui tantum temporis hoc solum tractant, quantum satis sit ad disciplinam. Sin autem eis sit in his elaborādū, in ea etiā arte quę obsonia curat necesse erit eos versari. quod incommodū est. quæ eadem erit

quæstio, si animum afficere melius posse ponatur. Cur enim hæc discent, non aliis audiendis honestam voluptatem percipient, iudicãdíque adiumenta consequentur? Quemadmodum Lacedæmonij, qui cum non discant modos & numeros, tamen rectè possunt, vt aiunt, qui soni consentiant, qui discrepent, iudicare. Eadem est ratio, si ea ad honestam & liberalem viuendi rationem adhibenda esse videatur. Cur enim opus est eos discere, nõ, aliis vtentibus, capere voluptatem? In quo licet spectare eam quam de diis habemus opinionẽ. Non enim Iupiter canit, aut fidibus vtitur apud poëtas: quinetiam tales homines in sordida arte versari putamus, & actio ipsa nõ est viri sobrij aut grauis. Sed hæc fortasse posterius videnda erunt. Prima autem quæstio est, Vtrum sit nécne in disciplinarum numerum reponenda musica, quamq́ue vim habeat eorum trium quæ disputata sunt, vtrum disciplinæ, an ludi, an rationis viuendi? Sed rectè in his omnibus habetur, ab iísque partem aliquam videtur sumere. Nam & ludus relaxationis causa cõparatus est, & relaxatio voluptate afficit: quippe quæ molestiis iis quæ ex laboribus capiuntur, medicinam afferat. Vitæ etiam degendæ ratio non solùm honesta esse debet, verùm etiam iucunda, omnium consensu, quandoquidem in his duobus beata vita consistit. Musica autem à nobis ponitur in iis rebus quæ summam afferant voluptatem, siue nuda sit, siue coniungatur concentu. Itaque Musæus rem suauissimam cantum ait esse mortalibus. Quocirca rectè eam & in consuetudine & congressibus, & in vita degenda adhibent homines, quòd voluptatis sit effectrix. Ex quo intelligi potest, eam pueris esse discendam. Quæ enim res

voluptatem sine detrimento afferunt, eæ non solùm cum fine congruunt, sed etiam ad quietem pertinent. Et quoniam id raro hominibus accidit, vt ad finem quem sibi proposuerunt perueniant, sæpe autem conquiescunt, vtuntúrque ludo & ioco, non profuso, sed voluptatis causa, certè iuuabit in iis quæ ex illa capiuntur voluptatibus acquiescere. Factum est autem vt homines finem in ludo & ioco statuerent, propterea quòd voluptatem quandam certè finis habeat, sed non quamlibet: quam requirentes, pro ea illam assumunt, quòd similitudine ad actionum officiorúmque finem videatur accedere. Nam & finis eorum quæ reliqua sunt, nullius causa expetendus est, & huiusmodi voluptates ad nihil eorum quæ restant, sed ad ea quæ præteriérũt, quales sunt labores molestiæque, referuntur. Atque hæc quidem causa iure putanda est, quæ impellit homines, vt ex his voluptatibus beatam vitam putent existere. Quod autem ad musicam attinet, non solùm huius voluptatis gratia discenda est, sed etiam quia ad animi relaxationẽ valet. Veruntamen quærendum est, num quando id vsuuenerit, sed eius natura pluris sit æstimanda, quàm vt quæsita sit propter eam quam dixi indigentiam. nec solùm percipienda est ex ea communis quædam voluptas, cuius omnes sensum habent (inest enim in musica naturalis. itaque omni ætati, omnibúsque moribus vsus eius gratus est:) sed videndum etiam est, an ad mores & animum quadam ex parte pertineat. Id autem patebit, si nos animis afficiat. Atqui nos ab ea affici, ex Olympicis cantibus perspici licet, qui sine controuersia mentes permouent, & instinctu quodam diuino afflant. Atqui mentis permotio & instin

ctus diuinus, quædam est morum in animo affectio. Iam qui simulacrum & speciem musicæ audiunt, omnes vnà afficiuntur animis, etiã sublatis numeris ipsis atq; cantibus. Quando autem ita accidit, vt musica in iis esset quæ voluptate afficiunt, & virtus in eo posita est vt bonis rebus gaudeamus, easque amemus, doleamúsque cõtrariis, certè nullius rei disciplina & consuetudo ita adhibenda est, vt rectè iudicãdi delectandíq; & bonis moribus, & præclaris actionibus. Omnium autem rerum, exceptis veris naturis, nulla verius quàm numerus & cantus, iræ, clementiæ, fortitudinis, temperantiæ, omniúmque quæ his cõtraria sunt, aliorúmq; ad mores pertinẽtium, similitudines imaginésq; exprimit. Idq; res ipsa indicat. Mouemur enim animis, cũ hæc audimus. In rebus autem similibus doloris gaudiíq; cõsuetudo facit, vt in veritate ipsa eodẽ animo affecti simus. Vt si quis imaginis alicuius aspectu lætetur, non ob aliam causam, nisi propter formã ipsam, ei afferat necesse est voluptatẽ illa ipsa res, cuius imaginẽ spectat. Hoc autem ita cõparatum est, vt in cæteris rebus quę sub sensum cadunt, nulla sit morũ simulacrũ, cuiusmodi sunt res quę tactu gustatúq; percipiũtur. in rebus autẽ quæ aspectu sentiũtur, leuis est. Sunt enim formæ hæ, atq; eę ad breue tẽpus durant, omnésq; huius sensus sunt compotes, nec sunt hę morũ similitudines, sed signa potius, quæ morum figuræ fiunt & colores, eaque intra corpus in perturbationibus sita sunt. Quod autem ad eorum inspectionem attinet, debent adolescentes non Pasonis opera spectare, sed Polygnoti, & si quis alius pictor, aut eorum qui signa fabricantur, moratus est. In cantibus autẽ sunt quædam morũ animorúmque ima-

gines. ídque ex eo intelligi poteſt, quòd continuò concentuũ natura mutatur, vt aliter animis afficiantur auditores, neque eodem animo in quoque eorum affecti ſint, ſed in quibuſdã grauiore animo & contractiore, vt in eo qui mixtus eſt ex Lydio: in aliis remiſsiore & molliore animo, vt in remiſsis, moderato & contento maximè in alio: quo in genere is ſolus eſt concentus qui Dorius dicitur, Phrygius autẽ ad permouendam mentem valet. Hæc enim præclarè tradunt ij qui in hac diſciplina & arte verſantur. Sumunt enim à rebus ipſis verborũ teſtimonia. Eadem eſt etiam numerorum ratio. Alij enim animum ſtabiliunt & confirmant, alij mouẽt. eorúmque nonnulli ſeruorũ ſimiliores motus afferunt, quidam magis liberales. Ex quibus perſpicuũ eſt, muſicam animi habitum bene conſtituere poſſe. Quod ſi poteſt, certè ea erudiendi inſtituendíque ſunt adoleſcentes. Quinetiam ad eorum naturam accommodata eſt, & apta muſicæ diſciplina. Adoleſcẽtes enim propter ætatem nihil ſponte ſua ferunt quod vacet iucunditate: quod muſica præſtat, quippe quæ natura ſua delectet. Nobis etiam cum harmoniis & numeris quædam videtur eſſe cognatio. Itaque multi ſapientes tradunt, partim animum eſſe harmoniam, partim harmoniam habere.

Cap. 6. Nunc vtrũ id quod diſputatũ eſt iam antè, canere ipſi & manibus pulſare doceri debeãt, nécne, dicendũ eſt. Dubium autẽ non eſt, quin multùm interſit ad bonam aut animi aut corporis conſtitutionem, ſi quis munera & officia artis ipſe per ſe exequi poſsit. Vix enim fieri poteſt, aut ne vix quidem, vt ij qui præſtare ea quæ ſunt artis non poſſunt, de arte rectè ſapientérve iudicent. Debent etiã pueri

quadam vti exercitatione: Archytæque inſtrumentum canorum honeſtum ac liberale putãdum eſt, quod datur pueris, vt eo vtentes, eorum quæ domi ſunt nihil effringant. Neque enim infantes poſſunt cõquieſcere. Ac infantibus quidem hæc luſio cõuenit. Ii autem qui paulùm ætate proceſſerint, ſcientia illius Archytæ inſtrumenti erudiendi erunt. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, ita muſicæ dandam eſſe operam, vt etiam munus artis exequamur. Quid autẽ deceat aut dedeceat ætates, nõ eſt difficile exponere atque explicare, aduerſus eos qui ſordidam hanc diligentiam & ſtudium eſſe contendunt. Primùm enim quoniam iudicandi cauſa vſu artis valere debemus, ob eam cauſam debent omnes, pueri cum ſunt, vſum adhibere: cum robur aſſumpſerint, vſu prætermiſſo, bona à malis internoſcendi, boníſque rebus gaudendi facultatem, quam ab initio ætatis diſcendo conſecuti ſint, retinere. Nam refelli facilè poterunt quidam, qui muſicam ob eam cauſam reprehendunt, quòd ſordidos ſegnéſque efficiat: ſi videamus, quis modus in vſu huius artis ſit iis retinẽdus, qui virtuti ciuili inſtituuntur, quóſque cantus & numeros tenere, quibúſque inſtrumentis in arte vti debeant. Hoc enim multum intereſſe coniectura eſt, in eóque poſita eſt obiectionis explicatio. Nihil enim prohibet id quod iſti obiiciunt, modos quoſdam adhibere muſicæ. Ex quo perſpicuũ eſt, nec officia futura impediri oportere ab eius doctrina, nec corpus minus aptum ad res bellicas & vrbanas effici. Ac de vſu artis iam diximus, de arte autem mox. Id autem in arte aſſequentur, ſi neque in iis quæ ad certamina ea quæ artis ſunt pertinent, elaborabũt: nec in illis artis muneribus, quæ admirationem

excitant non necessariam, quę his temporibus in certamina inuecta sunt, & ex certaminibus in artem ipsam translata: sed in eiusmodi rebus tandiu versabuntur, dum possint gaudere præclaris sonis ac numeris, non solùm communi sensu musicæ, vt & quædam alia animalia, & præterea vulgus seruorum similium atque puerorum. Ex quibus etiam illud perspicuum est, quibus instrumentis sit vtēdum. Neque enim tibia adhibenda est, neque vllum aliud artificiosum instrumentum, qualis est lyra, & si quod est aliud generis eiusdem: sed quæ auditores idoneos efficient aut musicæ, aut alius artis. Præterea non conciliat animos tibia, sed eos potius concitat impellítque ad iracundiam, vt ea vtendum sit iis temporibus cum magis purgationem quàm doctrinam desiderant. Adiungamus etiam hoc licet, quod doctrinæ contrarium est, arte tibiarum vsum rationis impediri. Itaque rectè eius vsum prisci in adolescentibus & liberis hominibus improbauerūt, antea cùm ea vsi fuissent. Cum enim maius ocium rerum eis omnium abundantia peperisset, animúmque ad virtutem conuertissent, résque gestæ & antea, & post Medicum bellum animos eis sustulissent: nullo delectu adhibito, quinetiam præterea requirentes alias omnes artes attigerunt. Itaque tibicinam in disciplinarum numerum ascripserunt. Nam & Lacedæmone quidam ædilis cum ludos faceret, ipse tibiam inflauit: & Athenis sic consuetudine & vsu probata est, vt bona ferè pars patriciorum eam adiungeret. Quod ex tabula perspici licet, quam Thrasippus cum suæ tribui ludos daret, statuit. Pòst vsu repudiata est, cum ij quid ad virtutē pertineret, quid non pertineret, acrius iudicare cœperunt. Itém-

que improbata sunt pleraque instrumenta veterum, vt pectines, vt barbiti, eáq; quæ ad auditorum qui vtebantur voluptatẽ pertinebant, heptagona, trigona, sambucæ, & omnia quæ manuum munus & officium desiderãt. Consentaneũ his etiã est, quod de tibiis veteres fabulis prodiderũt. Fama est enim, Mineruã cũ tibias reperisset, eas abiecisse. Et quanquã oris deformitate infensam id fecisse deam, nõ est alienum dicere: tamen probabilius est ob eam causam, quòd ad cognitionẽ animi tibicina nihil pertinet, cum præsertim Mineruæ scientiam artémque attribuamus. Quoniam autem artificiosam instrumentorũ functionúmque manuum disciplinam improbamus, certaminumq́ue scientiam omnem in artificiosis ponimus, propterea quòd qui eius munere fungitur, nõ fungitur vt sibi virtutem pariat, sed vt spectatores voluptate, eáque illiberali afficiat, ob eam causam non libero homine dignam hanc functionem iudicamus. quinetiã ferè fit, vt qui iis vtũtur, mercenarij, operariiq; fiãt. Improbũ est enim id quod spectant, & quod quasi finẽ sibi proponunt. Nam cum spectator illiberalis sit, musicæq́ue modos mutare soleat, ferè fit, vt etiam peritos, qui ad eius voluptatem industriam suam referunt, eorumq́ue corpora motu à firma constitutione detorqueat.

Illud etiam in harmoniis numerisque, ac disciplina videndũ est, vtrũ omnibus harmoniis, & numeris omnibus vtẽdum sit, an quædam sit adhibenda diuisio & distinctio. Deinde vtrũ iis qui in arte ipsa elaborãt, eadẽ distinctio sit præscribenda: an tertia quædam alia præscribi debeat. quandoquidẽ ex sonis & numeris eam constare cernimus, quorum vtrumque quam vim habeat ad disciplinã, scire oportet: & vtra sit anteponẽda Musica, canoráne an Cap.7.

numerosa. Et quoniam de his rebus multa præclarè tradi existimo & à quibusdam huius ætatis musicis, & à philosophis qui vsu musicæ valent, accuratam horum subtilémque rationem ab illis petẽdam censemus, nos autem hoc tẽpore fontes solùm persequemur. Quando autem eam cantuum diuisionem probamus, qua nõnulli philosophi vtuntur, qui alios ad mores, alios ad agẽdum, alios ad permouẽdam mẽtem valere ponunt, naturámque harmoniarum & cõcentuum ad quodque horum aptã, aliam ad aliam partem volunt esse: quoniámque non vnius vtilitatis & voluptatis causa musicam esse adhibẽdam, sed multarum, vt doctrinæ & curationis (quid autem appellemus curationem, nunc simpliciter, rursus in libro de arte Poetica dicam planius) viuendi causa, relaxationis atque requietis: profectò omnibus harmoniis vtendum est. non autem eodẽ modo omnibus, sed in tradenda arte iis vtendum est quæ moratæ sunt maximè: cùm autem alij manibus artis opus exequentes audiuntur, iis quæ ad agẽdum & iis quæ ad permouendas mentes valent. Quæ enim permotio mentis in quosdã animos vehementer irrepit, ea inest in omnibus. Differunt autem paruitate & magnitudine, vt misericordia, & metus, & animi mentísque permotio, à quo motu nõnulli probi efficiuntur, quos etiam videmus cùm vtuntur cantibus animum ad sacrorum cultum expiantibus confirmari, non aliter quàm si medicina vsi essent & purgatione. Quod idem necesse est vsu venire iis qui misericordia, qui metu, qui denique cæteris animi perturbationibus facilè commouentur. Aliis autem, quantum ad quẽq; hæc ipsa spectãt. Omnibúsq; necesse est quandã quasi purgationem contin-

gere, cósque leuari cum voluptate. Itémque cantus ij, qui ad purgandum pertinent, voluptatem hominibus sine vlla molestia & detrimento afferunt. Itaque his talibus harmoniis, cantibúsque eius generis spectãdi sunt ij certatores qui theatralem musicam sequuntur. Et quia duplex est spectator, alter liberalis & doctus, alter illiberalis, ex fęce vulgi compositus: his talibus certamina & spectacula quæ ad quietem relaxationémq; animi valeant, exhibenda erũt. Vt autem eorum animi ex naturæ habitu dimoti sunt atque distorti, sic concentuum quædam sunt discrepantiæ, cantúsque alij contenti sunt, alij à sua natura recesserunt. Et quoniam voluptatem affert omnibus quod cuiusq; naturæ accommodatum est, licebit certantibus apud spectatorem eius generis vti tali quodam genere musicæ. In tradenda autem arte, quemadmodum dixi, morati cantus adhibendi sunt, concentúsque generis eiusdem, qualis est Dorius, vt antè dixi. Recipienda est etiam, si quam aliã probent ij qui philosophia & musica instructi sunt. Socrates autem in Politia nõ rectè Phrygium cum Dorio reliquit, idque improbata ex instrumentis vna tibia: quippe cum eãdem habeat vim in harmoniis Doria, quam tibia in instrumentis. Vtrunque enim iracundiam, aliásque animi perturbationes concitat. Idque poësis indicat. omnis enim debacchatio, omnísque talis motio in tibia inest ex omnibus instrumentis maximè, harmoniarum autem decorum hæc in cantu Phrygio seruat: vt Dithyrambus consensu omnium Phrygius videtur esse: ciúsque rei cùm multa exempla afferunt ij qui in ea arte versantur, tum vel illud de Philoxeno, qui cũ in Doria harmonia fabulas Dithy-

rambum conaretur facere, non potuit, sed ab eius natura in Phrygiam accommodatam harmoniam delapsus est. De Dorica autem, inter omnes constat, eam esse stabilem maximè, viriléſque motus & animos in primis cõtinere. Praeterea si mediocritatem, quæ est inter nimium & parum, laudamus, eámque dicimus tenendam esse, concentúsque Dorius eam habeat vim atque naturã collatus cum aliis, profectò cantus Dorios potius pueros decet discere. In his autem duo sunt quæ nobis solemus proponere, quod fieri potest, & quod decet. Nam quæ fieri possunt, & quæ quenque decent, omnes sequi debent. idque ætatibus definitum est, vt defatigatis temporis molestia haud facile est canere contentos cõcentus, sed his remissos natura proponit. Quocirca iure hoc in Socrate reprehendunt quidã musici, quòd in docenda arte remissas harmonias improbauerit, sic de iis iudicans, tanquàm ad ebrietatem valerent, nõ ex vi ebrietatis (ebrietas enim ad debacchationem magis impellit) sed quia remissæ languescerent. Quapropter ad solatium senectutis hæ sunt adiungendæ harmoniæ, cantúsque generis eiusdem. Quòd si quis est concentus eiusmodi qui puerorum ætati conueniat, quod poßit simul & ornamentum afferre, & doctrinam, quod Lydio videtur vsu venire vni ex omni concentu maximè, certè hi tres fines & quasi termini in tradenda arte constituendi sunt, vt vnum mediocritate & temperatione, alterum vi & potestate, tertium decoro honestatéque metiamur.

FINIS.

GENERALIS RERVMPVBLICARVM TYPVS.

- Respub.
  - Veræ, harum
    - Partes: hi ciues ſunt liberi homines.
    - Finis: is eſt, conſulere omnium vtilitati.
    - Genera
      - Regnum.
      - Optimarum imperium, ſiue Ariſtocratia.
      - Reſpublica, ſiue Politia, communi appellatione.
  - Vitioſæ, quarum
    - Partes: ciues partim ſerui, partim liberi.
    - Finis: conſulere priuatis commodis, quæ ſpectant hi qui imperant.
    - Genera
      - Tyrannis, ex regia poteſtate.
      - Oligarchia, ex optimatum imperio.
      - Democratia, ex Politia.

Eiusdem Perionij in eosdem

ARISTOTELIS DE REPV-
blica libros, Obseruationes.

NON ignorabam, cum Aristotelis viri omni doctrina eruditi libros, quos iam multi in Latinum conuertissent, transferrē, multorum multa & varia de nobis nostróq; hoc instituto iudicia secutura. Cum enim in tanta hominū qui in literis versarētur multitudine, quātam nunquā fuisse existimo, multos esse cernerē, qui nec Græcè nec Latinè scirēt, nōnullos qui Græcis tantum literis, idq; leuiter, essent eruditi, quosdā qui in Latinis solum multum diúque versati essent, perpaucos qui hæc studia coniūgerent, atq; in iis paucissimos qui Ciceronem ex nostris potissimum sibi in hoc genere proponerent, quem vnum imitarer, facilè intelligebam fore, vt hoc meum institutum paucissimis probaretur, plurimis displiceret. Quæ mea me non fefellit opinio. Iudicia enim de me multorum tam discrepantia, quàm multa sunt, & varia, cognoui: sed nullorum molestius tuli, quàm vel eorum qui literas Græcas nunquam gustarunt: vel eorum qui eas quidem & Latinas, sed leuiter attigerunt. In eorum enim vtrisque animaduerti id quod dici solet, multo esse facilius quiduis reprehendere, quàm facere vel imitari. Reprehendunt enim & temerè & inconsideratè, quæ ipsi, quia studiorum humanitatis sunt ignari, nec intelligūt, nec efficere imitaríve possunt. Quos officij sui commonefacio, vt etiam atque etiam videant, ídne quod reprehendunt facile sit, an difficile & abstrusum, vt in profundo demersa veritas esse videatur. nam id magnopere refert. Si enim facile, seu de verbis agamus, seu de rebus: profectò malè de nobis, de se solis benè existimāt, qui rem vel verbum tam perspicuum & clarum se intellexisse, nos ignorasse fateantur. Sin autem difficilia, cuiusmodi sunt apud Aristotelem plurima: quid causæ est, quin cuique hoc respondeam: Tibi sic, mihi aliter videtur? Nam si hoc nostri vituperatores diligēter attenderent, certe aliquid inuidiæ, libidinísque maledicendi remitterent. Non quòd me errare posse & potuisse negem (hoc enim diuinæ cuiusdam naturæ est, non humanæ proprium) sed quòd ab ignaris me inuadi grauiter feram, non à doctis, quibus hoc totum quod scribimus considerandum traditur. Sed de his hactenus. Nunc institutum nostrum persequamur.

Quia omnem ciuitatem societate quadam contineri videmus. ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν.) *ἐπειδὴ initio librorum ambituúmque orationis ab Aristotele sæpe ponitur, quod verbum Cicero principio libri de Fato dixit, Quia, vt hoc loco feci. & in circuitu orationis aliàs quoniam, aliàs quia, modò quando. Quorum omnium exempla mihi afferenda non arbitror. pleni enim sunt Ciceronis libri de Finib. de Officiis, cæterique de philosophia, huiusmodi exemplis. Nam multorum locorum principium est, Quoniam autem, Quoniam igitur, Et quoniam, Sed quoniam, Quoniámque. Quæ omnia his libris sæpe reperiuntur,* ἐπεὶ δὲ, ἐπεὶ μὲν οὖν. *Dici autem in hoc genere* ἐπεὶ, *quando, quia mirum videri potest, vnum tantum locum proferam: quod eò faciam libentius, quia interdum his libris hoc verbum transtuli. In 5. de Finibus: Quando igitur inest in omni virtute cura quædam quasi foras spectans, aliósque appetens atque complectens, existit illud, vt amici, vt fratres, vt propinqui, vt affines, vt ciues, vt omnes denique quando vnam societatem volumus esse hominum, propter se expetēdi sint. Interdum* ἐπεὶ. *siue* ἐπειδὴ, *siue* ἐπεὶ *cui adiectum est* γε, *sed interiecto aliquo verbo, cum verbo vno cohæret, tumque valet quandoquidem.* ἐπειδὴ *etiam interdum Cum à Cicerone dicitur, sed cùm alia, cuius principio est Si, antecessit oratio. Demosthenes* περὶ στεφάν. εἰ μὲν οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρησεν αἰσχίνης. κἀγὼ περὶ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἂν ἀπελογούμην. ἐπειδὴ δ᾽ οὐκ ἐλάττω λόγον τἆλλα διεξιὼν ἀνάλωκε, καὶ τὰ πλεῖστα κατεψεύσατό μου. &c. *Quem locum Cicero penè ad verbum in oratione pro Sylla expressit his verbis. Nam si Torquatus Syllam solum*

accusasset, ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, nisi eum qui accusatus esset, defenderem. Sed cum ille tota sua oratione in me esset inuectus, &c.

Omnes ad id quod bonum videatur, omnes suas actiones referunt. τοῦ γὰρ εἶναι δοκοῦντος ἀγαθοῦ χάριν πάντα πράττουσι πάντες.) Si dicam hoc modo, Eius quod bonum esse videtur gratia, omnes agunt omnia: non satis splendida videbitur oratio. Cicero in quarta Tusculana partem priorem sic transtulit: Quamobrem simulatque obiecta species cuiuspiam est quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. Paulò suprà, Natura enim omnes ea quæ bona videntur, sequūtur, fugiúntque contraria. Posteriorem partem in libro primo de Finibus non conuertit ille quidem, sed tamen eiusmodi vsus est genere dicendi, ex quo facillimè intelligi potest hanc locutionem πράττειν τινὸς ἀγαθοῦ χάριν, sic verti, vt feci, oportere. Quid est enim, inquit, tantopere quærendum, quàm cum omnia in philosophia, tum id quod his libris quæritur, quis sit finis, quid extremum, quid vltimum quò sint omnia bene viuendi rectéque faciendi consilia referenda. Hoc ipso sæpe & illo in libro & secundo vtitur.

Certè cum omnes bonum aliquod, tum vel maximè, &c. δῆλον ὡς πᾶσαι μὲν ἀγαθοῦ τινὸς στοχάζονται, μάλιστα δὲ, &c.) Cum & tū quomodo Græcè dicerentur, vt cum quiddā minus declaret, tum quiddam maius, in libro de optimo genere interpretandi tradidi. Nunc docere tantum volo quod plerique mirari possint, cur δῆλον ὡς certè dixerim. Sic in Timæo Platonis vertit Cicero. Quod quo facilius intelligatur, vtriusque locum proferam. εἰ μὲν δὴ καλός ἐστιν ὅδε ὁ κόσμος, ὅ τε δημιουργὸς ἀγαθὸς, δῆλον ὡς πρὸς τὸ ἀΐδιον ἔβλεπε. Cicero hoc modo: Atqui si pulcher est hic mundus, si probus eius artifex, profectò speciem æternitatis imitari maluit. Idem efficit δῆλον ὅτι, & δηλονότι vno verbo, quod his aliísque Græcorum libris ab insciis diuisum in duo comperi. quod Profectò vel Certè vertendum esse, in concludendo, ex superiore Ciceronis loco intelligi licet. Nec fortasse persuadere vnquam potuissem, nisi penè sub oculos subiecissem. In quo illud notandum, hoc genus dicendi in conclusione sæpius à Cicerone tractari, quàm cum Perspicuum est, δῆλον ὅτι interpretatur. Atque in eo genere initio orationis, Si coniunctio, vel Quod si, ponitur. vt in prima Tusculana: Si enim quod nunquam vidimus, id quale sit intelligere non possumus, certè & Deum ipsum & diuinum animum corpore liberatum, cogitatione complecti non possumus. In tertio de Officiis, loquens de Regulo: Non enim suo iudicio stetit, sed suscepit caussam, vt esset iudiciū Senatus: cui nisi ipse author fuisset, captiui profectò Pœnis redditi fuissent.

Principiò necessarium est maris & fœminæ coniugium, quorum vterque sine altero debilis est, &c. ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄρρεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν, &c. Cicero in 1. de Officiis hunc locū magna ex parte expressit. Nam cum sit hoc natura commune animantium omnium, vt habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso est coniugio, proxima in liberis, deinde vna domus, omnia communia. Quod paulò infrà sequitur: Sequuntur fratrum coniunctiones, pòst consobrinorum, sobrinorúmque, qui cùm vna domo iam capi non possint, in alias domos, quasi in colonias exeunt: id est hoc in capite primo, ὥς τε καὶ αἱ ἀποικίαι διὰ τὴν συγγένειαν. Et paulò suprà, μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι, οὓς καλοῦσί τινες ὁμογάλακτας, παῖδάς τε καὶ παίδων παῖδας. Itaque consobrinos & sobrinos fortasse aptius dicetur, παίδων παῖδας, quàm quod posui, Nepotes. Cicero quidem spectauit eorum qui ex fratribus aut sororibus nati sunt, inter ipsos coniunctionem: ego autem eorum & patrum, aut auorum. Neque enim nepotis vocabulum satis Latinum mihi videtur, vt vulgo fratris filium appellant.

In primis tibi quære domum sociámque, bouémque, οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.) Hoc carmen est apud Hesiodum in posteriore libro eorum qui inscripti sunt, Opera & dies. In quo ἀροτῆρα, id est aratorem omisi, quod aptè in versu mihi visus est non posse consistere. Quod autem ait Aristoteles, Hesiodum confirmare hanc primam esse societatem, hoc mihi aliter videtur. Nam apud Hesiodum hic versus sequitur,

Κτητὴν οὐ γαμετὴν, ἥ τις καὶ βουσὶν ἕποιτο.

id est, Emptam, nō ductam, possis cui tradere boues. In quo cum velit mulierem emi, non connubio consociari, profectò non de naturali hac societate, de qua hîc loquitur Aristoteles, differit. Deinde cum emptitiæ mulieri boues committi velit, tanquam custodi, certè non bos fuit pro seruo pauperibus, aut certè non de paupere hîc verba facit Hesiodus. Itaque famulam, non

ſociam in priore verſu poſuiſſem, niſi ab Ariſtotelis ſententia viſus eſſem diſcedere.

Quocirca principiò ciuitates regibus paruerunt, quod & in gentibus etiam nunc manet. διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη. *Paulò infrà,* καὶ τοὺς θεοὺς δὲ διὰ τοῦτο πάντες φασὶ βασιλεύεσθαι, ὅτι καὶ αὐτοὶ οἱ μὲν ἔτι νῦν, οἱ δὲ τὸ ἀρχαῖον ἐβασιλεύοντο.) *Hunc locum totum penè ad verbum expreſsit Cicero, initio 3. libri de Legib. Atque vt ad hæc certiora veniam & notiora nobis, omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Paulò infrà: Deinde etiam deinceps poſteris prodebatur: quod & in iis etiam qui nunc regnant manet.* βασιλεύεσθαι *ergo eſt parêre regibus. Et quoniam his libris de generibus Rerumpublicarum diſputatur, non alienum erit hoc loco de verbis Rerump. propriis dicere.* ἀρχὴ *magiſtratus dicitur, & imperium, idq́; verbum Græcum ad honorem ipſum, id eſt ad rem ſolum, non etiam ad perſonam accommodatur. Verbum autem Latinum magiſtratus, & ad rem, id eſt officium quod vocãt, & perſonam pertinet.* ἄρχων *autem ad perſonam. Quanquam etiam nomen eſt proprium magiſtratus Athenienſium. Sed de his accuratè diſputandi non eſt hîc locus, ſed proprius mihi conſtitutus eſt in eo libro quem de Magiſtratibus Græcis & Latinis inſcripſi, quem non ita multò poſt hos edemus. Nunc tantùm dicam quod de verbis inſtitui dicere. Ex* ἀρχῆς *verbo, hæc duo nata ſunt verba,* ἄρχειν & ἄρχεσθαι. ἄρχειν *multis modis dicitur, ſed cæteris dilatis hoc quod proprium eſt huius loci tantum dicam.* ἄρχειν *enim imperare & præeſſe valet:* & ἄρχεσθαι *parêre, obtemperare, obedire, in imperio eſſe alicuius aut aliquorum, ſe ſubiicere imperio aliquorum. quod idem de participiis* ἀρχόμενος & ἄρχων *in omni genere iudicandum eſt. Hæc nobis paucis exemplis illuſtranda ſunt. Cicero initio euſdem tertij libri de Legibus, de magiſtratibus loquens: Neque ſolum iis, inquit, præſcribendus eſt imperandi, ſed etiam ciuibus obtemperandi modus. Nam & qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt: & qui modeſtè paret, videtur qui aliquando imperet, dignus eſſe. Itaque oportet & eum qui paret, ſperare ſe aliquo tẽpore imperaturum: & illum qui imperat, cogitare breui tempore ſibi eſſe parẽdum. Hæc omnia ex his libris quos interpretamur mutuatus eſt. Ariſtoteles ſeptimo horum lib. tractans hanc quæſtionem, aliíne eſſe debeant ij qui imperent, an iidem per totum tempus ætatis, poſteaquam ſuam de hac re ſententiam expoſuit, viciſsim imperandum eſſe & parendum ciuibus, & quodam modo eos qui imperant & parent, alios eſſe, quodam modo eoſdem, hæc verba ſubiungit:* τόν τε γὰρ μέλλοντα καλῶς ἄρχειν, ἀρχθῆναί φασι δεῖν πρῶτον. *Paulò infrà:* ἐπεὶ δὲ πολίτου καὶ ἄρχοντος τὴν αὐτὴν ἀρετὴν εἶναί φαμεν, καὶ τοῦ ἀρίστου ἀνδρὸς, τὸν δ' αὐτὸν ἀρχόμενόν τε δεῖν ἄρχεσθαι πρότερον, καὶ ἄρχοντα ὕστερον, τοῦτ' ἂν εἴη τῷ νομοθέτῃ πραγματευτέον, ὅπως ἄνδρες ἀγαθοὶ γίνωνται. ἄρχειν, *præeſſe conuerti à Cicerone, docui in libro de Optimo genere interpretãdi: &* ἄρχεσθαι, *eſſe in aliorum imperio. Exemplis ſuperſedeo, ne ſim lõgior. Nunc ad genus primũ, deinde ad partes noſtra delabatur oratio.* πολιτεία, *Reſpublica à Latinis dicitur. Hinc Cicero ſuos illos ſex quos amiſimus, de Repub. libros inſcripſit, cuius exemplo hos etiam de Repub. non Politica inſcribimus. Atque vtinam ſex illi extarent: ſic enim plurimos locos ex his in illos tranſlatos eſſe oſtenderem. Cicero idem ſemel Græcum verbum politiæ dixit, ídque cum Platonis de Repub. libros citaret.* πολιτεύεσθαι *verbum eſt vtriuſque ſignificationis, à Cicerone gerere Rempub. regere, adminiſtrare & gubernare dicitur. quæ omnia etiam ad verbum* ἄρχειν *accommodat. Pleni ſunt libri de Officiis, & de Legibus, itémque epiſtolæ huius generis exẽplis. Hæc pluribus etiam verbis dicuntur,* διοικεῖν τὴν πόλιν, διαχειρίζειν & πράττειν τὰ κοινὰ, *id eſt, Rẽpublicam adminiſtrare, regere & gerere Rempub. pars prima* βασιλεία *Græce, a Cicerone regia poteſtas, & regalis dicitur, interdum etiam regnum. Non eſt opus exemplis hoc facere longius, quoniam in libro de Optimo genere interpretandi ea protuli.* βασιλεύεσθαι *autem verti à Cicerone parêre regibus, paulo ſuprà docui.* ἀριστοκρατία *ſequitur, quam in libro quem modo dixi, à Cicerone in tertio de Legibus conuerti docui, Rempub. quæ eſt in poteſtate optimorum. & quia Cicero* βασιλείαν *dicit regiam poteſtatem, ne ſemper vno illo vtens, afferrem ſatietatem legentibus, optimorum poteſtatem dixi multis in locis: & Rempub. quæ ab optimis & optimatibus geritur, gubernatur, regitur, adminiſtratur. Idémque feci in cæteris, vt in* ὀλιγαρχίᾳ, δημοκρατίᾳ, & τυραννίδι. *quam extremam interdum voco tyrannorum vitam, vt feciſſe Ciceronem docui. Nonnullis etiam locis illuſtrandæ orationis gratia, interpretationem Ciceronis adhibui, eam quam Nonius Marcellus in verbo Modicum, ſcriptam eſſe in ſecundo libro de Repub. tradit:*

Statue, vel statui (neque enim vtrum verbum legendum sit, assequi potui) esse optime cõstitutam Rempub. quæ ex tribus generibus illis, regali, optimati, & populari confusa modicè, &c. nam deprauata sunt. In quo loco haud scio, an verbum ciuitatis vel Reipub. absit. Nam dicere, regale & populare genus, nisi alterutrum addas verbum, aut ciuitatis, aut Reipub. non satis dixisse videbere. Itaque abesse puto, atque eò magis quòd in libro de Legibus ἀρίστην πολιτείαν aliquoties disertè interpretatur, optimum ciuitatis statum: id quod illum imitatus feci. verbum etiam è verbo reddidit, optimam Rempublicam. Eius verba subieci: Quoniam igitur eius Reipublicæ quam optimam esse docuit illis sex libris Scipio, tenendus est nobis & seruandus status, omnésque leges accommodandæ ad illud ciuitatis genus, &c. Hîc vocabulum ciuitatis adiectum vides. Quinetiam in tertio locus est qui directò nostram hanc confirmat sententiam. Sed quoniam regale ciuitatis genus probatum quondam, postea non tam regni, quàm regis vitiis repudiatum est, nomen tantum videbitur regis repudiatũ, res manebit, si vnus omnibus reliquis magistratibus imperabit. Hæc ergo tot transferendi genera tenemus. Verba autem ex his ducta, ἀριστοκρατεῖσθαι, ὀλιγαρχεῖσθαι, & δημοκρατεῖσθαι, eodem modo interpretor, quo Ciceronem docui βασιλεύεσθαι conuertere, id est parêre optimatibus, vel optimis, paucis, populo: interdum, esse in imperio optimorum, paucorum & populi: interdum, administrari cõsiliis optimatum, vt fecit Cicero prima ad Quintũ fratrem epistola. quod de verbo πονηροκρατεῖσθαι, quo semel vsus est his libris Aristoteles, iudicandum est. Quoniámque in secundi libri de Officiis præfatione μοναρχίαν vnius dominatum Cicero dicit, & μοναρχεῖσθαι vnius dominatu omnia teneri, ὀλιγαρχεῖσθαι hac ratione dixi interdum paucorum dominatu teneri, & δημοκρατεῖσθαι populari dominatu & potestate teneri.

Deósque omnes aiunt ob eam causam regi parêre. καὶ θεοὺς δὲ διὰ τοῦτο πάντες φασὶ βασιλεύεσθαι.) Regi parêre legendum est, non regnare. quoniam βασιλεύεσθαι, vt docui, regibus parêre dicitur. Fabulas autem veterum commemorat, qui multos deos ponebant, atque ex his Iouem Regem, cui obedirent cæteri. Itaque Homerus Iouem appellauit parentem hominum & Deorum.

Atque vt formas sibi Deorum homines, sic vitas solent fingere. ὥσπερ δὲ καὶ τὰ εἴδη ἑαυτοῖς ἀφομοιοῦσιν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ τοὺς βίους τῶν θεῶν ἀφομοιοῦν τὰ εἴδη.) Formas fingere & iungere dicit Cicero lib. primo de Natura deorum. Quòd si fingere nobis & iungere formas velimus, qualis ille maritimus Triton pingitur, natãtibus inuehens belluis adiunctis humano corpori, nolis esse. τὸ εἶδος etiam speciem eo loco dicit, in hac re: Non enim hoc loco de ingeniis, aut de orationibus nostris, sed de specie figuráque quæritur. Quanquam eo loco hunc locum his verbis etiam expreßit: Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura præscripsit, vt nihil pulchrius quàm hominem putaret, eámque esse causam cur deos hominum similes putaremus? Nisi quod sententiam immutauit.

EX II. CAP.

Hominem autem ad cœtus & congregationes aptum esse magis quàm apes sint, quámque bestiæ omnes congregabiles, hinc perspici potest, quod natura nihil, vt aiunt, facit frustra. διότι δὲ πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον πάσης μελίττης καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον, δῆλον. οὐδὲν γὰρ, ὡς φαμὲν, μάτην ἡ φύσις ποιεῖ. Hanc orationem πολιτικὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος, multis modis versam esse à Cicerone in tertio de Finibus, docui in libro de Optimo genere interpretandi. ἀγελαῖον ζῶον etiam alio loco demonstraui, congregatam bestiam dici ab illo. Congregabilia apum examina vocat in primo de Officiis extremo: Atque vt apum examina non fingendorum fauorum causa congregantur, sed cum congregabilia sint natura, fingunt fauos: sic homines, ac multò magis natura congregati, adhibent agẽdi congregandíque solertiam. De apum solertia Aristoteles multa in libris de historia animalium tradit, quæ omnia vertit Plinius. Quod spero me propediem, Deo iuuante, ostensurum, editis septem aut octo libris Plinij, in quorum altera pagina Græca eorum à quibus illa omnia mutuatus est, Latinis respondentia describam. Nunc verò non erit alienum, aliquid de mira illarum prudentia domestica Græcis cum Latinis coniunctis dicere. Plinius lib. 11. cap. 10. Interdiu statio ad portas more castrorum,

noctu quies in matutinum, donec vna excitet omnes gemino aut triplici bombo, vt buccino aliquo. Tunc vniuersæ prouolant, si dies mitis futurus est. Prædiuinant enim ventos, imbresque, & hinc se continent tectis. Hæc ad verbum de Græcis Aristoteles expressit. ἐπεὶ τὶ εἴσοδῳ ἑκάστῃ φυλακές εἰσι. ὄρθριαι δὲ σιωπῶσιν, ἕως ἂν μία ἐγείρῃ βομβήσασα δὶς ἢ τρίς. τότε δ᾽ ἐπ᾽ ἔργον ἀθρόαι πέτονται ὅταν εὐδία ᾖ. προγινώσκουσι γὰρ καὶ χειμῶνα καὶ ὕδωρ· καὶ τότε οὐκ ἀποπέτονται. *Quemadmodum onera imponant sibi, & quot domum reuertentes excipiant, quæq; singularum sint officia, eodem cap. exponit his verbis: Quæ flores comportant, prioribus pedibus femora onerant, propter id natura scabra, pedes priores rostro, totaq; onustæ remeant, sarcina pendente. Excipiunt eas ternæ, quaternæq; exonerant. Sunt enim intus quoque officia diuisa. aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt. Sunt etiam hæc apud Aristotelem.* τὸν δὲ κηρὸν ἀναλαμβάνουσιν αἱ μέλιτται, ἀναριχώμεναι πρὸς τὰ βρύα ὀξέως πρὸς τοῖς ἔμπροσθεν ποσί. τούτους δ᾽ ἐκμάττουσιν εἰς τοὺς μέσους, τοὺς δὲ μέσους εἰς τὰ βλαισὰ τῶν ὀπισθίων. καὶ οὕτω βιασθεῖσαι ἀποπέτονται, καὶ ἀπολυθεῖσιν ἑκάστῃ τρεῖς ἢ τέτταρες. διῄρηνται δὲ τὰ ἔργα, καὶ αἱ μὲν κηρία ἐργάζονται, αἱ δὲ λειαίνουσι καὶ διορθοῦσι, αἱ δὲ αὐθοφοροῦσι. *Apud Plinium aliquid mutatum est aut deprauatum potius. Sed hæc satis multa sunt pro hoc loco.*

Sed solus est homo ex omnibus animantibus particeps compósque rationis. λόγον δὲ μόνον ὁ ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων.) *Ostendi alio loco, hunc locum à Cicerone versum esse in 1. lib. de Legibus: Quod si quis est qui congressus & societates hominum ferre non possit, aut nullo egeat, quod se ipse cõtentus sit, &c.* ὁ δὲ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν, ἢ μηδὲν δεόμενος δι᾽ αὐτάρκειαν, *&c.) Licuit prius membrum ita dilatare, vt fecit Cicero in lib. de Amicitia: Quinetiam si quis ea asperitate est & immanitate naturæ, vt congressus, vt societatem hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus, tamen is pati non possit, &c. Quãquam his verbis tam multis duo solum verba Græca disertißimè interpretatur. prius est in hoc ipso cap. II.* ἄπολις διὰ φύσιν, *id est, vt ipse interpretatur, qui ea asperitate est & immanitate naturæ, vt congressus & societatem hominum fugiat. alterum est* μισάνθρωπος. *nam is Timon sic appellatus est, vt ipse in 4. lib. Tusculanarum quæstionum docet. Quæ autem his sunt contraria, ea nasci putantur à metu, vt odium mulierum, quale in* μισογυνείᾳ *est, vt hominum vniuersum genus, quod accepimus de Timone, qui* μισάνθρωπος *appellatur. Alteram partem in libro de amicitia transtulit: Vt enim sibi vnusquisque confidit, & vt quisque maximè virtute & sapientia excellit, & sic munitus est vt nullo egeat, suáque omnia in se ipso iudicet, ita in amicitiis expetendis colendísque maximè excellit. Quoniam igitur* αὐτάρκεια, *vno verbo, quod quidem Latinum sit, dici non potest (neque enim sufficientia Latinum est) ad personam rei nomen accommodauit: vt si hoc modo dixisset Aristot.* διὰ τὸ αὐτάρκης εἶναι. αὐτάρκης *ergo dicitur & qui se ipse contentus est, vt docui in libro de Optimo interpretandi genere: & qui munitus est, quo genere in his libris vtor.* αὐτάρκειαν *autem dico hoc primo libro, vt in rei nomine maneam, rerum satis magnam copiam, rerum ad vitam necessariarum vsum & cultum, rerum suppeditationem.*

Sic si à lege & iustitia remotus sit, nulla ferarum fraus est tanta, nulla malitia, quæ possit cum eius malitia contendere, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων.) χωρισθὲν δικαιοσύνης, ἢ δίκης, *Cicero remotum esse à iustitia dicit. nam in primo de Officiis, vbi agit de fortitudine, interpretatur hunc locum qui est apud Platonem in Epitaphio,* πᾶσά τε ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία οὐ σοφία φαίνεται. *hoc modo: Præclarum igitur Platonis illud, Non solum, inquit, scientia quæ remota est à iustitia, calliditas potius quàm sapientia est appellanda, verumetiam animus, &c. Ita genus hoc dicendi, vt pleraque alia, Aristoteles à magistro Platone hausit, & sumpsit. In altero membro, quò pulcherrimæ sententiæ maius esset pondus, illud Ciceronis ex primo libro Quæstionum Tusculanarum sum imitatus: Accedit, vt eo facilius animus euadat ex hoc aere, quem sæpe iam appello crassum, eumque perrumpat, quod nihil est animo velocius, nulla est celeritas quæ possit cum animi celeritate cõtendere. Neque enim hoc posterius aliud significat, quàm illud prius. Nihil est animo velocius, id est* ψυχὴ τάχιστον πάντων. *vt hoc loco Aristoteles dicit,* ἄνθρωπος χείριστον πάντων. *Itaque Cicero, vt rem quam maximè illustraret, hoc posterius adiecit. Nõ est quod doceam, eã quæ à Græcis superlatiua (quæ vocant) dicuntur, disertißimè à Latinis per comparandi gra-*

dum exprimi. Id enim eo libro, de quo sæpe mentionem feci, fusißimè tradidi.

At verò iustitia popularis est: quandoquidem iustitia ciuilis societatis descriptio est, iustitia iuris diiudicatio. ἡ δὲ δικαιοσύνη πολιτικόν. ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστίν, ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις. *Locus hic lubricus est sanè, & perdifficilis. Ego* δίκην *&* δικαιοσύνην *pro eodem posita arbitror. Neque enim vnquam* δίκην *legi nisi pro iustitia, aut dea quæ iudiciis præest. Ius enim Græci non* δίκην *dicunt, sed* δίκαιον πολιτικόν, φυσικόν, θεῖον. *Et nimirum hæc mea huius loci interpretatio, sententiam Aristotelis videtur explicare. Nam cum hoc probandum susceperit,* δικαιοσύνη ἐστὶ πολιτικόν, *id est, iustitia est popularis, id est, apta est ad congregationem hominum, hanc rationem subiicit,* ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστί. *quod verum est, & directò confirmat propositum. Iustitia enim ciuilis societatis descriptio est, quoniam iustitia reddit suum cuique, idq; pro dignitate cuiusque: quod ad societatem hominum tuendam conseruandámque valet plurimum. Nam si* δίκην *in hac ratione ius dicamus, non video quomodo ratio poßit esse superioris. Neque enim mihi videtur hoc totum, Ius est societatis ciuilis descriptio, ratio esse huius pronunciati, iustitia est apta ad hominum communionem. Deinde in posteriore oratione illa,* ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις, *si* δίκη *ius dicatur, vt superiore oratione,* τὸ δίκαιον *quid efficiet? Si ius, vt certè efficit, quoties per se positum est, quæ erit sententia? Ius autem iuris est iudicium. nam* δίκαιον *iustum dicere in neutro, ridiculum est, vt iustum ciuile dixerunt omnes qui ante me libros de Moribus Aristot. conuerterunt. Et in* τοῦ δικαίου *intelligere* ἀνθρώπου, *non video quomodo possumus: quanquam hoc modo tolerabilius erit, quàm illo. Quæ ergo mea sententia sit, et qua ratione ductus in ea permaneam, exposui. Aliorum erit vel eam sequi, si vera est: vel repudiare, si falsa.*

IN III. CAP.

Primæ autem et minimæ familiæ partes sint dominus & seruus, &c. πρῶτα δὲ καὶ ἐλάχιστα μέρη τῆς οἰκίας, δεσπότης καὶ δοῦλος, *&c.) In hoc primo libro, et reliquis, quoties* οἶκος, *aut* οἰκία *ad* πόλιν *refertur vt pars,* οἰκίαν *non dico domum, sed familiam. neque enim* πόλεως *nomine intelligit Aristoteles domorum multitudinem, quæ constant fundamẽtis cæterísque partibus generis eiusdem. quod ex hoc loco perspici potest apertißimè.* οἰκίας *enim partes non* θεμέλιον, *id est fundamentum, non* λίθους, *et c. eius generis esse statuit, sed dominum, seu herum & seruum, virum & vxorem, patrem et filios. Itaque locum illum huius capitis qui huic antecedit,* πᾶσα γὰρ πόλις ἐξ οἰκιῶν σύγκειται, *accõmodo ad familias, vt dicam omnem ciuitatem constare ex familiis. Hinc vocabulum deductum* οἰκονομία, *quod res familiaris, et ratio rei familiaris, & prudentia domestica à Cicerone dicitur.*

Partim contra naturam illud ipsum dominari & imperare putant. τοῖς δὲ, παρὰ φύσιν τὸ δεσπόζειν.) *Nihil erat quod hoc loco* παρὰ φύσιν *docerem, contra naturam esse vertendum semper, nisi doctos in alia esse sententia viderem. Dicunt enim ferè omnes* παρὰ, *præter, in hoc dicendi genere, aliísque generis eiusdem. Hæc autem duo contraria sunt,* κατὰ φύσιν, *aut* φύσει, *&* παρὰ φύσιν. *Illud prius verbum è verbo exprimentes, secundum naturam dicamus licet, sed apud Ciceronem non inueni iunctum nisi cum hoc verbo Est, et viuo: id quod docui in eo libro quem iam sæpe nominaui. In aliis ergo verbis Cicero vel in auferendi casu dicit naturâ, vt honestum expetendum est naturâ: quod etiam à Græcis, vt dixi,* φύσει *vocatur. vel etiam in eodem casu, sed cum à præpositione. vt illud, Principio generi animantium omni est à natura tributum, vt se, vitam, corpúsque tueatur. vel in nominandi casu: natura dedit, vel tribuit, vel largita est. Sed hæc potius dandi casu à Græcis dicuntur: vt illud Aristotelis,* φύσει ἐγγίγνονται ἡμῖν αἱ ἀρεταί. *Illud autem* κατὰ *dicit in accusandi casu, vt sequi naturam, sequi naturam ducem, quod Græci dicunt,* πράττειν *vel* ποιεῖν κατὰ φύσιν. *Interdum id quod generale præceptum est, verbo metiendi, dirigendíque exprimit. In primo de Officiis: Tamen nos studia nostræ naturæ regula metiamur. Illud autem alterum* παρὰ, *vix vnquam dicit præter: sed si apud eum inueniatur præter, respondet Græco* ἔξω, *vel* ἄνευ, *interdum etiam* παρὰ. *Est enim Præter exceptionis, vt dicit Cicero in libro quarto de Finibus: Quid enim aliud intelligitur, nisi vt aquè pars naturæ intelligatur? inquit si nihil est præter rationem, sit in vna virtute finis bonorum.*

Dicamus ergo παρὰ contra, vt ille in 1. de Officiis: Sic enim est faciendum, vt contra vniuersam naturam nihil contendamus: ea tamen conseruata, propriam naturam sequamur. In quinto de Finibus: Quamobrem etiam sessiones quædam, et flexi fractíq; motus, quales proteruorum hominum, aut mollium esse solent, contra naturam sunt. Interdum hoc dicit, repugnare naturæ. In primo de Officiis: Nec enim attinet repugnare naturæ, nec quicquam sequi quod assequi nequeas. Interdum in auferēdi casu, repugnante natura facere aliquid aut dicere. In hoc ergo genere loquendi παρὰ φύσιν, dicamus semper cōtra naturam, nunquam præter. In aliis autem nihil prohibet interdum dicere præter, quoniam apud Ciceronem ita sumptum nonnunquam inuenitur. Hoc extremum dixi, ne iniuriâ incurram in reprehensionem nonnullorum, qui quod in vno dico, aut nego, id ad omnia volunt referre.

Animal autem, primùm constat ex animo & corpore, quorum ille natura imperat, hoc paret. τὸ δὲ ζῷον, πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, ὧν τὸ μὲν ἄρχον ἐστὶ φύσει, τὸ δὲ ἀρχόμενον.) *Multa sciens prætereo, vel quod facilia sunt, vel quòd a me alio loco sunt disputata.* συνίστασθαι *ferè omnes constitui dicunt, cum agitur de partibus: hoc Cicero constare dicit. Hunc enim locum in quinto de Finibus sic vertit: Atqui perspicuum est hominem è corpore animóque constare. In secundo libro Tusculanarum Quæstionum alteram partem conuertit hoc modo. Quanquam hoc nescio quomodo dicatur, quasi duo simus, vt alter imperet, alter pareat. Eadem est ratio verbi* συντίθεσθαι, & συνθετόν. *neque enim hoc compositum, et illud componi, in hoc duntaxat genere: sed quod concretum est, et quæ concreta sunt. in tertio de Natura deorum: Etenim omne corpus aut aqua, aut aër, aut ignis, aut terra est, aut id quod est cōcretum ex his, aut ex aliqua parte eorum.*

Et eum qui rationis est particeps tantum, quantum sensu mouetur. καὶ ὁ κοινωνῶν λόγου τοσοῦτον, ὅσον αἰσθάνεσθαι.) *Locutionem hanc planè expressit ad verbum in 1. libro de Officiis: Sed inter hominem et belluam hoc maximè interest: quod hæc tantum quantum sensu mouetur, ad id solum quod adest, quódque præsens est se accōmodat. Tum quod sequitur, de Polybij sexto libro sumpsit: Homo autem qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causásque rerum videt, earúmque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adiungit atque annectit futuras, etc. Polybius,* τοῦ γὰρ γένους τῶν ἀνθρώπων, ταύτῃ διαφέροντος τῶν ἄλλων ζώων, ᾗ μόνοις αὐτοῖς μέτεστι νοῦ καὶ λογισμοῦ, φανερὸν ὡς οὐκ εἰκὸς παρατρέχειν αὐτοὺς τὴν προειρημένην διαφοράν, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων, ἀλλ' ἐπισημαίνεσθαι τὸ γινόμενον, καὶ δυσαρεστεῖσθαι τοῖς παροῦσι, προορωμένους τὸ μέλλον, καὶ συλλογιζομένους καὶ τὸ παραπλήσιον ἑκάστοις αὐτῶν συγκρίσει. *In vulgatis codicibus hoc postremū verbum corruptum est. Est enim* συγκυρήσει. *Nam* συγκρίνειν *iudicare est: & in Ciceronis loco est, similitudines comparat. quanquam participium aptius ad coniunctionem totius orationis legetur. participia enim sunt in singulis incisis. Nec mirum sit, si Polybium Cicero imitatus est. In tertio enim de Officiis, eius de captiuis Cannensi pugna profert sententiam.*

Nam eorum omnium quæ ad cultum corporis necessaria sunt, commoditas ex vtrisque percipitur, & ex seruis, & ex bestiis cicuribus. ἡ γὰρ πρὸς τἀναγκαῖα τῷ σώματι βοήθεια γίνεται παρ' ἀμφοῖν, παρά τε τῶν δούλων, καὶ παρὰ τῶν ἡμέρων ζώων.) βοήθεια γίνεται παρά τινος, *Cicero vertit, Commoditas percipitur ex aliquo. In secundo de Officiis: Quis denique ex bestiis fructus, quæ commoditas, nisi homines adiuuarent, percipi posset?*

Quod si in corporibus id verum est, maiore quadam ratione in animis existunt hæ ipsæ varietates. εἰ δ' ἐπὶ τοῦ σώματος τοῦτ' ἀληθές, πολὺ δικαιότερον ἐπὶ τῆς ψυχῆς τοῦτο διωρίσθαι.) *Hunc locum penè totum conuertit Cicero in 1. libro de Officiis: Vt enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt, aliósque videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere: itemq; in formis, aliis dignitatem inesse, aliis venustatem: sic in animis existunt etiam maiores varietates. Quas hic vocat varietates & dissimilitudines, vocat eodem lib. differentias et distinctiones, quæ paulò ante hunc locum διάφοροι κατὰ σχῆμα ab Aristotele vocantur.*

IN IIII. CAP.

EST enim quidam seruus secundum leges. ἔστι γάρ τις κατὰ νόμον δοῦλος.) *Legendum est enim, secundum leges, non contra leges, quoniam* κατὰ *valet secundum, &* παρὰ *contra,*

vt supra docui. Quanquam sic legi malo, Est enim quidam lege seruus, vel lege comparatus.

Ac primum quidē quærendum est, vtrum ars parandarū diuitiarum eadem sit quæ res familiaris, an eius pars quædā. πρῶτον μὲν οὖν ἀπορήσειεν ἄν τις, πότερον ἡ χρηματιστικὴ ἡ αὐτὴ τῇ οἰκονομικῇ, ἢ μέρος τι.) *De nominibus artiū siue liberalium siue illiberaliū, hoc loco aliquid institui dicere. Hoc igitur primū intelligendū est, artes omnes de quibus agimus, apud Græcos extremam hanc syllabā* κὴ *habere. Nō enim ago de iis quæ trita sunt pro Latinis, in quibus est philosophia, geometria, astrologia, & cæteræ generis eiusdem: earúmque nomina ferè duobus modis à Cicerone cōuerti. Vno nomen rationis & artis cum gerundio in di, adhibet vel patrium casum eius nominis, quo is significatur qui arte est præditus. Sic* λογικὴν *initio Topicorū, rationē disserendi vocat: sic* ῥητορικὴν, *rationem dicendi:* χρηματιστικὴν, *rationem quærendæ pecuniæ, in 2. de Officiis libro. Eodémque modo* κυβερνητικὴν, *artem gubernandi appellat, in primo de Diuinatione: Num igitur clarißimorum ducum regumq; naufragium sustulit artem gubernādi? Eodem libro paulò infrà,* πολιτικὴν *vocat rationem prudentiámque Reipub. gerendæ: Aut num propterea nulla est Reipub. gerendæ ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pōpeium, quædam M. Catonem, nonnulla etiam te ipsum fefellerunt? Ibidem* στρατηγικὴν, *imperatorum artem dicit: Aut num imperatorum scientia nihil est, quia summus imperator nuper fugit amisso exercitu? Vt autem pro artis vel rationis nomine in hac sciētiæ nomen adhibuit, sic in plerisque nomen disciplinæ: vt augurum & aruspicum disciplinam eo ipso lib. appellat, quas Græci* οἰωνιστικὴν & ἱεροσκοπικὴν *vocant: Quid? quod apud te scriptum est de Tiberio Graccho, nónne & augurum & aruspicum comprobat disciplinam? Altero modo nomen artis vno nomine quod substātiuum vocant, exprimit. Talis est* μαντικὴ, *quam diuinationem: talis* κυβερνητικὴ, *quam gubernationem: talis* γραφικὴ, *quam picturam nominat. Libri de Diuinatione hoc est initium: Vetus opinio est, iam vsque ab heroicis ducta temporibus, eaq; & Pop. Rom. & omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines diuinationem, quam Græci* μαντικὴν *appellant, id est, præsensionem, & scientiam rerum futurarum. In 3. de Finibus: Inscitè autem medicinæ & gubernationis vltimum cum vltimo sapientiæ comparatur. De pictura constat inter omnes. Huius generis est venatio, quam Aristoteles hoc libro primo* θηρευτικὴν *appellat: & saltatio, quam ille* χορευτικὴν, *ex qua* χορευτὴς *saltator: &* χοροδιδάσκαλος, *quo his in libris Aristoteles vtitur, quem præsultorem Cicero in his libris de Diuinatione appellat. Quanquam propriè saltatio* ὄρχησις *dicitur, quam* χορείας *partem fecit Plato in secundo de legibus, vt alibi cōmodiore loco docebimus. In eodem genere sunt agricultura & agricolatio, id est* γεωργικὴ & γεωργία, *quibus hoc in libro Aristoteles vtitur. Architectura, quam Græci* οἰκοδομικὴν *vocant: & piscatus, quam* ἁλιευτικὴν *in hoc vocat Aristoteles. Cicero in secundo de Finibus libro: Nemo nostrûm istius generis asotos iucundè putat viuere, mundos, elegantes, optimis cocis, pistoribus piscatu, aucupio, venatione. In 4. de Finibus libro: Nec enim gubernationi aut medicinæ similem sapientiam esse arbitramur, sed actioni illi potius quam modo dixi, & saltationi.* ἐμπορίαν *et* ἐμπορικὴν *mercaturam appellare Ciceronem, nemo ignorat.* χαλκευτικὴν, *quo verbo in hoc capite vtitur Aristoteles, fabricam æris: &* σιδηρευτικὴν, *fabricam ferri idem vocat. In secundo de Natura deorum, cum enumerauit corporis partes: Atque hæc, inquit, oblectationis, illa neceßitatis, cultus dico agrorum, extructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta, vel suta, omnémque fabricam æris et ferri. Nam* τεκτονικὴ, *fabrica dicitur. Ac ne agam de singulis, ex his omnibus exēplis intelligi potest id quod diximus de ratione nominum propriorum artium transferendarum. Quæ si sequamur, et optimum ducem, Ciceronem dico, sequemur, & vocabula infinita, quæ trita sunt pro Latinis, dum hic cōtemnitur, vitabimus. Neque enim probo artem venatoriam, piscatoriam, ædificatoriam, aliaque sexcenta generis eiusdem. Quanquam nonnulla his vertendis libris cum me [illegible] dixisse [illegible] feci, ne omnia commutare viderer: Huius generis est textoria, & pectinaria, & statuaria. Harum malo primam dicere artem textoris, vel texendi, vt his in libris feci, quoniam sic vocat* κυβερνητικὴν *Cicero, & gubernatoris artem, et gubernandi: hanc Aristoteles* ὑφαντικὴν *dicit: alteram, quæ* κερκιδοποιητικὴ *dicitur, artem pectinariorū, vel quæ pectines fabricatur. Nam & apud Ciceronem multa artificum vel opificum vocabula in arius desinunt, vt annularius, et* ἀνδριαντοποιὸς *ille vertit eos qui signa fabricantur. Itaque* ἀνδριαντοποιΐαν, *artem eorum*

qui signa fabricantur, libentius dicam, ea forma qua κυβερνητικὴν dicit artem gubernatoris & ἀθλητικὴν artem athletarum. nisi fortè fabrica signorum & statuarum dici potest. Hæc etiam alia ratione dicere possumus: vt dicamus textrinam ὑφαντικὴν, vt Varro σκυτικὴν, vel ὑποδηματικὴν sutrinam.

Bestiarum enim congregatæ aliæ sunt, partim soliuagæ, &c. τῶν τε γὰρ θηρίων τὰ μὲν ἀγελαῖα, τὰ δὲ σποραδικά ἐστιν.) Imitatus sum Ciceronis locum qui est in primo libro de Natura deorum, Bestiarum autem terrenæ sunt aliæ, partim aquatiles. ἀγελαῖα autem vocat congregabiles bestias, & congregatas: & σποραδικὰ, soliuagas, in quinto libro Tusculanarum quæstionum. vtitur enim eadem diuisione his verbis, Nanque alias bestias nantes aquarum incolas esse voluit, alias volucres cælo frui libero, serpentes quasdam, alias esse gradientes: earum ipsarum partim soliuagas, partim congregatas, immanes alias, quasdam autem cicures, nonnullas abditas, terráque tectas. Quas vocat immanes & cicures, hoc lib. Aristoteles ἄγρια & ἥμερα θηρία dicit. ἄγρια θηρία interdum feras bestias vocat, ἥμερα tantum cicures. In secundo de Natura deorum: Quæ verò & quàm varia genera bestiarum, vel cicurum vel ferarum? ζωόφαγα θηρία hoc capite quæ vocat Aristoteles, in iis enumerauit Cicero eodem libro, cũ nos ait vesci animalibus feris & immanibus, imò omnis generis: Et præterea vescimur bestiis & terrenis & aquatilibus & volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Hunc autem locũ Cicero in eo quem dixi libro, vberrimè tractat, & copiosissimé.

Etenim primo ortu quædam animalia simul extra pariunt tantum alimenti, quantum satis sit, dum id quod procreatum est, ipsum sibi parare possit. καὶ γὰρ κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γένεσιν, τὰ μὲν συνεκτίκτει τῶν ζώων τοσαύτην τροφὴν, ὡς ἱκανὴν εἶναι, μέχρις οὗ ἂν δύνηται αὐτὸ αὑτῷ πορίζειν τὸ γεννηθέν.) Cicero hunc locum magna ex parte expressit in secundo libro de Natura deorum, vbi μέχρις οὗ, dixit, vsque ad eum finem dum: Quid dicam, quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendísque iis quæ procreauerint, vsque ad eum finẽ dum possint se ipsa defendere? Quæ sit locorum similitudo, quæ dissimilitudo, apparet. Cicero enim defendere solum dixit, cum duo dixisset, educationem & custodiam: Aristoteles autem de educatione solum loquitur, quam ad tempus illud perducit, cùm ea quæ procreata sunt, ipsa se alere & educare possint. De illa locutione, A primo ortu, quam hîc Aristot. duobus modis exprimit, κατὰ πρώτην γένεσιν εὐθὺς, & κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γένεσιν, multa in lib. de Optimo interpretandi genere diximus. Genus autem dicendi quod à Græcis sumpsit Cicero, crebrísque vsurpat sermonibus, atque adeò proprium & suũ fecit, paucis hîc institui tradere. Exempla primùm proferã, quo facilius quale id sit intelligatur. In 5. de Finibus libro: Neque enim si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos, aut alia exitia quærant, aut vt ille apud Terentium, qui decreuit tantisper se minus iniuriæ nato suo facere (vt ait ipse) dum miser fiat, inimicus ipse sibi putandus est. Ipse sibi inimicus dixit, non, vt vulgo, sibi ipsi. Hoc ergo genus est quod hîc tradimus, quod non solum per dandi, sed etiam accusandi casum tractat: nec solum is casus qui similis est vulgo, & apud eum dissimilis, antecedit, vt in superiore exemplo, sed etiam sequitur. Horum vtrunque vno eius loco confirmabitur, eo qui in eodem libro positus est. Itaque dicunt, nec dubitant: Mihi sic vsus est, tibi vt opus est facto, face. velut qui sibi ipsi bellum indixissent, cruciari dies, noctes torqueri vellent. Nec verò sese ipsi accusarent ob eam causam, quod se malè suis rebus consuluisse dicerent. In hoc est, sese ipsi accusarent, non ipsi sese accusarent. Qui hoc genus dicendi non obseruauerũt, legendis Ciceronis scriptis sæpe falluntur, cum casum dandi esse putant, qui est nominandi. Nã in iis verbis Ciceronis, quibus adumbratum ab eo hunc quem tractamus Aristotelis locum dixi, Dum possint se ipsa defendere: verbum ipsa nominandi casus est, non accusandi. Quod videre licet in multis aliis orationibus, quas ne sim longior omitto. Plato hoc genus sæpe vsurpat, rarò Aristoteles. Platonis vnum ex multis locum eiusmodi proferam, in quo cum semel atque iterum hanc orationem vsurpet, facilè quàm studiose eam persequatur, intelligi poterit. In Timæo. ψυχὴν δὲ εἰς τὸ μέσον αὐτοῦ θεὶς, διὰ παντός τε ἔτεινε, καὶ ἔτι ἔξωθεν τὸ σῶμα αὐτῇ περιεκάλυψε, καὶ κύκλῳ δὴ κύκλον στρεφόμενον οὐρανὸν ἕνα μόνον ἔρημον κατέστησε, δι' ἀρετὴν αὐτὸν αὑτῷ δυνάμενον συγγίγνεσθαι, καὶ οὐδενὸς ἑτέρου προσδεόμενον, γνώριμον δὲ καὶ φίλον αὐτὸν αὑτῷ. Cicero vertit hoc modo: Animum autem vt in eius medio collocauit, ita per totum tetẽdit: deinde eum circumdedit corpore, & vestiuit extrinsecus, cælóque soliuago & volubili & in orbem incitato

B

complexus est, quod secum ipsum propter virtutem facilè esse posset, nec desideraret alterum, satis sibi notus & familiaris. In his duobus extremis verbis, notus et familiaris, est erratū: quoniam cælum de quo loquitur, apud nos neutrum est, & apud Græcos οὐρανὸς *virile nomen. Nam Platonem in fine huius orationis de Cælo, non de animo loqui, hinc sciri potest, quia est apud ipsum* αὐτὸν αὑτῷ, *non* αὐτὴν αὑτῇ. *Et nimirum ex Ciceronis verbis, errorem esse intelligi licet. Nam apud eum est, quod secum ipsum propter virtutem facilè esse posset: in quibus verbis, hæc vox ipsum, cum sit nominandi casus, ad cælum, quemadmodum et cætera, pertinet. Legendum est ergo, satis sibi notum ac familiare. Hunc errorē, cum triennium abhinc Græcum Platonis Timæum et Ciceronis Latinum à me correctum ederem, non animaduerti. Sunt etiam alij quos ex eo tempore correxi, quos si detur tempus, edam.*

Quæ autem animalia pariunt. ὅσα δὲ ζωοτοκεῖ.) *Animalia enim legendum est, non viua: quod verbum nescio quomodo adiunctum est. paulò suprà: Sed quoniā non eadem res omnes delectat, sed alia alios, idcirco et earum bestiarum quæ viuis animalibus vescuntur, &c. delendum est Viuis.*

Quapropter eodem modo de perfectis naturis iudicandum est, ea quæ è terra gignantur animantium, bestias omnes hominum causa esse generatas, vt cicures & ad vsum & ad victum immanes et feræ si non omnes, at certè quàm plurimæ, ad victum cultúmque natæ videantur, vt ex iis & vestes et cæteræ commoditates opportunitatésque caperentur. Si igitur nihil inchoatum et imperfectum, neque sine causa facit natura, necesse est hæc omnia hominum causa fabricatam esse naturam. ὥστε ὁμοίως δῆλον, ὅτι καὶ γενομένοις, οἰητέον τάτε φυτὰ τῶν ζώων ἕνεκεν εἶναι, καὶ τὰ ἄλλα ζῶα τῶν ἀνθρώπων χάριν, τὰ μὲν ἥμερα καὶ διὰ τὴν χρῆσιν, καὶ διὰ τὴν τροφήν. τῶν δ᾽ ἀγρίων εἰ μὴ πάντα, ἀλλὰ τά γε πλεῖστα τῆς τροφῆς, καὶ ἄλλης βοηθείας ἕνεκεν, ἵνα καὶ ἐσθὴς καὶ ἄλλα ὄργανα γίνηται ἐξ αὐτῶν. εἰ οὖν ἡ φύσις μηθὲν μήτε ἀτελὲς ποιεῖ, μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν.) *Alterum est eorum quæ sibi proposuit ad demonstrandum. Nam duo proposuit: naturam ipsam et inchoatis naturis, vt primùm genitæ sunt, et iisdem iā perfectis prouidisse. Illud ergo* γενομένοις *pro* τελειωθεῖσι *positum est. Atque hic dandi casus vel pro gignendi casu, quem absolutū vocant, accipitur: vel participium* διδομένην φύσιν *repetendum est. Prior mihi et verior expositio videtur, & magis probatur. Hac de sententia, nunc de verbis dicendum est. Cicero hæc verba penè omnia interpretatus est in 2. extremo de Natura deorum, vbi hunc locum de rerū omnium hominis causa procreatione, et latius et copiosius explicat. Primum dicit, quod superioribus verbis extremum posuit Aristoteles. Restat, inquit, vt doceam, atque aliquando perorē, omnia quæ sint in hoc mundo, quibus vtantur homines, hominum causa facta esse et parata. Principiò ipse mundus deorum, hominúmque causa factus est, quæq; in eo sunt, ea parata ad fructum hominum & inuenta sunt. De feris animantibus hoc modo locum tractat: Iam verò immanes & feras belluas nanciscimur venando, vt & vescamur iis, et exerceamur venando ad similitudinem bellicæ disciplinæ, et vtamur domitis & condocefactis, vt elephantis, multáque ex earum corporibus remedia morbis, & vulneribus eligamus. Cum Aristoteles dixerit* τῆς τροφῆς καὶ ἄλλης βοηθείας ἕνεκεν, *Cicero illud prius, vt illis vescamur: posterius exemplis illustrauit, quod etiam facit pluribus. Quod autem ait Aristoteles,* τὰ ἄλλα ζῶα τῶν ἀνθρώπων χάριν, *hoc his verbis exprimit: Tantúmque abest vt hæc bestiarum etiam causa parata sint, vt ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. Tum de bestiis cicuribus illud exemplis illustrat, quod Aristoteles de eis dicit* διὰ τὴν χρῆσιν. *et paulò pòst,* ἵνα καὶ ἐσθὴς καὶ ἄλλα ὄργανα γίνηται ἐξ αὐτῶν. *Quid enim oues aliud afferunt, nisi vt earum villis confectis atque contextis homines vestiantur? Loquens de mulis et asinis,* διὰ τὴν χρῆσιν, *vertit, ad vsum, his verbis: Longum est mulorum persequi vtilitates, & asinorum, quæ certe ad hominū vsum parata sunt.* βοηθείας ἕνεκεν, *ad hominum commoditates dicit, loquēs de canibus.* γίνεται δὲ βοήθειαν ἢ ὄργανον ἐκ θηρίων, *vertit, percipi vtilitatē ex bestiis: Tanta, inquit, putabatur vtilitas percipi ex bobus, vt eorum visceribus vesci scelus haberetur. Quoniam autem* φυτῶν *in hoc loco fit mentio, quod verbum ferè omnes plantas dicunt: ego res, vel ea quæ è terra gignuntur, vel quas terra gignit et fundit: volo docere in hoc me Ciceronem auctorem habere. In 2. de Natura deorum: Prima enim animaduertimus à natura sustineri ea quæ gignantur è terra, quibus natura nihil tribuit*

amplius, quàm vt ea alendo & augendo tueretur. Ex hoc loco perspicuum est, eorum nomine quæ gignantur è terra, & arbores & plantas, quas vocant, Ciceronem esse complexum: quod etiam fecit hoc loco quem interpretamur, Aristoteles. Nam φυτὰ τῶν θηρίων ἕνεκεν εἶναι dicit, & bestias hominum causa esse generatas. Itaque libri Aristotelis περὶ φυτῶν, & Theophrasti, Latinè inscribi debent, De iis quæ gignuntur è terra, quoniam de arboribus & arbustis disserunt. Eodem libro: Accedit etiam ad nonnullorum animantum & earum rerum quas terra gignit conseruationem & salutem, hominum etiam solertia & diligentia. Paulò infrà dicit, ea quæ oriuntur è terra: Quàm tempestiuos autem dedit, quàm salutares nō modò hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus quæ oriuntur è terra, ventos etesias, &c. Interdum arborem non complectitur iis quæ gignuntur è terra, vt in eodem libro: In arborum autem & earum rerum quæ gignuntur è terra, radicibus inesse principatus putatur. Sic coniungit in 5. de Finib. lib. arboris & stirpis nomina: De hominum genere, aut omnino animalium loquor, cum arborum & stirpium eadem penè natura sit.

IN VI. CAP.

HÆC igitur contrahendarum rerum ratio, nec repugnante natura orta est. ἡ μὲν οὖν τοιαύτη μεταβλητικὴ οὔτε παρὰ φύσιν, &c.) ἡ ἀλλαγὴ idem effecit, quo verbo pro illo etiā hic vtitur. ἀλλαγὴν contractum non dico, sed ad verbum eius vsum transfero, vt Cicero facere solet. In secundo de Officiis: Conuenit autem tum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum, in omníque re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, &c. In eodem: Atque iis etiam qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendísque negociis implicātur, iustitia ad rem gubernandam necessaria est. μεταβολὴ etiam permutatio, & μεταβάλλειν permutare, hoc in primo libro dicitur, vt ad pecunias accommodentur: quod ad hunc etiam locum pertinere potest. μεταβολὴν autem, & μεταβλητικὴν, ad res contrahendas omnino, nō solum ad permutandas, hinc intelligi potest, quod proximo capite huic rationi & generi partē vel maximam mercaturam subiicit.

Quanquam ex hac illa nata est, nec iniuria. Nam cum ab externis auxilium peteretur, inuehendis his rebus quibus egebant, & exportandis iis quibus abundabant, nummi vsus comparatus est necessariò. ἐκ μέντοι ταύτης ἐγένετο ἐκείνη κατὰ λόγον. ξενικωτέρας γὰρ γινομένης τῆς βοηθείας, τῷ εἰσάγεσθαι ὧν ἐνδεεῖς, καὶ ἐκπέμπειν ὧν ἐπλεόναζον, ἐξ ἀνάγκης ἡ τοῦ νομίσματος ἐπορίσθη χρῆσις.) μέντοι valet autem, hoc loco. nam refertur ad μὲν superioris orationis illius, ἡ μὲν οὖν τοιαύτη μεταβλητικὴ, &c. in qua οὖν dixi ergo, quod facit interdum Cicero, sed sæpius μὲν οὖν dicit, ac quidem interiecto aliquo verbo, quemadmodum in libro de Optimo genere interpretandi docui. In quo etiam illud ostendi, quod certis locis quanquam valere: quod & in his libris feci persæpe, & in hoc loco in μέντοι. Quod sequitur, Cicero dixit in 2. de Officiis libro: Iam verò & earum rerum quibus abundaremus exportatio, & earum quibus egeremus inuectio, certè nulla esset, nisi his muneribus homines fungerentur.

Cōtrà interdum nugæ nummus videtur, & lex vna omnino, natura autem nihil esse: quod mutatis iis qui vtuntur, precij nullius est. ὅτε δὲ πάλιν, λῆρος εἶναι δοκεῖ τὸ νόμισμα, καὶ εἷς νόμος παντάπασι, φύσει δ' οὐθέν, ὅτι μεταθεμένων τε τῶν χρωμένων οὐθενὸς ἄξιον.) Hic locus mihi videtur sanè difficilis. Hac quidem oratione refellit Aristoteles sententiam eorum, quos diuitias paulo antè in nummis dixit ponere. Itaque λῆρος opponit πλήθει τοῦ νομίσματος, cuius copiam diuitiás esse dicerent. Cur autem dixerit καὶ εἷς νόμος, id est lex vna, equidem ignoro: nisi fortè hoc referat ad legem illam, qua nummum dicit esse comparatum: aut ad eorum sententiam, qui hac vna lege veras diuitias dirigerent, si quàm maximæ copiæ nummorum adessent. Nam quod sequitur, φύσει δ' οὐθὲν ὅτι, &c. sic interpretor, vt ὅ,τι nomen relatiuum faciam, non coniunctionem, propter οὐθέν. vt sic dicamus: Nihil natura fecit eiusmodi, quod si ij qui vtūtur eo, mutent, nullius sit precij. Sic enim μεταθεμένων exponere malo, quàm mutatis, &c. Alij ὅτι faciunt coniunctionem.

Quemadmodum de Mida illo narrant fabulæ, cui propter stultum optatum, &c. καθάπερ καὶ τὸν Μίδαν ἐκεῖνον μυθολογοῦσι διὰ τὴν ἀπληστίαν τῆς εὐχῆς.) ἄπληστος verbum è verbo in-

explebilis, insatiabilis à Cicerone dicitur. ἀπλησία, insatiabilitas: sed vix est in vsu. Hoc autem loco quoniam hæc duo coniunxit, ἀπλησία τῆς εὐχῆς, nec rectè dici potest propter precationis aut optati insatiabilitatem, rei potius quàm verborũ rationem habendam putaui. Nã stultè id Midas optauit. quanquam stultitia non illa insatiabilis sitis est, sed illi consequens est. Optatum autem dico εὐχὴν, vt Cicero in 1. de Officiis: Ex tribus enim optatis, vt scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optauit.

Atqui absurdum est, eas diuitias esse, quibus abundantem liceat fame enecari. καί τοι ἄτοπον τοιοῦτον τὸν πλοῦτον, οὗ εὐπορῶν λιμῷ ἀπολεῖται.) Hunc locum in libro 5. Quæstionum Tusculanarum Cicero imitatus est: Non sunt igitur ea bona dicenda, quibus abundantem licet esse miserrimum.

In causa est earum vicinitas, quoniam alterius vsus in alteram transfertur, cum in eodem nummo vtraque ratio quærendæ pecuniæ versetur. Est enim eiusdem vsus possessio, sed non eadem ratione: verùm huic alius finis propositus est, illi pecuniarum amplificatio. αἴτιον δὲ τὸ σύνεγγυς αὐτῶν. ἐπαλλάττει γὰρ ἡ χρῆσις, τοῦ αὐτοῦ οὖσα ἑκατέρα τῆς χρηματιστικῆς. τῆς γὰρ αὐτῆς ἐστι χρήσεως κτῆσις, ἀλλ' οὐ κατὰ ταὐτὸν, ἀλλὰ τῆς μὲν ἕτερον τέλος, τῆς δ' ἡ αὔξησις.) Etsi de verbis his Commentariis dicere institui non de rebus & sententiis: tamen cùm sententia obscura est, non possum quin ad hoc munus fungendum me conferam, qualis est hic locus. In prima quidem oratione, huic verbo χρῆσις distinctio puncti & nota adhibenda est, vt patrius casus τοῦ αὐτοῦ non ad illud nomen, sed ad consequens οὖσα ἑκατέρα τῆς χρηματιστικῆς intelligatur pertinere. In illo autem verbo τοῦ αὐτοῦ, patrius casus νομίσματος intelligendus est. vt sit sententia, vtraque ratio quærendæ pecuniæ, id est rei familiaris disciplina & caupona, in eodem nummo versatur. Tum quod sequitur, τῆς γὰρ αὐτῆς ἐστι χρήσεως κτῆσις, sic intelligendum est, vt verbum κτῆσις ad nummum referatur, quasi adiectum esset: hoc modo κτῆσις νομίσματος. Quod autem dicitur esse eiusdem vsus nummi possessio in vtraque ratione quærendæ pecuniæ, hoc erit facilius & planius, si dicamus pecuniæ possessionem ad eundem vsum reseruari, quoniam ad possessiones emendas, & fructus possessionum amplificandos: sed non eodem modo, quoniam prudentia domestica hæc omnia ad familiam tuendam refert, illa autem ad pecuniæ amplificationem. Vicina ergo hæc duo sunt, propterea quòd vsus pecuniarũ quas altera possidet, ἐπαλλάττει, id est ad alteram transfertur & transit: & contrà. ἐπαλλάττειν enim vicissitudinem, & vt ita dicam, alternationem indicat. Sic mihi hic locus explicandus videtur.

In quibus autem cupiditas spectat ad beatam vitam, ab iis expetuntur diuitiæ ad perfruendas voluptates. ὅσοι δὲ καὶ τοῦ εὖ ζῆν ἐπιβάλλονται, τὸ πρὸς τὰς ἀπολαύσεις τὰς σωματικὰς ζητοῦσι.) Hæc verba Cicero expressit primo de officiis libro: Expetuntur autem diuitiæ tum ad vsus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates. In quibus autem maior est animus, in iis pecuniæ cupiditas spectat ad opes, & ad gratificandi facultatem. τὸ εὖ ζῆν dixi beatam vitam, quod dicere potui ad bene viuendum. quanquam neutrum videtur satis cohærere, propter corporis voluptates. Itaque illud εὖ ζῆν videtur aliter accipi, quàm aliis locis infinitis, in quibus pro ea vita quæ ex virtute agitur, intelligi debet. Hoc ergo loco τὸ εὖ pro ἀκρατῶς dicitur.

IN VII. CAP.

VT enim homines non gignit ciuilis ratio & societas, sed cum acceperit à natura, illis vtitur. ὥσπερ γὰρ καὶ ἀνθρώπους οὐ ποιεῖ ἡ πολιτικὴ, ἀλλὰ λαβοῦσα παρὰ τῆς φύσεως, χρῆται αὐτοῖς.) Hunc locum Cicero quodãmodo expressit in quarto de Finibus libro, his verbis: Vt Phidias potest à principio instituere signum, idq́; perficere, potest ab alio inchoatum accipere & absoluere: huic est sapientia similis. Non enim ipsa genuit hominem, sed accepit à natura inchoatum. Hanc intuens, debet institutum illud quasi signum absoluere.

Iuréque optimo in odia hominum incurrit, quoniam ipsa pecunia fructus eius est. εὐλογώτατα μισεῖται ἡ ὀβολοστατικὴ, διὰ τὸ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ νομίσματος εἶναι τὴν κτῆσιν, καὶ οὐκ ἐφ' ὅπερ ἐπορίσθη, μεταβολῆς γὰρ ἐγένετο χάριν.) μισεῖσθαι de artificiis & quæstibus Cicero in extremo 1. de Officiis libro dicit, in odia hominum incurrere. in quo hunc locum imitatus est: Primum improbantur ii quæstus qui in odia hominum incurrunt, vt portitorum, & fæneratorum. Nam

hoc loco Aristoteles de fœnore loquitur, ὁ δὲ τόκος αὐτὸ ποιεῖ πλέον, id est, νόμισμα. κτῆσιν autem fructum dixi, quoniam hi tales homines fructum & finem diuitiarum in possessione pecuniæ ponunt.

Harum quidem rerum, de quibus dicimus, liberalis est ac ingenua ars & cognitio, vsus autem necessarius. πάντα δὲ τοιαῦτα τὴν μὲν θεωρίαν ἐλεύθερον ἔχει, τὴν δ' ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν.) θεωρία est, quam speculationem & speculatiuam, aut etiam theoricam vocant in artibus: & ἐμπειρία, quam practicam. Aristoteles hoc loco θεωρίαν & γνῶσιν pro eodem dicit, & ἐμπειρίαν & χρῆσιν. Cicero in primo de Officiis aliquid simile dixit: Sed vt nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine vsu & exercitatione consequi possunt: sic officij conseruandi præcepta traduntur illa quidem, vt faciamus ipsi. sed rei magnitudo vsum quoque exercitationémque desiderat. Ita quod dixit Arist. ἔχει τὴν ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν, vocauit, exercitationem desiderat: quoniam ὃ ἔχει τὴν ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν, & ὃ τῆς ἐμπειρίας δεῖται, idem declarant. Vocabimus ergo in artibus, quæ sunt in agendo, θεωρίαν & γνῶσιν artis præcepta, ἐμπειρίαν autem exercitationẽ, & χρῆσιν vsum: quoniam sic optimus magister vocauit. Experientiam ergo in hac re ἐμπειρίαν non dicam, quandoquidem exercitationem bis non dixisset Cicero in eadem oratione, & circuitu verborum, nisi hoc repudiasset. Non quòd negem, Ciceronem vsum esse hoc vocabulo, sed in alia re dico. In quo me audio à quibusdam inuadi, quòd in libro de Optimo interpretandi genere, pleraque verba Ciceroniana esse nego, quæ ipsi non euoluentes Ciceronem, sed adhibentes quorundam obseruationes, qui non omnia verba Ciceronis elementorum ordine persecuti sunt: nec intelligunt non eos Ciceronianos esse, qui omnia Ciceronis verba teneant & imitentur in suis scriptis, sed eos demum qui id ex arte faciant. Multa verba sunt quæ commemorare possum: sed non est necesse. Manifestum est, repudio, vt minus Ciceronianum: at isti reperiunt, manifestum est crimen, in manifesto scelere tenetur. Quis hoc negat? aut quæ reprehensio fallax est, si hæc non est? Nam & ego, manifestum est, nego apud Ciceronem reperiri pro δῆλον, cum ὡς vel ὅτι adiunctum est: & illi manifestum, nomen adiectiuum faciunt. Eadem est ratio τῆς ψυχῆς, quod verbum pro altera parte earum ex quibus constamus, dico semper animum, vt Cicero facit. At illi animæ verbo vsum esse Ciceronem multis locis confirmant, cum vsus ille quidem eo sit, sed ferè pro aëre vel spiritu, & anhelitu. Itémque factionem testamenti proferunt, cum ego factionis verbũ pro opere quod ars quæ in faciendo est relinquit, negem esse Ciceronianum. Doceo enim, ποίησιν effectum vel effectionem dici ab eo, non factionem. Sed de his hactenus.

Tertia mercenariorum omniũ, cuius vna pars in sordidis artibus versatur: altera in iis quæ arte non constant, sed solius corporis opera & industria, &c. τρίτον δὲ μισθαρνία. ταύτης δ' ἡ μὲν τῶν βαναύσων τεχνῶν, ἡ δὲ τῶν ἀτέχνων, καὶ τῷ σώματι μόνῳ χρησίμων.) &c. Hunc locum de liberalibus & illiberalibus ac sordidis artibus, magna ex parte Cic. in extremo 1. de Officiis libro imitatus est.

Qualis est arborum confectio, & omnis è terra eruendi ratio. οἷον ὑλοτομία καὶ πᾶσα μεταλλευτική.) ὕλη in hoc verbo ὑλοτομία, potius materiam quàm syluam declarat. Hoc autem verbum Cicero arborum confectionem vertit. In 2. de Natura deorum libro: Arborum autem confectione, omniq́; materia & culta & sylucstri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibito, & ad mitigandum cibum vtimur, partim ad ædificandum, vt tectis septi frigora caloréśque pellamus. ὕλην autem materiam in hoc verbo significare indicat, cum ait, omniq́; materia & culta & syluestri. Itaque ὑλοτομία, materiæ confectio dici ad verbum potest. μεταλλεύειν autem tum eruere è terra, tum effodere, tum elicere dicit. In eodem libro: Nos ex terræ cauernis ferrum elicimus. In secundo de Officiis: Eadémque ratione nec lapides ex terra exciderentur ad vsum nostrum necessarij, nec ferrum, æs, aurum, argentum effoderetur penitus abditum sine hominum labore & manu.

Cuius generis est illud Thaletis Milesij, &c. οἷον καὶ τὸ Θάλεω τοῦ Μιλησίου, &c. Hanc Thalis diuinationem iisdem quoad licuit verbis, quibus Cicero, exposui. Hanc enim ille in 1. de Diuinatione libro describit his verbis: Alij autem in Repub. exercitati, vt de Atheniẽsi Solone accepimus, orientem tyrannidem multo antè prospiciunt quos prudentes possumus dicere, id est prouidentes: diuinos nullo modo possumus, non plus quam Milesium Thalem, qui vt ob-

iurgatores suos conuinceret, ostenderétque etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam antequã florere cœpisset, in agro Milesio coëmisse dicitur. Animaduerterat fortasse quadam scientia, olearum vbertatem fore. πλουτεῖν, dixi facere pecuniam. κατανοεῖν ἐκ τῆς ἀστρολογίας, animaduertere scientia. αὖ βούληται, si ei commodum esset. Numerum enim multitudinis ad singularem transtulit. Coëmisse dixit, cui verbum nullum in hac historia respõdet, sed in altera expositione de quodam Syracusio, quæ hãc sequitur. est enim συνεπρίατο.

IN VIII. CAP.

SED tamen cum est quod imperat, & quod paret, tum fit vt sit quædam & formarum & sermonum & honorum præstantia: quemadmodum Amasis de pelui in qua pedes lauabat, orationem habuit. ὅμως δὲ ὅταν τὸ μὲν ἄρχῃ, τὸ δὲ ἄρχηται, ζητεῖ διαφορὰν εἶναι καὶ σχήμασι καὶ λόγοις καὶ τιμαῖς, ὥσπερ καὶ Ἄμασις εἶπε τὸν περὶ τοῦ ποδανιπτῆρος λόγον.) Sic legendum est. Omissum est nomen peluis, cum vertenda esset pagina, & traiectæ sunt literæ. Hunc autem locum obscurat Amasis historia, quam ex 2. Herodoti lib. sumptam hîc libuit attexere, rei illustrandæ gratia. τὰ μὲν δὴ πρῶτα κατώνοντο τὸν Ἄμασιν Αἰγύπτιοι, καὶ ἐν οὐδεμιῇ μοίρῃ μεγάλῃ ἦγον, ἅτε δὴ δημότην τὸ πρότερον ἐόντα, καὶ οἰκίας οὐκ ἐπιφανέως. μετὰ δὲ, σοφίῃ αὐτοὺς ὁ Ἄμασις, οὐκ ἀγνωμοσύνῃ προσηγάγετο. ἦν οἱ ἄλλα τε ἀγαθὰ μυρία, ἐν δὲ καὶ ποδανιπτὴρ χρύσεος. ἐν τῷ αὐτός τε ὁ Ἄμασις καὶ οἱ δαιτυμόνες οἱ πάντες τοὺς πόδας ἑκάστοτε ἐναπενίζοντο. τοῦτον κατ᾽ ὦν κόψας, ἄγαλμα δαίμονος ἐξ αὐτοῦ ἐποιήσατο, καὶ ἵδρυσε τῆς πόλεως. ὅκου ἦν ἐπιτηδεώτατον. οἱ δ᾽ Αἰγύπτιοι φοιτέοντες πρὸς τὤγαλμα, ἐσέβοντο μεγάλως. μαθὼν δὲ ὁ Ἄμασις τὸ ἐκ τῶν ἀστῶν ποιεύμενον, συγκαλέσας Αἰγυπτίους, ἐξέφηνε φὰς ἐκ τοῦ ποδανιπτῆρος τὤγαλμα γεγονέναι, ἐς τὸν πρότερον μὲν Αἰγυπτίους ἐνεμέειν τε καὶ ἐνουρέειν, καὶ πόδας ἐναπονίζεσθαι, τότε δὲ μεγάλως σέβεσθαι, ἤδη ὦν ἔφη λέγων ὁμοίως αὐτὸς τῷ ποδανιπτῆρι πεπρηγέναι. εἰ γὰρ πρότερον ἦν δημότης, ἀλλ᾽ ἐν τῷ παρεόντι εἶναι Αἰτιέων τε βασιλεύς, καὶ τιμᾶν τε καὶ προμηθέεσθαι ἑωυτοῦ ἐκέλευε. τοιούτῳ μὲν τρόπῳ προσηγάγετο τοὺς Αἰγυπτίους, ὥστε δικαιοῦν δουλεύειν. id est: Principio quidem regni Amasin Ægyptij contẽpserunt, nec in vlla magna & illustri parte duxerunt: quippe qui de plebe, non illustri loco natus esset. Pòst verò calliditate quadam, non benignitate eos ad se pellexit. Erant ei cùm aliæ diuitiæ innumeræ, tum peluis aurea, in qua ipse omnésque conuiuæ semper pedes lauabant. Ex ea statuam dei fecit, quam in clariss. vrbis loco statuit. Ægyptij verò ad signum concurrentes, maxima id religione venerabantur. Quod cùm Amasis ex oppidanis & ciuibus comperisset, Ægyptios conuocauit, eísque exposuit simulacrum illud quod tum colerent, ex ea pelui in quam prius & vomerent & meierent, & in qua pedes lauarent, esse factum. Similis, inquit, mei, quæ peluis ratio est. Si enim antehac de plebe fui, at nunc certè, inquit, rex sum vester. Atque iis vt & se colerent, & vererentur, imperauit. Hac quidem ratione ÆEgyptios conciliauit, vt æquo animo seruitutem ferrent. Atque hæc est, quam ab Amasi de pelui habitam esse Aristoteles dicit, oratio. Facilis nunc est huius loci explicatio. Nam in iis qui imperãt, est formarum & sermonum honorúmque ac dignitatum alia præstantia, quàm erat in eis tum cum parêrent: quemadmodum Amasis in pelui aurea, in qua ipse atque Ægyptij pedes lauabunt, dignitatem maiorem & excellentiam inesse dixit, cum ex ea simulacrum Dei factum est, quàm cum in ea pedes lauarentur.

IN LIBRVM SECVNDVM

Obseruationes. In I. Caput.

QVIA multi homines Aristotelem accusant, quòd magistrum Platonem refellat, aut illius non intellecta sentẽtia, aut etiam ea sibi ad refutandũ proposita, cuius ille nunquã fuerit nec auctor, nec defensor, institui quæ hoc 2. lib. reprehendit, ea ex Platonis libris transferre in hæc Cõmentaria, vt tãdem aliquando hi tales homines Aristotelem eum esse, qui aliorum scripta deprauare solet, suspicari desinant. Est hoc quidem à nostro instituto alienum, quippe qui de verbis, non de rebus dicere instituerim: sed tamen non omnino erit inutile. Quòd si posthac aliquãdo iterum quæ in libros de Moribus scripsimus, edemus, idem faciam in iis quæ ad ideas pertinẽt. In his enim, maledictis eum vexant. Hoc primùm cõsideremus: Fieri enim potest, vt ciuibus inter ipsos liberi communes sint, communes vxores, communes denique possessiones, vt est in Platonis Repub. illic enim Socrates ait oportere & liberos & vxores & possessiones esse communes. ἐνδέχεται γὰρ καὶ τέκνων καὶ γυναικῶν καὶ κτημάτων κοινωνεῖν τοὺς πολίτας ἀλλήλοις, ὥσπερ ἐν τῇ πολιτείᾳ τοῦ πλάτωνος. ἐκεῖ γὰρ ὁ σωκράτης φησὶ δεῖν κοινὰ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας εἶναι, καὶ τὰς κτήσεις.) *Hoc Plato dicit cùm in quarto de Repub. libro, tum vel aptißimè in quinto, his verbis:* τούτῳ ἦν δ' ἐγώ, ἕπεται νόμος, καὶ τοῖς ἔμπροσθεν τοῖς ἄλλοις, ὡς ἐγῷμαι, ὅδε. τίς; τὰς γυναῖκας ταύτας τῶν ἀνδρῶν τούτων πάντων πάσας εἶναι κοινάς, ἰδίᾳ δὲ μηδενὶ μηδεμίαν συνοικεῖν, καὶ τοὺς παῖδας αὖ κοινοὺς καὶ μήτε γονέα ἔκγονον εἰδέναι τὸν αὑτοῦ, μήτε παῖδα γονέα. *id est, Hanc inquam legem, superioréque alias, vt opinor, illa sequitur. Quænam? Has horum virorum mulieres omnes omnium esse communes. priuatim autem vllam habitare cum nemine. itemq; liberos communes esse oportere, vt nec parens filiũ suum noscat, nec filius parentem. Itaque Aristot. hanc vocat etiam legem scriptam proximo ambitu verborum,* περὶ δὴ πότερον ὡς νῦν οὕτω βέλτιον ἔχειν, ἢ κατὰ τὸν ἐν τῇ πολιτείᾳ γεγραμμένον νόμον. *id est, In quo id quæri potest, vtrum præstat ita rem habere, vt his fit temporibus, an vt lex in Rep. Platonis scripta præscribit Quod autem huic orationi adiunctum est, Cum verò multas alias incommoditates in se continet vxorum inter omnes communitas, tum id cuius causa putat hoc pacto legibus sanciendũ esse Socrates, ex rationibus non perspicitur effici,* ἔχει δὴ δυσχερείας ἄλλας τε πολλὰς τὸ πάντων εἶναι τὰς γυναῖκας κοινάς, καὶ δι' ἣν αἰτίαν φησὶ δεῖν νενομοθετῆσθαι τὸν τρόπον τοῦτον ὁ σωκράτης, οὐ φαίνεται συμβαῖνον ἐκ τῶν λόγων. *Hæc inquam oratio, est quasi propositio quædam eorum quæ vult in Platonis Repub. reprehendere. Primùm enim quæ incommoda inde sequuntur, si mulieres sint communes, docet: deinde non effici Socratis rationibus id quod volebat. Rationes autem Socratis & in hoc capite & initio secundi (capita enim distinxi, vt alij, quò facilius res teneretur) Aristoteles affert, ac refellit. Sunt autem duæ potissimùm, quibus probat fore optimum ciuitatis statum: Si & quàm maximè vna fiat ciuitas & omnes dicant ciues Non meum. Quo autem modo diuidendum sit, nihil exponit: id est, quo pacto vna ciuitas quàm maximè efficiatur ex omnibus.* πῶς δὲ δεῖ διελεῖν, οὐδὲν διώρισαι· λέγω δὲ τὸ μίαν εἶναι τὴν πόλιν πᾶσαν, ὡς ἄριστον ὅτι μάλιστα.) *De his formulis,* ὅτι μάλιστα, *id est quàm maximè,* ὡς ἄριστον, *id est quam optimum, dixi in lib. de Opt. interpret. gene.* διαιρεῖν *hoc loco diuidere est, vel distinguere, & constituere, & explicare. hinc* διαίρεσις, *diuisio & distinctio Itaque facilius hoc dicetur* πῶς δεῖ διελεῖν, *quis modus constituendus sit vel tenendus. Hoc enim reprehendit Aristot. quòd non definierit modum Socrates, in quo si sistatur, maximè vna erit ciuitas. Quanquam vt verè dicam non refellere mihi videtur hoc in loco Aristot. Platonis sententiam. Nam ad hominum multitudinem & paucitatem omnem orationẽ dirigit: quasi vero Socrates q̃ maximè vnam intelligat ciuitatem, quæ ex quàm paucißs. hominibus constet, cum concordiam spectet maximè. itaque multis locis dicit se custodibus præscribere, vt dent operã, vt nec parua ciuitas, nec magna, sed satis munita & vna esse videatur. In 4. enim de Repub. lib. scribit his verbis,* ἄρα καὶ τοῦτ' αὖ πρόσταγμα τοῖς φύλαξι προστάξομεν, φυλάττειν παντὶ τρόπῳ ὅπως μήτε σμικρὰ ἡ πόλις ἔσται, μήτε μεγάλη δοκοῦσα, ἀλλά τις ἱκανὴ καὶ μία. *id est, Quocirca illud magistratibus præscribimus, vt omni ratione prouideant, vt neque parua sit ciuitas, neque ma-*

gna, sed temperata & vna videatur. Eadem etiã pagina Plato modum suæ ciuitati hunc constituit. Οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, οὗτος ἂν εἴη κάλλιστος ὅρος τοῖς ἡμετέροις ἄρχουσιν, ὅσην δεῖ τὸ μέγεθος τὴν πόλιν ποιεῖσθαι, καὶ ἡλίκῃ οὔσῃ χώραν ἀφορισαμένους, τὴν ἄλλην χαίρειν; τίς, ἔφη, ὅρος; οἶμαι μὲν, ἦν δ' ἐγώ, τόνδε, μέχρις οὗ ἂν ἐθέλοι αὐξανομένη εἶναι μία, μέχρι τούτου αὔξειν. *id est, An non, inquam, hic pulcherrimus modus magistratibus nostris constituetur, quantam ciuitatem facere debeant: & tanta cum fuerit, ei agro pro portione aßignato, alium sinere? quis, inquit, modus? Hunc inquam esse puto, vt quatenus crescendo vna manebit, eatenus augeatur. Ciuitatem autem vnam eadem pagina concordia definit, docens si alij sint diuites, alij pauperes, non vnam iam esse, sed duas. Itémque ita vnam fore tradit, si omnes quò quenque sua natura deducit, eò deferatur. Hunc locum non possum prætermittere, quòd eũ Cicero sit imitatus.* τοῦτο δ' ἐβούλετο δηλοῦν, ὅτι καὶ τοὺς ἄλλους πολίτας, πρὸς ὅ, τι πέφυκε, πρὸς τοῦτο ἕνα πρὸς ἓν ἕκαστον ἔργον δεῖ κομίζειν, ὅπως ἂν ἓν τὸ αὑτοῦ ἐπιτηδεύων ἕκαστος, μὴ πολλοὶ, ἀλλ' εἷς γίγνηται, καὶ οὕτω δὴ ξύμπασα ἡ πόλις μία φύσει, καὶ μὴ πολλαί. *id est, Hoc autẽ docere volebat, cæteros ciues ad quam quisque rem aptus sit, ad eam oportere deferri, vt suæ quisque naturæ studium sequens, non multi, sed vnus fiat, ita vniuersa etiam ciuitas non multæ, sed vna futura est. Antequam Ciceronis locos profero, reliqua quæ eódem pertinẽt, afferam. In eodem quarto, hoc modo,* ἐθέμεθα δὲ δήπου καὶ πολλάκις ἐλέγομεν, εἰ μέμνησαι, ὅτι ἕνα ἕκαστον ἓν δέοι ἐπιτηδεύειν τῶν περὶ τὴν πόλιν, εἰς ὃ αὐτοῦ ἡ φύσις ἐπιτηδειοτάτη πεφυκυῖα εἴη. *id est, Posuimus hoc certe, crebrísque sermonibus vsurpauimus, si tenes, ad quam quisque rem earum quæ sunt in Repub. natura aptißimus esset, eam potißimùm sequi oportere. In* ς. ὡμολογοῦμεν γὰρ δὴ ἄλλην φύσιν ἄλλο δεῖν ἐπιτηδεύειν. *Inter nos enim constitit & conuenit, aliam naturam in alia re elaborare oportere. Eodem libro hoc etiam vtitur,* τὸ μὴ τὴν αὐτὴν φύσιν τῶν αὐτῶν δεῖ ἐπιτηδευμάτων τυγχάνειν. *Item hoc,* καὶ πάντων μὲν μετέχει γυνὴ ἐπιτηδευμάτων. *Alia sunt etiam ab eo vsurpata eodem libro. Cic. in* I. *de Offic. hunc locum tractat, cum de constituendo vitæ genere differit.* κομίζειν *dicit deferre, sed in patiendi voce deferri: Maior enim pars eò solet ferè deferri, quò à natura sua deducitur. Quanquam illud* κομίζειν *verbum est, quod dicit conferre: vt conferre se ad studium dicendi. Idem eodem libro: Ad quas res igitur aptißimi erimus, in iis potißimum elaborabimus.* ἐπιτηδειοτάτη φύσις, *dixit aptißimi. Et* ἐπιτηδεύειν, *elaborare.*

Itaque talio, quemadmodum in libris de Moribus dixi, ciuitates continet. διόπερ τὸ ἴσον τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις, ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται πρότερον. *Hoc in* ς. *tradit. verba eius subieci,* ἀλλ' ἐν μὲν ταῖς κοινωνίαις ταῖς ἀλλακτικαῖς συνέχει τὸ τοιοῦτον δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθὸς κατ' ἀναλογίαν, καὶ μὴ κατ' ἰσότητα. τῷ ἀντιποιεῖν γὰρ ἀνάλογον συμμένει ἡ πόλις, *id est, Quinetiam contrahendis rebus hoc ipsum ius talionis proportione, non æquabilitate continetur, iisdem enim rebus vicißim faciendis, vel retaliando proportione, stat ciuitas. Retaliari enim est* ἀντιποιεῖν, *vel id quod Terentius dicit pluribus verbis, par pari referre.*

Apud quos autem id fieri non potest, propterea quòd natura omnium par est causa et conditio: simul etiam æquum est, siue salutaris, siue perniciosus sit magistratus, omnibus ad magistratus aditum patere: meminisse debent, sibi qui pari iure viuant, abeundum esse magistratu vicißim, tanquam à principio sint similes. Alij enim imperant, alij parent vicißim, quasi verò alij fiãt. ἐν οἷς δὲ μὴ δυνατὸν διὰ τὸ τὴν φύσιν ἴσους εἶναι πάντας, ἅμα δὲ καὶ δίκαιον, εἴτ' ἀγαθὸν εἴτε φαῦλον τὸ ἄρχειν, πάντας αὐτοῦ μετέχειν, ἐν τούτοις δὴ μιμεῖσθαι τὸ ἐν μέρει, τοὺς ἴσους εἴκειν ὁμοίως τοῖς ἐξ ἀρχῆς. οἱ μὲν γὰρ ἄρχουσιν, οἱ δ' ἄρχονται κατὰ μέρος, ὥσπερ ἂν ἄλλοι γενόμενοι.) *Hic sanè locus difficilis est. Non dubium est quidem, quin illa duo verba* ἐν οἷς, *et* ἐν τούτοις, *sint ea quæ relatiuum et antecedens vocantur. Itaque post* ἐν τούτοις, *non* δὲ, *sed* δὴ *legendum puto.* μιμεῖσθαι τὸ ἐν μέρει τῷ ἴσους εἴκειν, *legendum etiam arbitror, non* τοὺς ἴσους: *quod mihi Aristoteles explicare rationem abeundi videatur.* τῷ εἴκειν *enim valet cedendo, seu deponendo imperium. Neque verò illud Græcè aptè dici puto,* μιμεῖσθαι τὸ ἐν μέρει, εἴκειν, *nisi articulus* τὸ *ad verbum infinitum* εἴκειν *pertineat. Ita distinctio quæ adhibetur post* ἐν μέρει, *delenda erit: & sensus erit, ij imitari debent vicarium imperii, cum pares sint, &c. Ego autem quoniam hoc genus apud Latinos non reperio sic hunc locum conuerti, vt si Aristoteles diceret,* μεμνῆσθαι τοῦ ἐν μέρει τοὺς ἴσους εἴκειν. *id est, meminisse debent, &c. Sed illa pauca extrema verba maiorem dubitationem afferũt,* ὁμοίως τοῖς ἐξ ἀρχῆς. *Nam & qui sint ij quos dicit* τοὺς ἐξ ἀρχῆς, *incertum est: et verbũ* ἀρχῆς,

quod principium significat, hoc loco, ad principiúmne naturæ, id est, ad primum ortum pertineat, an ad initium imperij & magistratus. Mihi quidem omnia diligenter circunspicienti, videtur ad initium magistratus pertinere, vt hunc locum explicare liceat hoc modo: Vt initio ij qui nondum gesserunt magistratum, æquum esse iudicabant, eos qui functi erant, abire magistratu, vt ipsi vicißim rem gererent & imperarent: sic cùm ad finem præscriptum à legibus peruenerunt, æquum existimare debent, sibi abeundum esse magistratu. Id enim mihi indicare videtur ratio quam affert huius, ὁμοίως τοῖς ἐξ ἀρχῆς. οἱ μὲν γὰρ ἄρχουσιν, οἱ δ' ἄρχονται, ὥσπερ ἂν ἄλλοι γενόμενοι. Quod quò facilius intelligamus, constituamus nobis duos homines, quorum vterque alteri Reip. gubernacula vicißim concedat. Non est dubium, quin is qui ad finem temporis quod præscriptum est legibus, peruenerit, ad eum statum redeat, in quo erat antequam magistratū adipisceretur, et alter mutet etiam statum, cum magistratum illius concessu init. Quòd si is qui in fine est imperij, imperium prorogare vellet, ei dici posset id quod ait Aristoteles: Tua & huius par causa est, par etiam conditio esse debet. Concede illi vicißim gubernacula, eodem modo quo tu eum tibi hanc laudem, cùm priuatus esses, voluisti concedere. Nam quemadmodum initio magistratus ille gerebat magistratum, tu priuatus eras: cùm verò ille magistratu abiit, tu eum adeptus es, tanquam alius factus vterque: sic nunc cum ad finem imperij venisti, eodem modo alius tu, alius ille fieri debet. Hæc ergo mihi videtur horum verborum sententia, ὁμοίως τοῖς ἐξ ἀρχῆς.

IN II. CAP.

NEque verò esse hoc summum bonum, ciuitatem vnam esse quàm maximè, illud videtur docere ratione: Si omnes simul dicant, meum & non meum, quod putat Socrates argumento esse, perfectè vnam esse ciuitatem. ἀλλὰ μὴν οὐδ' ὁ δοκεῖ ἄριστόν εἶναι, τὸ μίαν ὅτι μάλιστ' εἶναι τὴν κοινωνίαν, οὐδὲ τοῦτο ἀποδείκνυσθαι φαίνεται κατὰ τὸν λόγον, ἐὰν πάντες ἅμα λέγωσι, τὸ ἐμὸν καὶ τὸ μὴ ἐμόν. τοῦτο γὰρ οἴεται ὁ Σωκράτης σημεῖον εἶναι, τοῦ τὴν πόλιν τελέως εἶναι μίαν.) ἀλλὰ μὴν οὐδέ, neque verò Cicero sæpe dicit, quoties ad alia transit. Interdum ἀλλὰ μὴν quinetiam valet, interdum atqui. Quædam ex 4. de Repub. Platonis lib. paulò suprà protuli, quæ ad hunc locum de vna ciuitate pertinent. nunc ex quinto alia afferam. Verba, quibus Aristoteles Socratem confirmat docere, argumento esse ita optimam Rempub. esse, si omnes dicant meum et non meum, sunt apud Platonem in 5. de Repub. lib. ἆρ' οὖν ἐκ τοῦδε τὸ τοιόνδε γίγνεται, ὅταν μὴ ἅμα φθέγγωνται ἐν τῇ πόλει τὰ τοιάδε ῥήματα, τό, τε ἐμὸν καὶ τὸ οὐκ ἐμόν, καὶ περὶ τοῦ ἀλλοτρίου κατὰ ταὐτά. τοῦτο λέγωσι τὸ ἐμόν, καὶ τὸ οὐκ ἐμόν, αὕτη ἄριστα διοικεῖται. Hic locus deprauatus est. Quod hinc sciri potest, quia Aristoteles legit ἐὰν πάντες ἅμα λέγωσι, et apud Platonem in hoc loco est, μὴ ἅμα φθέγγωνται. & deinde, τοῦτο λέγωσι: et in extremo, αὕτη ἄριστα διοικεῖται, quod contrà per negationem legendū esset potius, αὕτη μὴ ἄριστα διοικεῖται. Legendum ergo est post verbum κατὰ ταὐτά, ὅταν ἅμα λέγωσι τὸ ἐμόν, &c. Nam quoniam ὅταν antecesit, etiam sequi in altero membro debet. In priore autem membro Socrates dicit, ἐκ τούτου τὸ τοιόνδε γίγνεται, &c. id est, hoc malum ex illo tum denique nascitur, cum non vniuersi ciues hæc verba loquuntur in rebus ciuitatis, Meum & non meum, & in rebus priuatis & alienis eodem modo. Cum autem dicunt omnes, Meum et non meum, tum ciuitas optimè gubernatur. Malum autē quod ex altero nasci dixit, est nimia tristitia, quam quidam: et nimia lætitia, quam alij capiunt ex rebus ciuitatis. Sed quoniam solum attuli ea quæ ad verba Meum & non meum pertinent, ea etiam proferenda puto, quibus docet in eo esse summum bonum, si maximè coniuncta et vna sit ciuitas. Ea sunt eodem libro paulo suprà, ἔχομεν οὖν τι μεῖζον κακὸν πόλει, ἢ ἐκεῖνο ὃ ἂν αὐτὴν διασπᾷ καὶ ποιῇ πολλὰς ἀντὶ μιᾶς; ἢ μεῖζον ἀγαθὸν τοῦ ὃ ἂν ξυνδῇ τε καὶ ποιῇ μίαν. id est, An possumus commemorare maius malum Reipub. quam quod eam dissipat, eamque ex vna multas facit: aut maius bonum, quàm quod eam deuincit, atque in vnum compellit? Alia sequuntur vsque ad superiorem locum, quo hoc conclusit: Optime administrari eam ciuitatem, in qua meum et non meum diceretur. Argumentum autem hoc modo tractat: Non est vllum maius bonum ciuitati, quàm quod eam colligat & coniungit. Verba autem hæc, Meum & non meum, si omnes ciues dicant, maximè coniungent ciuitatem, & vnam facient: Meum ergo, et

non meum si omnes dicant, bonum erit ciuitati, quo nullum maius esse vllo modo potest. Illud autem est summum bonum. Assumptionem, seu minorem propositionem illam, Meum & nō meum si omnes dicant, maximè coniungent ciuitatem, Aristoteles reprehendit, eamq́; negat veram esse, quòd cum ex duabus enunciationibus constet, Si coniūctione adiuncta, ex priore illa, Omnes meum & non meum dicunt: non hæc efficiatur, Coniuncta est & maximè vna ciuitas. Ac primùm docet in verbo, omnes, captionem esse, Deinde incommoda profert quæ sequentur, si omnes dicant meum & non meum. Incommoda sunt, confusio, & perturbatio rerum & officiorum, immoderata liberorum & incerta procreatio, iniuriæ, libidines, verbera, aliaq́; mala infinita, quæ parentes à liberis perferent.

Præterea alium sodalem, alium curialem. πρὸς δὲ τούτοις ἕτερον φράτορα καὶ φυλέτην.) φρατρίαν *esse sodalitatem, Budæus ante nos docuit: quomodo etiam* συσσίτια *mihi rectè interpretari videtur. Cicero quidem sodalium & sodalitatum in lib. de Senectute meminit: quæ verba vt ad* τὰ συσσίτια *&* συσσίτους *translata ab eo putem, facit epularum mentio. Verba eius proferam: Primùm habui semper sodales, sodalitates autem me Quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis magnæ matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modicè, sed tamē erat quidam feruor ætatis, qua progrediēte omnia in dies fiunt mitiora. Neque enim ipsorum conuiuiorum delectationem voluptatibus corporis magis, quàm cœtu amicorum & sermonibus metiebar. Itaque in septimo libro, cap. 10. quo de* συσσιτίων *origine Aristoteles disserit, quod ait* θεῖναι τὰ συσσίτια, *verti, vt Cicero, constituere sodalitates.* συσσιτεῖν *etiam epulari cum sodalibus, Cicero in loco quem modò protuli, dicere videtur. Comessationis verbo ille quidem vtitur, sed in vitio.* φρατρία *autem sodalitas etiam dicitur. Interdum pars est quædam populi, &* λόχος, *&* δῆμος, *&* φυλὴ, *&* τριττὺς *&* ἔθνος: *de quibus quoniam copiose & fuse disseram in lib. de Magistratibus, hoc nunc tantum dicam,* φυλὴν *&* τριττὺν *sententia Dionysij Halicarnassei & Plutarchi, respondere verbo tribus,* φρατρίαν *autem &* λόχον *verbo curiæ. Quos ego secutus, in his libris hæc duo verba vno nostro Curiæ interpretor. Hinc* φράτωρ *curialis, &* φρατρίαρχος *curio.* φυλέτης *autem tribulis dicitur: sed quoniam non satis aptum verbum mihi visum est; curialem malui dicere: cum præsertim eo in hac re Ciceronem vsum esse cernerem. In secundo de Officiis libro: Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse.*

Atqui ne vitari quidem potest, quin nonnulli suos fratres, liberos, patres & matres esse putent, &c. οὐ μὴν ἀλλ᾽ οὐδὲ διαφυγεῖν δυνατὸν, τὸ μή τινας ὑπολαμβάνειν ἑαυτῶν ἀδελφούς τε καὶ παῖδας καὶ πατέρας καὶ μητέρας, *&c.) Refellit hoc loco Aristoteles Platonis legem de transferendis ad ouile infantibus, simul ac erunt in lucem editi: quos ille vult ita dispergi & permisceri, vt venientes matres suos non possint internoscere. Pauca quæ ad hunc locum pertinent, proferam. Scribit in 5. de Repub. his verbis, loquens de magistratuum custodúmve vxoribus, quibus onus spargendi imponit,* τάς τε μητέρας ἐπὶ τὸν σηκὸν ἄξουσιν, ὅταν σπαργῶσι, πᾶσαν μηχανὴν μηχανώμενοι ὅπως μηδεμία τὸ αὐτῆς αἰσθήσεται.

Atque etiam illud absurdum est, eum qui communes liberos posuerit, concubitum solum adimere amantibus, amorem non adimere: neque vsus alios quos esse patri cum liberis, & fratri cum fratre, quoniam etiam solus amor obscœnus est, est indecorum maximé. ἄτοπον δὲ καὶ τὸ κοινοὺς ποιήσαντα τοὺς υἱοὺς, τὸ συνεῖναι μόνον ἀφελεῖν τῶν ἐρώντων, τὸ δ᾽ ἐρᾷν μὴ κωλῦσαι, μήτε τὰς χρήσεις τὰς ἄλλας, ἃς πατρὶ πρὸς υἱὸν εἶναι, πάντων ἐστὶν ἀπρεπέστατον, καὶ ἀδελφῷ πρὸς ἀδελφὸν, ἐπεὶ καὶ τὸ ἐρᾷν μόνον.) *Quod ait hoc loco Aristoteles, obscurè dicit in quinto libro de Repub. Socrates, nec loquitur nisi de viris & mulieribus, qui iam procreare non possunt.* ὅταν δὲ δὴ, οἶμαι, αἵ τε γυναῖκες καὶ οἱ ἄνδρες τοῦ γεννᾷν ἐκβῶσι τὴν ἡλικίαν, ἀφήσομέν που ἐλευθέρους αὐτοὺς συγγίνεσθαι, ἐὰν ἐθέλωσι, πλὴν θυγατρὶ καὶ μητρὶ, καὶ ταῖς τῶν θυγατέρων παισὶ, καὶ ταῖς ἄνω μητρὸς, καὶ τὰς γυναῖκας αὖ, πλὴν υἱεῖ, καὶ πατρὶ, καὶ τοῖς τούτων εἰς τὸ κάτω καὶ ἐπὶ τὰ ἄνω. *id est, Cum vero ætatem procreandi excesserint viri & mulieres, tum liberis hominibus concedemus, si velint, concubitum, præterquam cum filia & matre, filiarúmque liberis, & matris maioribus: iisémque mulieribus concubitum permittemus, nisi cum filiis & patre, horúmque maioribus & nepotibus. Atque ex his facilè intelligi licet, concubitum solum negatum esse, non amorem, neque alios vsus. verbo autem Vsus, impudicas contrectationes intelligen-*

das puto, nisi fortè his verbis legem illam Socratis quæ est apud Platonem eodem libro, reprehēdit. Loquens enim de viris & mulieribus, scribit his ferè verbis: οἱ δ᾽ ἅτε οἰκίας τε καὶ συσσίτια κοινῇ ἔχοντες, ἰδίᾳ δὲ οὐδενὸς οὐδὲν τοιοῦτο κεκτημένου, ὁμοῦ δὴ ἔσονται, ὁμοῦ δὲ ἀναμεμιγμένων, καὶ ἐν γυμνασίοις, καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ τροφῇ, ὑπ᾽ ἀνάγκης οἶμαι τῆς ἐμφύτου ἄξονται πρὸς τὴν ἀλλήλων μῖξιν. *Ii autem cum ædes communes habeant, communémque victum in sodalitatibus, priuatim verò nihil taie, vnà erunt, vnáque commiscebuntur & in gymnasiis & in alia viuendi ratione. Ita naturali quadam necessitate fiet, vt inter se commisceantur. His enim verbis dat Plato magnam obscœnitatis parētibus ac liberis in gymnasiis licentiam. Quanquam paulò infrà magistratibus præcipiat, vt videant, ne quid indecorè ab illis geratur.*

Ac ciuitatem ex eo quòd vna sit, maximis laudibus ornat Socrates, quod & videtur, & ille ait esse amicitiæ munus: quemadmodum Aristophanem scimus in libris quos de Amore scripsit dicere, Amantes propter ardorem amoris coniungi, & ex duobus vnum effici. καὶ τὸ μίαν εἶναι τὴν πόλιν, ἐπαινεῖ μάλιστ᾽ ὁ σωκράτης, ὃ καὶ δοκεῖ, κἀκεῖνός φησιν εἶναι τῆς φιλίας ἔργον καθάπερ ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς λόγοις ἴσμεν λέγοντα τὸν ἀριστοφάνην, ὡς τῶν ἐρώντων διὰ τὸ σφόδρα φιλεῖν ἐπιθυμούντων συμφῦναι, καὶ γενέσθαι ἐκ δύο ὄντων ἀμφοτέρους ἕνα. *In verbo scripsit, intelligendum nomen personæ Plato. itaque melius exprimetur. Nam hæc quæ commemorat de Aristophane Aristoteles, scripta sunt in Symposio aut conuiuio Platonis. Longa illic oratione Aristophanes fabulam narrat de hominum figura, natura, & primo secundóque ortu, & diuisione: quæ qui legere volet, locum indicaui. quanquam lubricus est adolescentibus locus. Ego vno verborum ambitu contentus ero, eo qui ad hunc locum pertinet.* ἔστι δὴ οὖν ἐκ τόσου ὁ ἔρως ἔμφυτος ἀλλήλων τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τῆς ἀρχαίας φύσεως συναγωγεύς, καὶ ἐπιχειρῶν ποιῆσαι ἓν ἐκ δυοῖν. *id est, Amor igitur ex tam longo tempore, naturali quadam coniunctione homines inter se cōiungit, estq́; veteris naturæ fabricator: quippe qui vnum ex duobus facere conetur. Hoc autem, vnum fieri è pluribus, Cicero dicit in primo de Officiis lib. idq́; Pythagoræ tribuit: Nihil autem amabilius, nec copulatius, quàm morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eædem voluntates, in iis fit vt æquè quisque altero delectetur ac seipso: efficitúrque id quod Pythagoras vult in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus.*

Atque etiam ex illa ratione de transferendis liberis qui nati erunt, vt alij ab agricolis & opificibus ad custodes, alij ab his ad illos transferantur, magna sequitur confusio & perturbatio, quo tandem pacto licebit, aut necesse erit, eos qui dederint, aut transtulerint, quos quibus dederint internoscere, ἀλλὰ μὴν καὶ περὶ τὸ μεταφέρειν τὰ γιγνόμενα τέκνα, τὰ μὲν ἐκ τῶν γεωργῶν καὶ τεχνιτῶν εἰς τοὺς φύλακας, τὰ δ᾽ ἐκ τούτων εἰς ἐκείνους, πολλὴν ἔχει ταραχήν, τίνα ἔσται τρόπον, καὶ γνώσκειν ἀναγκαῖον τοὺς διδόντας καὶ μεταφέροντας, τίνας τίσι διδόασι. *Lex de transferendis liberis scripta est in extremo 3. de Repub. lib.* καὶ ἐάν τι σφέτερος ἔκγονος ὑπόχαλκος ἢ ὑποσίδηρος γένηται, μηδενὶ τρόπῳ κατελεήσουσιν, ἀλλὰ τὴν τῇ φύσει προσήκουσαν τιμὴν ἀποδόντες, ὤσουσιν εἰς δημιουργούς, ἢ εἰς γεωργούς. καὶ ἂν αὖ ἐκ τούτων τις ὑπόχρυσος, ἢ ὑπάργυρος φυῇ, τιμήσαντες ἀνάξουσι τοὺς μὲν εἰς φυλακήν, τοὺς δὲ εἰς ἐπικουρίαν. *id est, Quod si eorum liberi subærei aut subferruginei extiterint, nulla misericordia eos capiet, sed habito honore qui cuiusque naturæ erit accommodatus, eos ad opifices vel agricolas transferent: & si quis eorum rursus auri argentíve naturam, colorémve aliqua ex parte imitabitur, honore tributo, illum ad custodes, hunc ad opifices transferent.*

IN III. CAP.

Virtute autem fiet, vt vsu, quemadmodum est in prouerbio, amicorum omnia sint communia. δι᾽ ἀρετὴν δ᾽ ἔσται πρὸς τὸ χρῆσθαι κατὰ τὴν παροιμίαν, κοινὰ τὰ φίλων. *Hoc prouerbium Aristot. ad possessiones & bona solùm vult pertinere, vt priuata sint omnino bona, vsu autem fiant communia. Plato autem initio quarti lib. de Repub. vult latissimè patere, ad mulieres, nuptias, liberorúmque procreationem.* ἐὰν γὰρ εὖ παιδευόμενοι μέτριοι ἄνδρες γίγνωνται, πάντα ταῦτα ῥᾳδίως διόψονται, καὶ ἄλλα γε ὅσα νῦν ἡμᾶς παραλείπομεν, τήν τε τῶν γυναικῶν κτῆσιν, καὶ γάμων, καὶ παιδοποιίας, ὅτι δεῖ ταῦτα κατὰ τὴν παροιμίαν πάντα, ὅτι μάλιστα κοινὰ τὰ τῶν φίλων ποιεῖσθαι. *id est, Si enim bene instituti, commodis sint moribus vi-*

ri, hæc omnia facilè perspicient, aliáque quæ nos modò prætermisimus, mulieres, nuptias, liberorum procreationem, oportere hæc, vt est in prouerbio, omnia amicorum fieri communia.

Vt Lacedæmone, in qua seruis vtuntur vt suis, itémque equis & canibus, & viatico, si in agris regionis egeant. οἷον καὶ ἐν Λακεδαίμονι τοῖς τε δούλοις χρῶνται τοῖς ἀλλήλων, ὡς εἰπεῖν ἰδίοις, ἔτι δ' ἵπποις καὶ κυσί, κἂν δεηθῶσιν ἐφοδίων ἐν τοῖς ἀγροῖς κατὰ τὴν χώραν.) *Verba Græca,* κἂν δεηθῶσιν ἐφοδίων, *reddunt obscurum hunc locum. Esset planior, si ita esset,* καὶ ἐφοδίοις ἐὰν δεηθῶσι. *In libris editis à nobis, & coniunctio prætermissa est. Xenophon in Lacedæmoniorum Repub. de hac Lycurgi lege ita disserit,* ἐποίησε δὲ καὶ οἰκέταις, εἴ τις δεηθείη, χρῆσθαι καὶ τοῖς ἀλλοτρίοις. καὶ κυνῶν δὲ θηρευτικῶν συνῆψε κοινωνίαν. *Paulo infrà,* καὶ ἵπποις δὲ ὡσαύτως χρῶνται. ὁ γὰρ ἀσθενήσας, ἢ δεηθεὶς ὀχήματος, ἢ ταχύ ποι βουληθεὶς ἀφικέσθαι, ἤν που ἴδῃ ἵππον ὄντα, λαβὼν καὶ χρησάμενος, καλῶς ἀποκαθίστησι. *De rebus ad viuendum necessariis, paulo infrà eadem pagina,* τοιγαροῦν οὕτως μεταδιδόντες ἀλλήλοις καὶ οἱ τὰ μικρὰ ἔχοντες, μετέχουσι πάντων ἐν τῇ χώρᾳ ὁπόταν τινὸς δεηθῶσιν. *Hic autem locus Xenophontis vel planissimum facit, quod obscurum est apud Aristotelem. itaque* κἂν δεηθῶσιν ἐφοδίων ἐν τοῖς ἀγροῖς, *malim coniuncta legi: vt si ita esset,* ἐφοδίων τῶν ἐν τοῖς ἀγροῖς, *id est, & viatico, id est rebus ad viuendum necessariis, quas ager feret, si desint. Xenophon enim dicit,* μετέχουσι πάντων ἐν τῇ χώρᾳ. *nisi fortè hæc duo verba,* ἐν τῇ χώρᾳ, *ad verbum* μετέχουσι, *non ad patrium casum* πάντων *pertinent.*

Præclara igitur & humana hæc legum condendarum ratio videri potest. & de qua qui audit, eam libenter approbat, existimans ita admirabilem quandam omnibus inter omnes amicitiam futuram: præsertim si quis de incommodis & malis quæ nunc in Rebuspublicis extãt, queratur, quasi ex eo quòd facultates communes non sint, oriantur. actiones dico, quæ inter ciues sunt contrahendarum rerum, &c. εὐπρόσωπος μὲν οὖν ἡ τοιαύτη νομοθεσία, καὶ φιλάνθρωπος ἂν εἶναι δόξειεν. ὁ γὰρ ἀκροώμενος, ἄσμενος ἀποδέχεται, νομίζων ἔσεσθαι φιλίαν τινὰ θαυμαστὴν πᾶσι πρὸς ἅπαντας, ἄλλως τε καὶ ὅταν κατηγορῇ τις τῶν νῦν ὑπαρχόντων ἐν ταῖς πολιτείαις κακῶν, ὡς γινομένων διὰ τὸ μὴ κοινὴν εἶναι τὴν οὐσίαν. λέγω δὲ δίκας τε πρὸς ἀλλήλους περὶ συμβολαίων, *&c. Loquitur de legibus Platonis, quas de bonorum communitate in quinto de Republica sanxit. In hoc loco penè verba Platonis expreßit:* τί δέ; δίκαι τε καὶ ἐγκλήματα πρὸς ἀλλήλους οὐκ οἰχήσεται ἐξ αὐτῶν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, διὰ τὸ μηδὲν ἴδιον ἐκτῆσθαι πλὴν τὸ σῶμα, τὰ δὲ ἄλλα κοινά; ὅθεν δὴ ὑπάρχει τούτοις ἀστασιάστοις εἶναι, ὅσα γε διὰ χρημάτων, ἢ παίδων, ἢ συγγενῶν κτῆσιν ἄνθρωποι στασιάζουσι, *&c. id est, Quid? iudicia & criminationes hominum inter ipsos, nónne eis adimentur, quòd nemo quicquam priuatum, præter corpus, nactus sit: cætera autem sint communia? Quamobrem nullæ inter eos discordiæ, nullæ seditiones nascentur, quæ de pecuniarum aut liberorum, aut cognatorum possessionibus, & copiis inter homines solent existere. Refellit ergo hũc Platonis locum Aristoteles, docétque non sæpius eos quorum res priuatæ sunt, quàm quorum communes, inter se de his rebus decertare & contendere solere.*

Vt si quis concentum faciat vnum eundémque sonum, vel versum ad pedem vnum redigat. ὥσπερ κἂν εἴ τις τὴν συμφωνίαν ποιήσειεν ὁμοφωνίαν, ἢ τὸν ῥυθμὸν βάσιν μίαν.) *Plato in tertio de Republica,* ῥυθμὸν *constare* βάσεσι *dicit. Mihiq; videtur* ῥυθμὸν *vocare versum, &* βάσιν *pedem.* ἀλλὰ ταῦτα μὲν, ἦν δ' ἐγώ, καὶ μετὰ Δάμωνος βουλευσόμεθα, τίνες τε ἀνελευθερίας καὶ ὕβρεως, ἢ μανίας καὶ ἄλλης κακίας πρέπουσαι βάσεις, καὶ τίνας τοῖς ἐναντίοις λειπτέον ῥυθμούς. οἶμαι δέ γε ἀκηκοέναι οὐ σαφῶς, ἐνόπλιόν τε τινὰ ὀνομάζοντος αὐτοῦ ξύνθετον καὶ δάκτυλον καὶ ἡρῷόν γε. οὐκ οἶδα ὅπως διακοσμοῦντος. καὶ ἴσον ἄνω καὶ κάτω τιθέντος εἰς βραχύ τε καὶ μακρὸν γιγνόμενον, καὶ ὡς ἐγῷμαι ἴαμβον, καὶ τιν' ἄλλον τροχαῖον ὠνόμαζε. μήκη δὲ καὶ βραχύτητας προσῆπτε. καὶ τούτων τισὶν, οἶμαι, τὰς ἀγωγὰς τοῦ ποδὸς αὐτὸν οὐχ ἧττον ψέγειν τε καὶ ἐπαινεῖν, ἢ τοὺς ῥυθμοὺς αὐτοὺς ἤτοι ξυναμφότερόν τι. *id est: Sed de his, inquam, cum Damone videbimus, qui illiberalitati, & contumeliæ, aut insaniæ, aliísque vitiis pedes apti sint: quosque numeros contrariis accommodatos sumere debeamus. Audiuisse quidem videor non planè, cum bellicosum quendam ipse nominaret compositum, & dactylum & heroum: qui nescio quomodo ornabant, cùm eum parem & suprà & infrà poneret, breui longaq; constantem: atque hunc, vt opinor, iambum: alterum quendam trochæum vocabat. Huic alteri productionem breuitatemq; attexuit, in eorumq; nonnullis ductus pedis eũ non minus quàm numeros ipsos, aut aliquid quod ex vtroque confusum & temperatum sit, vituperare ac laudare arbitror. Eadem pagina mul-*

ta de harmoniis disserit. Ex his autem facilè intelligi potest, notatis nonnullis pedibus, quos βάσεις vocet, βάσεις pedes dici: quòd, vt arbitror, his incedant, vt pedibus, animantia.

Criminationes verò & iudicia, cæteráque mala, quæ in aliis ciuitatibus inesse ait, apud hos existent omnia. ἐγκλήματα δὲ καὶ δίκαι, καὶ ὅσα ἄλλα ταῖς πόλεσιν ὑπάρχειν φησὶ κακὰ, πάνθ' ὑπάρξει καὶ τούτοις.) Hæc ait Socrates apud Platonem in quinto de Repub. libro, eaq; ego verba initio huius tertij capitis protuli. δίκαι autem iudicia hic dico, illic actiones.

Iam verò possessiones omnes potestati custodum permittit, certa collata pensione. ἔτι δὲ κυρίους ποιεῖ τῶν κτημάτων τοὺς γεωργοὺς ἀποφορὰν φέροντας.) In Græcis omnibus, quos quidem legere potuerim, est τοὺς γεωργούς. Ego autem φύλακας legendum arbitror. Plato enim custodibus ciuium bona committenda censet. In quinto autem de Republica, quæ prius sanxit, repetit his verbis: μέμνησαι οὖν, ἦν δ' ἐγὼ, ὅτι ἐν τοῖς πρόσθεν οὐκ οἶδα ὅτου λόγος ἡμῖν ἐπέπληξεν. ὅτι τοὺς φύλακας, οὐκ εὐδαίμονας ποιοῖμεν, οἷς ἐξὸν πάντα ἔχειν τὰ τῶν πολιτῶν, οὐδὲν ἔχοιεν. id est, Non tenes inquam, nobis superioribus sermonibus nescio cuius oratione obiectum esse, custodes à nobis non effici beatos, quorum potestati cùm ciuium bona omnia tradita essent, ipsi nihil haberent? Hoc dicit in extremo tertio, in quo etiam de mercede his verbis disserit, ταξαμένους παρὰ τῶν ἄλλων πολιτῶν δέχεσθαι μισθὸν τῆς φυλακῆς τοσοῦτον, ὅσον μήτε περιεῖναι αὐτοῖς εἰς τὸν ἐνιαυτὸν, μήτε ἐνδεῖν. id est, Quibus à cæteris ciuibus merces custodiæ accipienda constituetur tanta, quanta nec annuis sumptibus supersit, nec desit. Non solùm ergo mercedem custodibus cõstitutam esse intelligimus, sed quanta sit constituta. Quod igitur dixi, certa collata pensione, hoc ad ciues referendum est, qui, vt ait Plato, certam eis mercedem & quasi stipendium constituunt. γεωργοὺς autem verbi pro φύλακας ob eam causam positū esse puto, quòd deinceps seruorum mẽtionem facit Aristoteles, & penestiarum, & hilotum, his verbis, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον εἰκὸς εἶναι χαλεποὺς, καὶ φρονημάτων πλήρεις, ἢ τὰς παρ' ἐνίοις εἰλωτείας καὶ πενεστείας καὶ δουλείας. id est, Atqui multò verisimilius est, eos fore difficiles, sublaturósque animos, quàm apud nonnullos hilotiæ, quàm penestiæ ac seruitia solent. Sed Aristoteles mihi hoc videtur dixisse, vt Platonem refelleret, qui extremo tertio de Repub. libr. ait, δεῖν καὶ τὰς οἰκήσεις καὶ τὴν ἄλλην οὐσίαν τοιαύτην αὐτοῖς παρασκευάσθαι, ἥτις μήτε τοὺς φύλακας ὡς ἀρίστους εἶναι παύσει αὐτοὺς, μήτε κακουργεῖν ἐπαρεῖ περὶ τοὺς ἄλλους πολίτας. id est, Oportere eis ædes aliásque opes paratas esse, quæ nec quàm optimi custodes esse desinant, nec ad aliorum ciuium iniurias impellantur. Hilotes autem sunt serui Lacedæmoniorum, quòd, vt arbitror, capti sint: Penestiæ serui Thessalorum, à paupertate dicti, & seruitia Heracleotarum, vt Plato ait in sexto de Legibus. Cum enim omnia in seruis molesta esse Atheniensis hospes dixisset, altérque quónam pacto ita esset, interrogaret, ille his verbis vsus est ad id demonstrandum, σχεδὸν γὰρ πάντων τῶν Ἑλλήνων ἡ Λακεδαιμονίων εἱλωτεία πλείστην ἀπορίαν παράσχοιτ' ἂν καὶ ἔριν, τοῖς μὲν ὡς εὖ, τοῖς δ' ὡς οὐκ εὖ γεγονυῖά ἐστιν. ἐλάττω δὲ ἥ τε Ἡρακλεωτῶν δουλεία τῆς τῶν Μαριανδυνῶν καταδουλώσεως ἔριν ἂν ἔχοι, τὸ Θετταλῶν τ' αὖ πενεστικὸν γένος. id est. Ferè enim ex omnibus Græcis Lacedæmoniorum hilotia maximam dubitationem affert, & concertationem: quippe quam alij probent, alij improbent. Minorem autem afferunt Heracleotarum seruitia, quàm Mariãdenorum seruitus, itémque genus penesticum Thessalorum. Multa de Græcorum seruis tradit in sexto libro Athenæus, quo ait primùm Menestas à Thessalis vocatos seruos, deinde Penestas.

Cùm nec inuentu facile sit, nec paulùm intersit ad tuendam custodum communionem, quibus moribus aliqui sint prædití. ἔστι δ' οὔθ' εὑρεῖν ῥᾴδιον, οὔτε τὸ διαφέρον μικρὸν, τὸ ποίους τινὰς εἶναι τούτους πρὸς τὸ σώζεσθαι τὴν τῶν φυλάκων κοινωνίαν.) Illud τὸ ποίους τινὰς, refero ad mores: vt solet Aristoteles vocare homines ποίους τινὰς, qui benè animo affecti sunt. Licet etiam ad leges transferri, vt sit sensus, non parui referre ad seruandam custodum societatem, quæ leges eis dentur.

Ei autem faciendos esse perpetuos magistratus, necessariò hinc perspici licet, quòd non aliàs aliis animis diuinum aurum miscetur, sed semper eidem: cùm ipse confirmet, in aliis simul atque orti sint, aurum, in aliis argentum misceri, æs autem & ferrum in iis qui opifices & aratores sint futuri. ἔτι δ' ἀναγκαῖον αὐτῷ ποιεῖν τοὺς αὐτοὺς ἄρχοντας φανερόν. οὐ γάρ ὅτε μὲν ἄλλοις μέμικται ταῖς ψυχαῖς ὁ παρὰ τοῦ θεοῦ χρυσὸς, ἀλλ' ἀεὶ τοῖς αὐτοῖς. φησὶ δὲ, τοῖς μὲν εὐθὺς γινομένοις μῖξαι χρυσὸν, τοῖς δ' ἄργυρον, χαλκὸν δὲ καὶ σίδηρον τοῖς τεχνίταις μέλλουσιν ἔσεσθαι καὶ

γεωργοῖς.) Hoc ait Plato in extremo tertio de Repub. libro. ἀλλ᾽ ὁ θεὸς πλάττων, ὅσοι μὲν ὑμῶν ἱκανοὶ ἄρχειν, χρυσὸν ἐν τῇ γενέσει συνέμιξεν αὐτοῖς, διὸ τιμιώτατοί εἰσιν. ὅσοι δ᾽ ἐπίκουροι, ἄργυρον. σίδηρον δὲ καὶ χαλκὸν τοῖς τε γεωργοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις δημιουργοῖς. id est, Sed Deus homines fingens, in iis qui digni sunt principatu, in ortu aurum miscuit: itaque hi sunt præstantissimi. iis autem qui auxilium eis ferent, argentum: ferrum verò & æs in agricolis, cæterísque opificibus.

Absurdum etiam est, beluarum similitudinibus docere, eadem mulieres, quæ viros studia decere, ad quas rei familiaris cura nihil pertinet. ἄτοπον δὲ καὶ τὸ ἐκ τῶν θηρίων ποιεῖσθαι τὴν παραβολήν, ὅτι δεῖ τὰ αὐτὰ ἐπιτηδεύειν τὰς γυναῖκας τοῖς ἀνδράσι, οἷς οἰκονομίας οὐδὲν μέτεστι.) Verbum οἷς beluas, nō viros refert. vt ita dixisse videatur: Cùm præsertim mulieres & viros rei familiaris cura attingat, beluas nō attingat. Tollit enim hoc modo similitudinem. Similitudo beluarum, quam Plato consectatur, est apud eum in quinto de Repub. libro explicata his verbis: τὰς θηλείας τῶν φυλάκων κυνῶν πότερα ξυμφυλάττειν οἰόμεθα δεῖν, ἅπερ οἱ ἄρρενες φυλάττουσιν, καὶ ξυνθηρεύειν, καὶ τἆλλα κοινῇ πράττειν; ἢ τὰς μὲν οἰκουρεῖν ἔνδον ὡς ἀδυνάτους, διὰ τὸν τῶν σκυλάκων τόκον τε τροφήν, τοὺς δὲ πονεῖν τε καὶ πᾶσαν ἐπιμέλειαν ἔχειν περὶ τὰ ποίμνια; κοινῇ, ἔφη, πάντα. πλὴν ὡς ἀσθενεστέραις χρώμεθα, τοῖς δὲ ὡς ἰσχυροτέροις. οἷόν τ᾽ οὖν; ἔφην ἐγώ, ἐπὶ τὰ αὐτὰ χρῆσθαί τινι ζώῳ, ἂν μὴ τὴν αὐτὴν τροφήν τε καὶ παιδείαν ἀποδιδῷς; οὐχ οἷόν τε. εἰ ἄρα ταῖς γυναιξὶν ἐπὶ ταὐτὰ χρησόμεθα καὶ τοῖς ἀνδράσι, ταὐτὰ καὶ διδακτέον αὐτάς. id est, Fœminas canum custodum vtrum vnà custodire putamus oportere ea quæ mares custodiunt, & venari: an illas continere domi, quod per partum & educationem non poßint: hos verò perferre laborem, eísque solis gregem curæ esse? Communiter, inquit, omnia, nisi quòd illis vt imbecillioribus, his pro firmioribus vtimur. Num fieri, inquam, potest, vt aliquo animante ad easdem res vtare, nisi ei eandem educationem tribuas atque disciplinam? Non potest. Si ergo mulieribus ad easdem res, ad quas viris, vtamur, certè eædem artes eis tradendæ sunt. Ex quibus perspici licet, quod dixi, in Aristotelis oratione verbū οἷς non esse relatiuum, vt vocant, verbi ἀνδράσι, sed θηρίων. Tollit enim similitudinem à Socrate allatam, de fœminis canum qui gregem custodiunt. Socrates enim concludit, mulieres non debere domi se continere, sed exemplo fœminarum canum gregem custodire, id est, Rempublicam capessere, & arma ferre. At Aristoteles nō eandem fœminarum canum & mulierum esse rationem, propterea quòd beluarum fœminas non attingit cura rei familiaris, ob eámque causam & custodire gregem eas & venari nihil prohibet, mulieres autem attingit.

IN IIII. CAP.

MVlieres autem & bellum gerere vult, & iisdem artibus, quibus custodes erudiri. ἀλλὰ τὰς μὲν γυναῖκας οἴεται δεῖν συμπολεμεῖν, καὶ παιδείας μετέχειν τῆς αὐτῆς τοῖς φύλαξι.) Hæc ait Socrates in quinto de Republica libro. Eum velle eisdem mulieres artibus quibus viros, erudiri, locus quem paulò suprà protuli indicat, quem locum duabus paginis tractatum, cui legere studio erit, inueniet. Bellum autem eas gerere oportere, cōcludit his verbis, ἀποδυτέον δὴ ταῖς τῶν φυλάκων γυναιξίν, ἐπείπερ ἀρετὴν ἀντὶ ἱματίων ἀμφιέσονται, καὶ κοινωνητέον πολέμου τε, καὶ τῆς ἄλλης φυλακῆς τῆς περὶ τὴν πόλιν. id est: Danda est ergo custodum mulieribus, quandoquidem virtute pro vestibus amicientur, communicandaq; belli gerendi potestas, aliarúmque stationum quæ in vrbe faciendæ sunt.

Nam & disciplinam eandem concedit, & iis qui necessariis muneribus fungi non possunt, victum: eodémque modo de sodalitatibus statuit, nisi quòd in hac sodalitates mulierum esse ait oportere, & illam mille arma ferentium, hanc quinque millium. καὶ γὰρ παιδείαν τὴν αὐτήν, καὶ τὸ τῶν ἔργων τῶν ἀναγκαίων ἀπεχομένους ζῆν, καὶ περὶ συσσιτίων ὡσαύτως, πλὴν ἐν ταύτῃ φησὶ δεῖν εἶναι συσσίτια καὶ γυναικῶν, καὶ τὴν μὲν χιλίων τῶν ὅπλα κεκτημένων, ταύτην δὲ πεντακισχιλίων.) In septimo de Legibus libro sodalitates alias virorum, alias eorum propinquorum, alias mulierum & puerorum Plato vult esse. verba eius pauca subieci, συσσίτια δὲ κατεσκευασμένα ἤη, χωρὶς μὲν τὰ τῶν ἀνδρῶν, ἐγγὺς δὲ ἐχόμενα τὰ τῶν αὐτοῖς οἰκείων. παίδων τε ἅμα καὶ θηλειῶν καὶ τῶν μητέρων αὐταῖς. id est, Sodalitates autem constitutæ sint, seorsum virorū, & in pro-

ximo illæ propinquorum eorum, itemq́; puerorum, mulierum atque matrū earum. In quinto autem de Rep. virorum & mulierum vult esse cõmunes. οἱ δὲ ἅπτε οἰκίας τε καὶ συσσίτια κοινῇ ἔχοντες, ἰδίᾳ δὲ οὐδενὸς οὐδὲν τοιοῦτο κεκτημένου, ὁμοῦ δὴ ἔσονται, ὁμοῦ δὲ ἀναμεμιγμένων καὶ ἐν γυμνασίοις καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ τροφῇ, ὑπ' ἀνάγκης οἶμαι τῆς ἐμφύτου ἄξονται πρὸς τὴν ἀλλήλων μίξιν. *id est: Hi verò qui domos sodalitatésque communes habeant, nec quisquam priuatum quid tale, vnà quidem erunt, qui si in gymnasiis & in alia vita inter se permisceantur, mea quidem sententia naturali quadam necessitate ducti inter se commiscebuntur. Eandem disciplinam concedit viris ac mulieribus in 7. de Legibus, hac lege,* τὰ αὐτὰ δὲ καὶ περὶ θηλειῶν, ὁ μὲν ἐμὸς νόμος ἂν εἴποι πάντα, ὅσαπερ καὶ περὶ τῶν ἀρρένων, ἴσα καὶ τὰς θηλείας ἀσκεῖν δεῖν. *id est, Mea autem hæc lex etiam ad mulieres pertinet, omnia quæ mares, eadem etiam fœminas excolere & exercere oportere. Hoc etiam vult in 5. de Repub. Locum autem paulò suprà protuli. Priorem etiam Rempub. quam in libris de Repub. constituit, ex mille belligerantibus constare vult, his verbis in quarto de Repub.* καὶ ὡς ἂν ἡ πόλις σοι οἰκῇ σωφρόνως, ὡς ἄρτι ἐτάχθη, μεγίστη ἔσται, οὐ τῷ εὐδοκιμεῖν λέγω, ἀλλ' ὡς ἀληθῶς μεγίστη, καὶ ἐὰν μόνον ᾖ χιλίων τῶν προπολεμούντων. *In codicibus editis est vitiose* προπολεμοῦντος. *idq́; articulus* τῶν *facilè indicat. hunc locum sic interpretor: Atque ita demùm maxima erit ciuitas, si, vt modò statutum est, temperatè à te administretur. non dico, aliorum opinione, sed reuera maxima futura est, & si ex mille solùm constet qui bellū gerāt. In sexto autem de Legibus libro, non solùm Plato alteram illam Remp. ex quingentis vult constare, vt hîc ait Aristoteles, sed quadraginta addit præterea: nisi fortè hæc duo verba* καὶ τετταράκοντα, *apud Aristotelem desiderentur. Vult autem tot esse in Rep. hac altera Plato homines, vt summa eorum ratio cum duodecim partibus, in quas ciuitatem diuidit, cõstare videatur. Verba eius hæc sunt,* ἀρχὴ δὲ ἔστω τῶν μετὰ ταῦτα ὑμῖν νόμων ἥδε τις ἀφ' ἱερῶν ἠργμένη. τὸν ἀριθμὸν γὰρ δὴ δεῖ πρῶτον ἀναλαβεῖν ἡμᾶς, τὸν τῶν πεντακισχιλίων καὶ τετταράκοντα, ὅσας εἶχέ τε καὶ ἔχει τομὰς προσφόρους ὅτε ὅλος ἅμα τε ὁ κατὰ φυλάς, ὃ δὴ τοῦ παντὸς ἔθεμεν δωδεκατημόριον, ἓν καὶ εἴκοσιν καὶ εἰκοσάκις ὀρθότατα φῦσαι. ἔχει δὲ διανομὰς δώδεκα μὲν ὁ πᾶς ἀριθμὸς ἡμῖν, δώδεκα δὲ καὶ ὁ τῆς φυλῆς. *id est, Exordium autem earum legum quæ sequuntur, hinc à sacris ducamus. Repetendus est enim nobis primùm quinque millium & quadraginta numerus, in quas aptas partes et vniuersus & tribuum numerus tributus est, ac tribuitur, partem quidem duodecimam totius numeri vnum & viginti & vicies ducti rectissimè possumus. nobis autem in duodecim partes omnis numerus, in duodecim etiam tribuum numerus diuiditur. Pluribus etiā sententiam suam de hac partitione explicat. Si quis legere velit, locum indicaui. Satis est autem intelligi, eū velle constare ciuitatem ex quinque millibus & quadraginta: quòd cū diuiserit in partes duodecim, quas tribus vocat, is numerus cum numero tribuum cohærebit, si eius duodecimam partem vnum & viginti, vicies ducamus. Nam vicies vnum & viginti, quadringētos ac viginti explent, quæ est duodecima pars quinque millium et quadraginta, cùm præsertim ex eo numero si duodecies ducatur, quinque millia & quadraginta compleantur. Ac Plato quidem hunc numerum posteriori suæ Reip. attribuit. Aristoteles autem cum accusat primùm inconstātiæ, quòd nūc hoc, nunc illud dicat: dein hunc tantum et immoderatum numerum reprehendit, quod ei sit opus agro ad alendū immenso & nimio, nec ei solùm, sed mulierum, liberorū, seruorumq́; infinitæ multitudini. Sed ad alia veniamus. Quod ait Aristoteles, Platonem velle easdem artes mulieres quas viros discere, vt in priore Rep. sic in altera, id quidem suprà de priore ostendimus. de altera idem docendum est. Hoc ille tradit in sexto de Legibus his verbis,* τοῦτ' οὖν ἐπαναλαβεῖν καὶ ἐπανορθώσασθαι, καὶ πάντα συντάξασθαι κοινῇ γυναιξί τε καὶ ἀνδράσιν ἐπιτηδεύματα βέλτιον πρὸς πόλεως εὐδαιμονίαν. *id est, Hoc igitur repetēdum est, & corrigendum, omniaq́; studia communia esse mulierum ac virorum ad beatam vitam Reip. est vtilius. Plato in superiori loco vsus st verbo* ἔθεμεν *quod præteritum tempus declarat. Id in quinto libro statuit, quæ verba reticebo, ne sim longior.*

Quod si quis non hoc vitæ genus probet in ciuitate, neque priuatim, neque publicè, tamē hostibus ciues non solum cùm intra fines veniunt, sed etiā cùm inde excedunt, terrorem afferre debent. εἰ δέ τις μὴ τοιοῦτον ἀποδέχεται βίον, μήτε τὸν ἴδιον, μήτε τὸν κοινὸν τῆς πόλεως, ὅμως οὐδὲν ἧττον δεῖ φοβεροὺς εἶναι τοῖς πολεμίοις μὴ μόνον ἐλθοῦσιν εἰς τὴν χώραν ἀλλὰ καὶ ἀπελθοῦσι.) *His verbis et proxima superiore oratione Aristoteles reprehendit ciuium multitudinem, quam pro-*

bat Plato in ς. de Legibus his verbis, πλῆθος δὲ ὁπόσοι τοὺς προσχώρους ἀδικοῦντάς τε αὐτοὺς ἀμύνασθαι δυνατοὶ, καὶ γείτοσι ἑαυτῶν ἀδικουμένοις βοηθῆσαι μὴ παντάπασι ἀπόρως, δύναιντ' ἄν. id est, Tanta multitudo ciuium esse debet, quæ & hostium in agrum impetum facientium iniurias propulsare, & finitimis cùm violantur, non omninò paruis copiis opem ferre poßit. Hîc enim fit mentio solùm de propulsandis hostium iniuriis, cùm aggrediuntur.

Atque etiam videndum est, ne fortè satius sit multitudinem poßeßionum alio modo, eóq; planiore describere. Tantam enim esse ait oportere, vt temperatè viuatur. quod tantùm valet, vt si quis dicat, vt bene viuatur, &c. καὶ τὸ πλῆθος δὲ τῆς κτήσεως ὁρᾶν δεῖ, μήποτε βέλτιον, ἑτέρως διορίσαι, τῷ σαφῶς μᾶλλον. τοσαύτην γὰρ εἶναί φησι δεῖν, ὥς τε ζῆν σωφρόνως ὥσπερ ἂν εἴ τις εἶπεν, ὥς τε ζῆν εὖ. &c.) Ita modum poßeßionum describit Plato in ς. lib. de Legibus, isque locus adiunctus est superiori: ὄγκος δὴ πλήθους ἱκανὸς οὐκ ἄλλως ὀρθῶς γίγνοιτ' ἂν λεχθεὶς, ἢ πρὸς τὴν γῆν καὶ τὰς τῶν πλησιοχώρων πόλεις. γῆς μὲν, ὁπόση πόσους σώφρονας ὄντας ἱκανὴ τρέφειν, πλείονος δ' οὐδὲν προσδεῖ. id est, Multitudinis autem modus non aliter rectè statuetur, quàm si ad agrum & finitimorum ciuitates accommodetur, vt agri tantùm sit, vt ciuibus temperantibus res ad viuendum necessariæ ex eo satis abundè suppetant, nec amplius quicquam desiderent. Aliis ergo verbis Aristoteles, aliis Plato vtitur, idem declarantibus. Aristoteles vult addi liberales vsus. Platonē aliquis defendet, si neget idem σωφρόνως, quod εὖ ζῆν valere. quod εὖ ζῆν latius patet, pertinetq; ad omnes virtutes: σωφρόνως ad solam temperantiam & cōtinentiam in victu, quæ vitam cuiusque spectat.

Illud etiam absurdum est, eum qui poßeßiones æquas & pares faciat, multitudini ciuium nō consulere, procreationémque liberorum incertam dimittere. quasi verò propter liberorum orbitates quot sint cunque, eidem multitudini satis sit æquanda, propterea quòd nūc etiam ciuitatibus hoc ipsum vsu venire videatur. ἄτοπον δὲ καὶ τὸ τὰς κτήσεις ἰσάζοντα, τὸ περὶ τὸ πλῆθος τῶν πολιτῶν μὴ κατασκευάζειν, ἀλλ' ἀφεῖναι τὴν τεκνοποιίαν ἀόριστον ὡς ἱκανῶς ἂν ὁμαλισθησομένην εἰς τὸ αὐτὸ πλῆθος διὰ τὰς ἀτεκνίας ὁσωνοῦν γενομένων, ὅτι δοκεῖ τοῦτο καὶ νῦν συμβαίνειν περὶ τὰς πόλεις.) In ς. de Legibus bonorū æquationem Plato introducit his verbis, πεντάκις μὲν χίλιοι ἔστωσαν καὶ τετταράκοντα, ἀριθμοῦ τινος ἕνεκα προσήκοντος, γεωμόροι τε καὶ ἀμυνοῦντες τῇ νομῇ. γῆ δὲ καὶ οἰκήσεις ὡσαύτως τὰ αὐτὰ μέρη διανεμηθέντων, γενόμενα ἀνὴρ καὶ κλῆρος ξυννομή. id est, Sint quinque millia & quadraginta, vt numerum aptum statuam, eorū qui agrū obtinebunt, partitionemq; seruabunt. Ager autem & ædes eodem modo in eisdem partes tribuantur, vt vir & pars cum diuisione consentiat, &c. Quod dixi, multitudini ciuium consulere, & si Latinum est, tamen quoniam aliam etiam habet intelligentiam, constituere modum ciuiū multitudini malo dicere. Quod deinde sequitur, de incerto numero liberorum procreandorum, eodem lib. ς. prætermißum est à Platone. Longa est oratio, qua docet quemadmodum numerus quem constituit, nec augebitur, nec minuetur. Primùm vult vnumquenque qui plures liberos susceperit, vnum eorum quem habeat charißimum, hæredem relinquere: filias ea lege quam sit laturus, collocare. quibus nulli sint liberi, eis filios tribui. Aliáque multa affert huic rei remedia. Sed quia, vt ostensum est, pares vult esse poßeßiones, nec modum certum eo loco filiorum procreandorum statuit, aut primum Aristoteles ait non debuisse ipsum constituere, aut secundum etiam: quoniam si primo locus relinquitur, numerus facilè vel imminuetur, vel potius augebitur. Sed verba eius subiici melius est. ὅπως δ' ἂν ταῦτα εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον οὕτως ἔχοντα ὑπάρχῃ, τάδε προσδιανοητέον, ὅσαι εἰσὶ καὶ νῦν ἡμῖν ἑστίαι διανεμηθεῖσαι τὸν ἀριθμὸν, ταύτας ἀεὶ δεῖν τοσαύτας εἶναι, μήτε τι πλείους γίγνεσθαι, μήτε ποτὲ ἐλάττους. ὧδ' οὖν ἂν τὸ τοιοῦτον βεβαίως γίγνοιτο περὶ πᾶσαν τὴν πόλιν, ὁ λαχὼν τὸν κλῆρον, καταλειπέτω ἀεὶ ταύτης τῆς οἰκήσεως ἕνα μόνον κληρονόμον τῶν ἑαυτοῦ παίδων ὃν ἂν αὐτῷ μάλιστα ᾖ φίλον, διάδοχον καὶ θεραπευτὴν θεῶν καὶ γένους καὶ πόλεως, τῶν τε ζώντων, καὶ ὅσοι ἂν ἤδη τέλος εἰς τὸν τότε χρόνον ἔχῃ. τοὺς δὲ ἄλλους παῖδας, οἷς ἂν πλείους ἑνὸς γίγνονται, θηλείας τε ἐκδίδοσθαι κατὰ νόμον τὸν ἐπιταχθησόμενον: ἄρρενάς τε οἷς αὖ τῆς γενέσεως ἐλλείπῃ τῶν πολιτῶν. τούτοις ὑεῖς διανέμειν κατὰ χάριν καὶ μάλιστα. ἐὰν δέ τισιν ἐλλείπωσι χάριτες, ἢ πλείους ἐπίγονοι γίγνωνται θήλεις, ἤ τινες ἄρρενες ἑκάστων, ἢ καὶ τοὐναντίον ὅταν ἐλάττους ὦσι, παίδων ἀφορίας γενομένης, πάντων τούτων ἀρχὴν ἣν ἂν θώμεθα μεγίστην καὶ τιμιωτάτην, αὕτη σκεψαμένη τί χρὴ δρᾶν τοῖς περιγενομένοις, ἢ τοῖς ἐλλείπουσι, ποριζέτω μηχανὴν ὅτι μάλιστα, ὅπως αἱ πεντακισχίλιαι καὶ τετταράκοντα οἰκήσεις ἀεὶ μόνον ἔσονται. id est: Is autem

hæc hoc modo perpetua sint, & permaneant, hoc intelligendum est, quot modò sunt à nobis descripti foci, totidem semper esse oportere: nec vlla ex parte plures, nec vnquã pauciores. Quod vt firmum & stabile sit in omni ciuitate, qui hæreditatem & partem adierit, is relinquat semper vnũ tantummodo liberorum suorum, quem charissimum habeat, vel malit illius domus hæredem: deorúmque generis ac ciuitatis viuorum mortuorúmque procuratorem. Ex aliis autem liberis, quibus plures erunt, filias ex lege quam feremus, collocabunt: mares iis ciuibus quibus liberi nulli erunt, dabunt, primùm ac maximè in beneficij loco. Sin gratiosi aliqui non sint, aut si cuique plures sint fœminæ, aut mares: aut contrà si pauciores sint, inopiáque sit liberorum, & orbitas: magistratus, quem & maximum & amplissimum constituemus, his omnibus præficietur, qui videat, quid iis qui aut modum constitutum transibunt, aut ab eo discedent, futurum sit: rationémque excogitet, qua quinque millia & quadraginta domorum numerus permaneat, &c.

Propterea quòd nunc etiam ciuitatibus hoc ipsum vsuuenire videatur. Atqui non tam subtilis tum ratio ciuitatum, quàm nunc, esse debuit. Nunc enim quoniam opes & facultates inter se diuidit multitudo, quantacunque sit, nemini quicquam deest: tum verò cùm nulla fieret bonorum partitio, necesse erat aratores, siue minor, siue maior eorum numerus esset, nihil obtinere. ὅτι δοκεῖ τοῦτο καὶ νῦν συμβαίνειν περὶ τὰς πόλεις. δεῖ δὲ τοῦτ' οὐχ ὁμοίως ἀκριβῶς ἔχειν περὶ τὰς πόλεις τότε καὶ νῦν. νῦν μὲν γὰρ οὐδεὶς ἀπορεῖ, διὰ τὸ μερίζεσθαι τὰς οὐσίας εἰς ὁποσονοῦν πλῆθος. τότε δ' ἀδιαιρέτων οὐσῶν, ἀνάγκη τοὺς παράζυγας μηδὲν ἔχειν, ἐάντ' ἐλάττους ὦσι τὸ πλῆθος, ἐάντε πλείους.) *Hic mihi locus corruptus & deprauatus videtur, ídque ex eo intelligi licet, quòd cũ his duobus aduerbiis vtatur Aristoteles,* νῦν καὶ τότε, *in Platonis refellẽda sententia, tamen* νῦν *solùm initio huius loci positum est. Mihi ergo videtur in illa ratione,* ὅτι δοκεῖ τοῦτο καὶ νῦν, *&c. hæc duo verba,* ὥσπερ ἀρχαῖον, *desiderari. vt sit sententia, Propterea quòd vt quondam, sic nũc, &c. Nam mihi comparare videtur Aristoteles eam bonorum diuisionem quæ ipsius erãt temporibus, cum ea communitate bonorum quam primo libro dicit fuisse in primis hominum societatibus. Quid autem sit, quod Platonis dicat sententia euenire ciuitatibus, vt quondam, sic illis temporibus, si quis requirat, æquationem bonorum, cum numero ciuium congruentem dico esse, nec solùm propter* ἀτεκνίαν, *siue vt ait Plato,* ἀπορίαν, *id est orbitatem & penuriam prolis, sed etiam propter colonias, quæ deducebantur quõdam: quas etiam vult deduci Plato, vt numerus ciuium cum modo agrorum domorúmq; consentiat. Platonis enim hoc institutum Aristotelem reprehendere, indicant verba eius quæ posita in quinto de legibus, subiiciam, vt omnibus liceat existimare, an vera sit nostra sententia.* καὶ δὴ καὶ τό γε τέλος, ἂν πᾶσα ἀπορία περὶ τὴν ἀνίσωσιν τῶν πεντακισχιλίων καὶ τετταράκοντα οἴκων γίγνηται, ἐπίχυσις δὲ ὑπερβάλλουσα ἡμῖν πολιτῶν διὰ φιλοφροσύνην τὴν τῶν ξυνοικούντων ἀλλήλοις ξυμβαίνῃ, καὶ ἀπορῶμεν, τὸ παλαιόν που ὑπάρχει μηχάνημα, ὃ πολλάκις εἴπομεν, ἐκπομπὴ ἀποικιῶν φίλη γιγνομένη παρὰ φίλων, οἷ' ἂν ἐπιτήδειον εἶναι δοκῇ. *id est: Postremò si omnis inopia ex numero quinque milliũ & quadraginta domorum, qui non sit æquabilis, nascatur, nimiáque ac immoderata liberorũ procreãdorum cupiditas in nostris ciuibus dominetur, propter eorum qui in vna domo habitant, & inopia premamur, tum vetus institutum & consilium repetendum est, de quo sæpe diximus, vt colonias deducant amici & propinqui, quocunque commodum videbitur. Hoc ergo institutum veterum quod probat Plato, de coloniis deducendis, ne modus quem statuit transeatur, mihi refellere Aristoteles hoc loco videtur. Vt autem ita sit, certè comparationis & similitudinis quã refellit, quæ sententia sit ignoro. ait enim suis temporibus, cùm bonorum partitio fieret, nemini quicquã defuisse, id est inopem fuisse, & tamen cùm bona non diuiderentur,* παράζυγας *nihil obtinuisse necessarió. Quî enim fieri potest, primùm vt aliqui stante bonorum communitate nihil habeant? deinde qui sunt isti* παράζυγες? *Ego quidem qui* παράζυγες *essent, inuenire non potui. Alij adiuges dicunt, ineptum & minus Latinum vocabulum. Itaque cùm illud repudiarem, aratores dixi* παράζυγας, *quòd mihi compositum verbum à* ζυγῷ, *id est iugo videbatur. Sed quoniam ad sententiam huius loci, quæ difficilis est, an aptum sit, iudicare non possum, aliorum erit existimare. Quod si mihi etiam dicere liberè quod sentiam liceat,* παράζυγες *&* ὁμόζυγες *quodammodo contrarij videntur. Vt ergo* ὁμόζυγες *dicuntur boues qui eodem iugo coërcentur & cohibentur, sic* παράζυγες *ij sunt (mea quidem sententia) qui non eodem iugo continentur. Quam similitudi-*

nem ad rem familiarem transferens Aristoteles, quasi ὁμόζυγας appellaret eos qui in Rep. vnā eandémque domum habitarent: sic παράζυγας eos vocare mihi videtur, qui cùm vna domo quasi iugo & imperio domestico capi non poßint, in alias domos quasi in colonias exeunt. vt παράζυγας; eos etiam quos περιγιγνομένους; Plato ex superiori loco vocare perspicitur, intelligamus. περιγενομένους autem eos dicit filios, qui numerū à se præscriptum quinque millium & quadraginta ciuium superant. Est enim περιγίγνεσθαι idem quod περιεῖναι, id est superesse, redundare, superare, vt neutrum verbum est. cuius contrarium est ἐλλείπειν. Itaque videndum est, num περίζυγας potius legendum esse videatur. Nam ζυγὸν fortasse ad agrorum modum statutum refertur: vt περίζυγες ij sint, qui transeunt modum quinque millium & quadraginta partium, in quas vult Plato pro portione & multitudine ciuium agrum diuidi. Quid ergo de hoc verbo sentiam, exposui. Nunc ad id quod modò de huius loci sententia quæsitum est, quî fieri poßit vt aliqui in bonorum communitate nihil habeant, veniendum est. Equidem sic existimo, eos nihil habere, propterea quòd bona quæ cuique familiæ suppetebant quondam ad viuendum, ad eos non peruenirent, qui post iustum numerum nascerentur. Itaque in colonias, vt dictum est, mittebantur.

Ait enim oportere, quemadmodum stamen ex alia lana, quàm ex liciis texitur, sic eandem cum iis qui parent, eos qui imperant habere rationem. φησὶ γὰρ δεῖν, ὥσπερ ἐξ ἑτέρου τὸ στημόνιον ἐρίου γίνεται τῆς κρόκης, οὕτω καὶ τοὺς ἄρχοντας ἔχειν δεῖν πρὸς τοὺς ἀρχομένους.) Hoc Plato in quinto de Legibus libro tradit his verbis, καθάπερ οὖν δή τινα ξυμφυὴν, ἢ καὶ πλέγμα ἄλλ' ὁποιοῦν οὐκ ἐκ τῶν αὐτῶν οἷόν τ' ἐστὶ, τήν τε ἐφυφὴν καὶ τὸν στήμονα ἀπεργάζεσθαι, διαφέρειν δ' ἀναγκαῖον τὸ τῶν στημόνων πρὸς ἀρετὴν γένος, ἰσχυρόν τε γὰρ, καί τινα βεβαιότητα ἐν τοῖς τρόποις εἰληφὸς, τὸ δὲ μαλακώτερον, καὶ ἐπιεικείᾳ τινὶ δικαίᾳ χρώμενον: οὕτω δὴ τοὺς τὰς μεγάλας ἀρχὰς ἐν ταῖς πόλεσιν ἄρξοντας δεῖ διακρίνεσθαί τινα τρόπον, ταύτῃ καὶ τοὺς σμικρᾷ παιδείᾳ βασανισθέντας ἑκάστοτε κατὰ λόγον. id est, Quemadmodum autem fieri non potest, vt in textili opere aut quouis alio ex eisdem licia & stamen fiant, sed stamen præstare debet robore: firmum enim & natura sua durum est, licia contrà molliora & teneriora, vt facilè cedant & flectantur: sic inter eos qui magnos magistratus gesturi sunt in Republica, quædam dissimilitudo esse debet, & cætera. Hic locus in libris vulgatis deprauatus est. ὅθεν enim pro οὕτω positum est, & ἐπαινείᾳ pro ἐπιεικείᾳ. est autem ἐπιείκεια, virtus quæ ab εἴκειν verbo ducta mihi videtur, qua non omnia pro nostro iure agimus, sed de illo cedimus. Verbum autem ξυμφυὴν corruptum esse puto. fortasse traiectione literæ vnius, & alterius mutatione, corruptum est, ξυμφυὴν pro ξυνυφήν. In hoc etiam Aristotelis quem tractamus loco eadem mihi deprauatio videtur, τὸ στημόνιον, pro τὸν στήμονα, vt est apud Platonem. στήμων ergo stamen dicitur, κρόκη autem & ἐφυφὴ licium, id est filum quo textores in tela stamen implicant. Quidam vir doctus vertens hunc Aristotelis locum, Platonis esse verba dicit. ex quo intelligi licet, cum alia sint Platonis verba, alia Aristotelis, ab illo Platonis verba lecta non fuisse.

Atque etiam videndum est, ne fortè ædificiorum diuisio ad rem familiarem non conferat. Binas enim ædes, cum separatim diuisisset, cuique attribuit, cum difficile sit duas domos habitare. καὶ τὴν τῶν οἰκοπέδων δὲ διαίρεσιν δεῖ σκοπεῖν, μή ποτ' οὐ συμφέρει πρὸς οἰκονομίαν δύο γὰρ οἰκόπεδα ἑκάστῳ ἔνειμε, διελὼν χωρίς.) Hoc statuit Plato in quinto extremo de Legibus: cuius verba eò libentius subiiciam, quod ex iis hic locus fiet planior. Nam διελὼν χωρὶς obscurum est, quod planum fiet verbis eius prolatis. Vult enim Plato suas cuique binas esse ædes, non continuatas illas quidem, sed seiunctas & separatas. quoniam vnam domum in media vrbe vult ædificari, alteram in extrema. τέμνειν δ' αὖ καὶ τὰ τῆς πόλεως δώδεκα τμήματα τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ καὶ τὴν ἄλλην χώραν διενείμαμεν, καὶ δύο νέμεσθαι ἕκαστον οἰκήσεις, τήν τε ἐγγὺς τοῦ μέσου, καὶ τὴν τῶν ἐσχάτων. id est, Diuidendæ sunt etiam duodecim ciuitatis regiones & partes, quemadmodum alium etiam agrum sum partitus, vt binæ ædes cuique tribuantur, quarum altera in media, altera in extrema vrbe ædificetur.

Sin vt optimam post primam Rempub. non præclaré. εἰ δ' ὡς ἀρίστην μετὰ τὴν πρώτην πολιτείαν, οὐ καλῶς.) Ego in hoc genere μετὰ secundum, malo dicere. nam cùm superlatiuo vtendum est, Cicero illud μετά dicit secundum. In secūdo de Officiis: Proximè autem & secundum deos, homines hominibus maximè vtiles esse possunt. Si addatur participium vel nomen rei,

μετὰ post dicitur, vt post homines natos, post hominum memoriam turpissimus. Intelligẽdum est autem, vt hic locus intelligatur, à Platone tres Respub. constitui, vnam in libris de Repub. secundam in libris de Legibus: tertiam in quinto de Legibus se aliquando constituturum pollicetur. Ac primam quidem cum eam se constituisse dixit eo quem modò nominaui libro, in qua omnia communia sint, mulieres, liberi, bona, tum de secunda ita loquitur, ἣν δὲ νῦν ἡμεῖς ἐπικεχειρήκαμεν, εἴτε αὖ γενομένη πως ἀθανασίας ἐγγύτατα. καὶ ἡ μὲν δευτέρα. τρίτην δὲ μετὰ ταῦτα, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, διαπερανούμεθα. *id est, Quam autem hoc tempore aggressi sumus, ea si absoluatur, ad immortalitatem proximè accedet. atque hæc quidem secunda est. Tertiam autem deinceps, iuuante Deo, ad finem perducemus.*

Ac nonnulli quidem sunt in ea sententia, vt dicant optimum ciuitatis statum ex omnibus Rebuspub. confusum esse oportere. ἔνιοι μὲν οὖν λέγουσιν, ὡς δεῖ τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἐξ ἁπασῶν εἶναι τῶν πολιτειῶν μεμιγμένην.) *Cicero in secundo de Repub. apud Nonium hoc etiam ait: Statuo esse optimè constitutam Rempub. quæ ex tribus generibus illis, regali & optimati & populari confusa, &c. quæ sunt corrupta. Locum etiam Platonis de rerum cõmunitate in quarto attigit. Et noster Plato magis esset Lycurgus qui omnia prorsus iubet esse communia, ne quis ciuis propriam aut suam rem vllam queat dicere. Hæc sunt apud Nonium in verbo Proprium. Duo autem huius loci apud eum corrupti sunt. nec quidam qui omnes locos Ciceronis de Repub. vndecunque potuit, diligenter in vnum coëgit, hunc correxit locum. Locus autem corruptus est syllabarum separatione. Est enim Vllaque adiicere, pro, queat dicere.*

At verò in his legibus Socratis sententia est, eam Rempub. quæ sit omnium optima, ex populi & tyranni imperio constare oportere quæ imperia vel omnino in numero Rerumpub. non sunt reponenda, vel certè in numero deterrimarum. ἐν δὲ τοῖς εἴρηται τούτοις, ὡς δέον συγκεῖσθαι τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἐκ δημοκρατίας καὶ τυραννίδος, ἃς ἢ τὸ παράπαν οὐκ ἄν τις θείη πολιτείας, ἢ χειρίστας πάντων.) *Hoc autem Atheniensis quidam, vt Socratem intelligamus, dicit in 3. lib.* ἄκουσον δὴ νῦν. εἰσὶ πολιτειῶν οἷον μητέρες δύο τινὲς, ἐξ ὧν τὰς ἄλλας γεγονέναι λέγων ἄν τις, ὀρθῶς λέγοι. καὶ τὴν μὲν προσαγορεύειν μοναρχίαν ὀρθὸν, τὴν δ' αὖ δημοκρατίαν. καὶ τῆς μὲν τὸ περσῶν γένος ἄκρον ἔχειν, τῆς δὲ ἡμᾶς. αἱ δ' ἄλλαι σχεδὸν ἅπασαι, καθάπερ εἶπον, ἐκ τούτων εἰσὶ διαπεποικιλμέναι. δεῖ δὴ οὖν καὶ ἀναγκαῖον μεταλαβεῖν ἀμφοῖν τούτοιν, εἴπερ ἐλευθερία τ' ἔσται καὶ φιλία μετὰ φρονήσεως. ὃ δὴ βούλεται ἡμῖν ὁ λόγος προστάττειν, λέγων, ὡς οὐκ ἄν ποτε τούτων πόλις ἄμοιρος γενομένη, πολιτευθῆναι δύναιτ' ἂν καλῶς. *Id est, Nunc ergo audi. Sunt Rerumpub. quasi matres, duæ quædam: ex quibus rectè dici possunt reliquæ extitisse. quarum illam tyrannidem, hanc populare ciuitatis genus appellare possumus. Atque illa superior apud Persas optimè constituta est, hæc apud nos. Cæteræ verò ferè omnes, vt dixi, ex his distinctæ sunt atque confusæ. Quocirca confundatur & temperetur ex his oportet ac necesse est, si modò in aliqua libertas & amicitia cum sapientia coniuncta reperiantur, quod quidem hoc nostro sermone præscribere volumus, nullam vnquam quæ quidem harum sit expers, rectè gubernatum iri ciuitatem. Eadem etiam eius sententia est in 6. lib.*

Nam ex delectis sortitionem fieri, commune vtriusque est, &c. τὸ μὲν γὰρ ἐξ αἱρετῶν κληρωτοὺς κοινὸν ἀμφοῖν, *&c.) Hoc loco vult docere Aristoteles, Rempub. eam quam Plato in libris de Legibus secundam constituit, non confusam esse ex regali & populari ciuitatis genere, vt ille vult: sed ad paucorum ius & ditionem, & ad populare genus, sed ad superius magis pertinere. Itaque quod hoc loco ait Aristoteles,* κοινὸν ἀμφοῖν, *verbum* ἀμφοῖν *relatiuum est vt vocant, harum duarum Rerumpublicarum. Si quis velit fusius & pluribus hæc explicata intelligere, legat quartum horum librorum. Et quoniam Platonis Rempublicam contrà quàm vult ex his duobus generibus confusam esse, legibus & moribus earum Rerumpublicarum propriis demonstrat, eis ipsis legibus parêre Platonem, aut eas potius eum ferre leges, ex sexto libro de Legibus ferè pagina prima intelligi licet. Lõga est oratio, quam ne sim longior prætermittam.*

Senatorum etiam cooptationem facit ad idem paucorum imperium pertinere. cooptare omnes illos quidem necesse est, sed ex prima classe, deinde totidem ex secunda, tum ex tertia: nisi quòd non omnes necesse est, qui sunt ex tertia & quarta. Ex quarta autem classe ij soli necessario cooptare debent, qui sunt primæ & secundæ. deinde ex his parem numerum à quoque censu declarare censet oportere. Ita futuri sunt plures ex maximo censu, iiq; meliores ob eam causam quia

legent necessariò. ὀλιγαρχικὴν δὲ ποιεῖ καὶ ἡ τῆς βουλῆς αἵρεσις. αἱροῦνται μὲν γὰρ πάντες ἐπάναγκες, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ πρώτου τιμήματος, εἶτα πάλιν ἴσους ἐκ τοῦ δευτέρου, εἶτ᾽ ἐκ τῶν τρίτων. πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες ἦν τοῖς ἐκ τῶν τρίτων ἢ τετάρτων. ἐκ δὲ τοῦ τετάρτου, τῶν τετάρτων μόνοις ἐπάναγκες τοῖς πρώτοις καὶ τοῖς δευτέροις, εἶτ᾽ ἐκ τούτων ἴσον ἀφ᾽ ἑκάστου τιμήματος ἀποδεῖξαί φησι δεῖν ἀριθμόν, ἔσονται δὴ πλείους οἱ ἐκ τῶν μεγίστων τιμημάτων καὶ βελτίους διὰ τὸ μὴ ἐπάναγκες.) *Hic locus à Platone fusius tractatus, ab Aristotele in angustum coactus est, aliísque verbis interdum explicatus. Certè deprauatus est. Quod vt intelligatur, locum Platonis coniungam.* βουλὴν δὴ εἶναι μὲν τριάκοντα δωδεκάδας, ἑξήκοντα δὲ καὶ τριακόσιοι γίγνοιντο ἂν πρέποντες ταῖς διανομαῖς, μέρη δὲ διανείμαντας τέτταρα κατὰ ἐνενήκοντα τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐξ ἑκάστου τῶν τιμημάτων φέρειν ἐνενήκοντα βουλευτάς, πρῶτον μὲν αὐτῶν μεγίστων τιμημάτων ἅπαντας φέρειν ἐξ ἀνάγκης, ἢ ζημιοῦσθαι τὸν μὴ πειθόμενον τῇ δοξάσῃ ζημίᾳ, ἐπειδ᾽ ἂν ἐνεχθῶσι, τούτους μὲν κατασημήνασθαι, τῇ δὲ ὑστεραίᾳ φέρειν ἐκ τῶν δευτέρων τιμημάτων κατὰ ταὐτὰ καθάπερ τῇ πρόσθεν. τρίτῃ δ᾽ ἐκ τῶν τρίτων τιμημάτων, φέρειν μὲν τὸν βουλόμενον, ἐπάναγκες δὲ εἶναι τοῖς τῶν τριῶν τιμημάτων. τὸ δὲ τέταρτόν τε καὶ σμικρότατον, ἐλεύθερον ἀφεῖσθαι τῆς ζημίας, ὃς ἂν αὐτῶν μὴ βούληται φέρειν. τετάρτῃ δὲ φέρειν μὲν ἐκ τοῦ τετάρτου καὶ σμικροτάτου τιμήματος ἅπαντας, ἀζήμιον δ᾽ εἶναι τὸν ἐκ τοῦ τετάρτου καὶ τρίτου τιμήματος, ἐὰν ἐνεγκεῖν μὴ βούληται. τὸν δ᾽ ἐκ τοῦ πρώτου καὶ δευτέρου μὴ φέροντα, ζημιοῦσθαι, *&c. id est, Senatus autem ex dodecadibus triginta constabit, quibus ex partitionibus trecenti & triginta explebuntur. Hi in quatuor partes per nonaginta ita tribuantur, vt ex vnoquoque censu nonaginta senatores legantur. Ac primum quidem omnes primæ classis necessariò legent: aut qui minimè paruerit, ei mulcta dicetur quæ statuta fuerit. Posteà verò quàm lecti fuerint, declarabuntur. Postero autem die totidem quot pridie leget secunda classis. tertio, tertiæ classis qui volet, cooptabit. Ac tres hæ classes legere cogentur. Quartæ autem classis & infimæ omnes illæ quidem legent, sed si quis nolit ei fraudi non esto. Quarto autem die quartæ & tertiæ classis omneis legunto. Ac si quis ex his duabus classibus legere nolit ei fraudi non esto. Si quis autem primæ & secundæ prætermittat, mulctator, &c. Locus Aristotelis coniunctus cum illo Platonis, facilè corrigi potest. Nam oratio illa,* ἐκ δὲ τοῦ τετάρτου τῶν τετάρτων, *&c. respondet illi Platonis* τετάρτῃ δὲ, *&c. Itaque sic legendum est apud Aristotelem, quod valet, quarto autem die quartæ classis, id est quo quarta classis leget senatores. nam quod sequitur,* μόνοις ἐπάναγκες τοῖς πρώτοις, *in eo patrius casus* τετάρτων *non ad verbum* μόνοις *pertinet: sed sic distinguendum est,* τετάρτῃ δὲ τῶν τετάρτων, μόνοις, *&c. Vel potius pro* τετάρτων *legẽdum est* τιμημάτων, *vt verbo* μόνοις τοῖς πρώτοις, *&c. excludatur tertia & quarta classis. Est enim hæc ipsa quam corrigo, oratio, deprauata ex omnibus vna maximè. In qua legendum esse* τετάρτῃ, *hinc intelligi potest: quòd enumeratis diebus tribus quibus vult Plato legi Senatores, Aristoteles his verbis* πρῶτον, εἶτα, εἶτα, *de quarto die creationis ea disserit. Ego in hoc loco transferendo nihil mihi mutãdum censui, ne corrumpere, non corrigere viderer. Satis enim mihi visum est in commentariis admonere. Itaque verba* φέρειν, *&* ἀποδεῖξαι, *vt Leonardus Brunus Aretinus, ad vim patiendi transtuli, cum actionem declarent. Nam loquitur vt Aristoteles, sic Plato, de iis qui creant & cooptant senatores, non de iis qui cooptantur.* βελτίους *autem, quos meliores dixi, malo dicere meliore erunt conditione. Hoc enim multo est illo & facilius ad intelligendum, & ad dicendum elegantius. Quod dixi legendum esse* τῇ δὲ τετάρτῃ, *legi etiam rectè potest,* ἐκ δὲ τοῦ τετάρτου ἢ τετάρτων, *vt hæc verba traiecta esse videantur. Sic enim legi hoc potest,* εἶτ᾽ ἐκ τῶν τρίτων, εἶτ᾽ ἐκ τοῦ τετάρτου, ἢ τετάρτων, πλὴν, *&c. vt addamus,* ἀλλὰ μόνοις, *&cæt.*

IN V. CAP.

NON solùm autem homines ad iniuriam faciendam aggrediuntur, vt res quæ desunt suppeditent, &c. verumetiam vt capiant oblectationem, & ne concupiscant. οὐ μόνον δ᾽ οἱ ἄνθρωποι διὰ τἀναγκαῖα ἀδικοῦσι, *&c.* ἀλλὰ καὶ ὅπως χαίρωσι, καὶ μὴ ἐπιθυμῶσι. *Paulo infrà: Ita fit, vt non huius causa solum, verumetiam concupiscant ad perfruendas voluptates.* οὐ τοίνυν διὰ ταύτην μόνον, ἀλλὰ καὶ ἂν ἐπιθυμοῖεν, ἵνα χαίρωσι ταῖς ἄνευ λυπῶν ἡδοναῖς. *In primo libro de Officiis hunc locum Cicero imitatus est: Maximam autem partem ad iniuriam fa-*

ciendam aggrediuntur nonnulli, vt adipiscantur ea quæ concupierunt. Expetuntur autem diuitiæ tum ob vsus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates. Quod dixit, Maximam partem aggrediuntur ad iniuriam faciendam nonnulli, Aristoteles paulo infrà dicit, ἀδικοῦσι τὰ μέγιστα. ἐπεὶ ἀδικοῦσί γε τὰ μέγιστα διὰ τὰς ὑπερβολάς, ἀλλ' οὐ διὰ τὰ ἀναγκαῖα. Quanquam τὰ μέγιστα ἀδικεῖν interpretor, maximas iniurias facere. διὰ τὰ ἀναγκαῖα ἐπιθυμεῖν, est, quod Cic. ait, expetere ad vsus vitæ necessarios.

Æquatio ergo bonorum inter ciues, &c. ἔστι μὲν οὖν τι τῶν συμφερόντων οὐσίας εἶναι ἴσας.) *Paulò supra,* ἰσότητα τῆς κτήσεως *appellauit, quod Cicero dicit æquationem bonorum. In secundo de Officiis: Capitalis omnino oratio est, ad æquationem bonorum pertinens.*

Iam vero insatiabilis est hominum improbitas, quibus primùm satis sunt duo oboli: cum autem eos consecuti sunt, tum plus semper expetunt, dum infinitas opes congesserunt. Nunquam enim expletur, nunquam satiatur cupiditatis sitis. ἔτι δ' ἡ πονηρία ἀνθρώπων ἄπληστον. καὶ τὸ πρῶτον μὲν ἱκανὸν διωβολία μόνον. ὅταν δ' ἤδη τοῦτ' ᾖ πάτριον, ἀεὶ δέονται τοῦ πλείονος, ἕως εἰς ἄπειρον ἔλθωσιν. ἄπειρος γὰρ ἡ τῆς ἐπιθυμίας φύσις.) *Hanc sententiam Aristoteles de Aristophanis Pluto sumpsisse mihi videtur, apud quem Chremylus cùm aliis multis, tum his verbis Plutum alloquitur,*

Σοῦ δ' ἐγένετ' οὐδεὶς μεστὸς οὐδὲ πώποτε:
Ἀλλ' ἢν τάλαντά τις λάβῃ τριακαίδεκα,
Καὶ ἢν ταῦτ' ἀνύσῃ, πεντεκαίδεκα βούλεται,
Η φησιν οὐκ εἶναι βιωτὸν αὐτῷ τὸν βίον.
At satietas nunquam cepit vllum tui.
Sed si talenta quis capit tria cum decem,
Atque hæc obtinet, tum quadraginta percupit,
Vel certè sibi esse vitalem vitam negat.

Leges carminis in hoc verbo vitalem non seruaui, sed quia sublato eo non fuisset tam illustris sententia, id remanere malui. Hoc quod dixi, Nunquam enim expletur, &c. sunt verba Ciceronis, primo Paradoxo.

IN VII. CAP.

A Thessalis enim initio defecerunt. ἐπεὶ καὶ τοῖς θετταλοῖς κατ' ἀρχὰς ἀφίσαντο.) *Intelligi debet verbum πενέσται. Hoc capite Aristoteles Lacedæmoniorum Rempub. multis de caussis improbat. Si quis volet plura ad hanc pertinentia cognoscere, legat Xenophontem, qui librum de ea scripsit: & Lycurgi vitam, quam Plutarchus scripsit. Plutarchus in Lycurgi vita de mulierum licentia dissentit ab Aristotele, qui hoc loco eam reprehendit. Multa etiam Athenæus de ea disserit. Neque enim ea quæ tot auctores de quaque re commemorant, instituï afferre, ne sim longior.*

Quocirca in eiusmodi Repub. diuitiæ in honore sint & precio necesse est, præsertim si muliebri imperio regantur. cuiusmodi sunt quædam genera hominum, qui sunt ad rem militarem & bellicam apti vltra Gallos, aut si qui sunt alij, apud quos concubitus marium inter se perspicuè probentur. ὥστ' ἀναγκαῖον ἐν τῇ τοιαύτῃ πολιτείᾳ τιμᾶσθαι τὸν πλοῦτον, ἄλλως τε κἂν τύχωσι γυναικοκρατούμενοι, καθάπερ τὰ πολλὰ τῶν στρατιωτικῶν καὶ πολεμικῶν γενῶν ἔξω κελτῶν, ἢ κἂν εἴ τινες ἕτεροι φανερῶς τετιμήκασι τὴν πρὸς τοὺς ἄρρενας συνουσίαν.) γυναικοκρατεῖσθαι *ea forma dicitur, qua* ἀριστοκρατεῖσθαι. *Itaque eodem modo vertendum est, regi à mulieribus, vel muliebri imperio parére, vel esse in mulierum potestate.* ἔξω κελτῶν, *vltra Celtas dico. Et quod dicitur præterea* ἢ κἂν τινες, *non ad Gallos referendum est, neque enim de Gallis loquitur, sed de iis gẽtibus quæ vltra Gallos sunt.* στρατιωτικοὶ *dicuntur à Cicerone, apti ad rem militarem: &* πολεμικοὶ, *ad rem bellicam. In primo libro de Officiis: Multi enim quæsierunt bella sæpe propter gloriæ cupiditatem, atque id in magnis animis ingeniisque plerunque contingit, eóque magis, si sunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum.*

Quin etiam Ephororum ratio vitiose constat. ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ περὶ τὴν ἐφορείαν φαύλως ἔχει.) ἐφόρους *Ephoros appello, vt Cicero in tertio libro de Legibus.* ἐφορείαν *etiam Ephoratum,*

ea forma qua à tribuno tribunatus dicitur. Phiditia etiam Latinè dico cum Cicerone in quinto libro quæstionum Tusculanarum: Quid? victum Lacedæmoniorum in Phiditiis nónne videmus? vbi cum tyrannus cœnauisset Dionysius, negauit se iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is qui illud coxerat: Minimè, inquit, mirum: condimẽta enim defuerunt. Quæ tandem? inquit ille. Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ cõdiuntur. Ius nigrum dicitur à Plutarcho ὁ μέλας ζωμὸς, in vita Lycurgi. Et quoniam eo in loco hoc ipsum narrat factum, quod Cicero, non alienum erit eius verba attexere. τῶν δὲ ὄψων, εὐδοκιμεῖ μάλιστα παρ' αὐτοῖς ὁ μέλας ζωμὸς, ὥστε μήτε κρεαδίου δεῖσθαι τοὺς πρεσβυτέρους, ἀλλὰ παραχωρεῖν τοῖς νεανίσκοις, αὐτοὺς δὲ τοῦ ζωμοῦ καταπεταγμένους ἑστιᾶσθαι. λέγεται δέ τινα τῶν ποντικῶν βασιλέων, ἕνεκα τοῦ ζωμοῦ καὶ πρίασθαι λακωνικὸν μάγειρον. εἶτα γευσάμενον δυσχερᾶναι. καὶ τὸν μάγειρον εἰπεῖν, ὦ βασιλεῦ, τοῦτον δεῖ τὸν ζωμὸν ἐν τῷ εὐρώτᾳ λελουμένους ἐποψᾶσθαι*: id est: Ex opsoniis autem apud eos ius nigrum maximè probatur, habetúrque in deliciis. Itaque senes carnes minimè desiderant, sed eis adolescẽtibus relictis, ipsi præscripto iure vescuntur. Fama est autem, quendam regem Ponti, cùm iuris gratia seruum Lacedæmonium emisset, gustaßétque, eo iure non delectatum. tum eum qui illud coxerat dixisse: Hoc ius, rex, cursus ab Eurota condit. Quid dißimile sit apud Ciceronem & Plutarchum, facile est videre. Phiditia per literam t scribi debent. Phiditæ enim sodales dicuntur, vt* σύσσιτοι. *Hoc enim verbum sæpe vsurpat Athenæus in quarto libro, in quo multa narrat de Lacedæmoniorum victu. itémque apud Plutarchum multa sunt in vita Lycurgi, quibus planior locus fiet de Phiditiis, quem Aristoteles hic tractat. Explicat enim quæ quisque ad Phiditia solitus erat conferre. quæ cuique legere licebit. Ego enim in libro de Magistratibus, ne eadem repetere cogar, idoneo loco de Lacedæmoniorum aliorúmque Græcorum magistratibus disseram.*

IN IX. CAP.

QVòd si opibus & copiis ocij gratia consulendum est, male se res habet, cum summus quisque magistratus, vt regnum & munus imperatorium pecunia contenditur. εἰ δὲ δεῖ βλέπειν καὶ πρὸς εὐπορίαν χάριν σχολῆς, φαῦλον τὸ τὰς μεγίστας ὠνητὰς εἶναι τῶν ἀρχῶν, τήν τε βασιλείαν καὶ τὴν στρατηγίαν.) *Hunc locum planè imitatus est Cicero in libro secundo de Officiis: Male enim se res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Hoc etiam ab Aristotele* φαύλως ἔχειν *his in libris sæpe dicitur.*

Quæcunque autem opinio de cuiusque rei honore ac precio, in principibus extiterit, eadem in cæteris ciuibus necessariò secutura est. ὅτι δ' ἂν ὑπολάβῃ τίμιον εἶναι τὸ κύριον, ἀνάγκη καὶ τὴν τῶν ἄλλων πολιτῶν δόξαν ἀκολουθεῖν τούτοις.) *In tertio libro de Legibus Cicero hunc locum expreßit magna ex parte: Nec enim tantum mali est peccare principes, quanquam est magnum hoc per se ipsum malum: quantum illud, quòd permulti etiam imitatores principum existunt. Nam licet videre, si velis explicare memoriam temporum, qualescunque summi ciuitatis viri fuerint, talem ciuitatem fuisse: quæcunque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo secutam. Secutam enim, non secuturã legendum est, vt in vulgatis libris legitur. quoniam de præterito loquitur. Tum sequitur: Idq; haud paulo est verius, quàm quod Platoni nostro placet, qui Musicorum cãtibus ait mutatis, mutari ciuitatum status. Hoc ipsum Platonis Cicero in secundo libro affert: Quamobrem ille quidem sapientißimus vir Græciæ, longéque doctißimus, valde hanc labem veretur. Negat enim mutari posse musicas leges, sine immutatione legum publicarum. Hæc sententia Platonis est posita apud eum in quarto libro de Republica,* εἶδος γὰρ καινὸν μουσικῆς μεταβάλλειν εὐλαβητέον. οὐδαμοῦ γὰρ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι, ἄνευ πολιτικῶν νόμων τῶν μεγίστων, ὥς φησί τε Δάμων, καὶ ἐγὼ πείθομαι. *id est: Noui enim generis Musicæ verenda mutatio est. neque enim mutari possunt musicæ leges, sine immutatione legum publicarum, vel maximarum, vt & Damon ait, & ego mihi persuadeo.*

Itaque iis qui habent à natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus sunt, & gerenda Respub. est. διὸ δεῖ τοὺς δυναμένους ἀριστ' ἄρχειν, τούτους ἄρχειν.) *Verba sunc Ciceronis, sumpta ex primo de Officiis libro. Hæc verba, abiecta omni cunctatione, non sunt apud Aristotelem. Hæc igitur ratio dicendi notanda est,* δύνασθαι ἀρι-

στρατηγεῖν, ἢ ἄρχειν. id est, habere adiumenta rerũ optimè gerendarum. Rei enim verbũ pro Rep. accipitur ſæpe, ſed ferè in numero multitudinis. quod apud Græcos efficit πρᾶγμα, & πράγματα. Quoniam autem verbum ἄρχειν, & adipiſci magiſtratum, & gerere valet, & gerere Rempub. Cicero hæc duo ob eam cauſam vſurpauit pro illo vno Græco.

IN LIBRVM TERTIVM Obſeruationes. In cap. I.

SVperioribus duobus libris in obſeruationibus multum operæ ſtudiíque poſui, quòd multa erant eiuſmodi, quæ longam orationem admonitionemq́; deſiderarent. Deinceps aut nullæ erunt, aut certè perbreues obſeruationes: partim quòd ferè ea quæ admonitione noſtra egent, aliis locis à nobis tractata ſunt: partim quòd in libro de Magiſtratibus alia trademus.

Hoc enim iuris eſt etiam inter eos, inter quos teſſerarum communio eſt. ἔστι γὰρ ὑπάρχει καὶ τοῖς ἀπὸ συμβόλων κοινωνοῦσι.) σύμβολον verbum latiſsimè patet. Interdum particula eſt, quam quiſque conuiua dat in cœnam aut prandium, qua in ſignificatione hoc verbo vtitur his libris Ariſtoteles: Latinè dicitur à Terentio in Andria, Symbolum dedit. Hinc apud nos bolum, fruſtum dici arbitror. In libris de Ortu & Interitu, accipitur pro particula qualitatum quæ cum duobus elementis communicatur, quæ ſignificatio haud longè abeſt à ſuperiore. Hoc in loco pro ſigno quodam, quod mercatores diuerſarum Rerumpublicarum alteri alteris dare ſolent, vel etiam à principibus obtinent, vt libere ac tutò in alias ciuitates commeare, & contrahere res inter ſe poſsint. A Latinis teſſera dicitur. aliáque militaris vocatur, quæ vulgò appellatur verbum vigilum, alia hoſpitalis. In ſeptimo ab Vrbe condita T. Liuius: Vigiliis deinde diſpoſitis, cæteris omnibus teſſeram dari iubet, vbi ſecundæ vigiliæ buccina datum ſignum eſſet, armati cum ſilentio ad ſe conuenirent.

Quanquam municipes non omnino eius ſunt participes ſocietatis, ſed quemadmodum pueri qui nondum virilem togam ſumpſerunt, aut ſenes qui exauctorati ſunt, &c. πολλαχοῦ μὲν οὖν οὐδὲ τούτων τελέως οἱ μέτοικοι μετέχουσι τῆς τοιαύτης κοινωνίας, ἀλλὰ καθάπερ καὶ παῖδας τοὺς μήπω δι' ἡλικίαν ἐγγεγραμμένους, καὶ τοὺς γέροντας τοὺς ἀφειμένους. &c.) Deeſt, Multis locis, id eſt πολλαχοῦ. μετοίκησις à Cicerone migratio dicitur in primo libro Quæſtionum Tuſculanarum, quo loco Apologiæ Socratis particulam tranſtulit: & μετοικεῖν migrare. μέτοικος ergo is propriè dicitur, qui ex vna ciuitate in aliam migrat, qui venit in aliam ciuitatem: Aſcititius à me, & inquilinus aliis locis dicitur, hoc municeps. quod ne quis miretur, Feſti Pompeij auctoritatem ſum ſecutus. Prætermittam alia quæ ille hoc verbo declarari aſſerit: tantum ea afferam quæ ad id quod agimus pertinent. Itẽ municipes erant, qui ex aliis ciuitatibus Romã veniſſent, quibus nõ licebat magiſtratum capere. Sed hoc multo eſt euidentius in verbo Municipium. Municipiũ id genus hominũ dicitur, qui cum Romã veniſſent, neque ciues Rom. eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendũ, præterquam de ſuffragio ferendo, aut magiſtratu capiendo. Ex his intellectum arbitror, μετοίκους municipes rectè dici. Nam Ariſtoteles cum hoc in loco, tum multis aliis, negat μετοίκους eſſe ciues: quod ſtatuat cum ciuem omnino qui magiſtratus capere poſsit, & ſententiam dicit, quod municipibus ſententia Pompeij negatum eſt Romæ. ἐγγράφεσθαι, verbum è verbo, inſcribi valet. Hoc loco de pueris dicitur, qui adſcribebantur in virorum numerum. Quod quoniam apud nos virilem togam ſumere dicitur, eo genere ſum vſus. ἀφειμένοι dicuntur exauctorati, id eſt qui auctoramento, id eſt obligatione maximè ſacramenti militaris ſoluti ſunt, & liberati. Loquitur autem hic Ariſtoteles de ſenibus, qui per ætatem iam non poſſunt munia ciuilia obire. In tertio huius libri capite, ἀφειμένους non omnino dicit, ſed dat patrium caſum, ἔργων τῶν ἀναγκαίων, id eſt qui à neceſſariis muneribus ſoluti ſunt ac liberi.

Explicandæ autem rei gratia appellemus, nullis certis temporibus circumſcriptum liberúmque Magiſtratum. ἔστω δὲ διορισμοῦ χάριν ἀόριστος ἀρχή.) Diuiſio eſt magiſtratuũ, quam paulò

ſuprà adhibuit Ariſtoteles, alios eſſe circunſcriptos certis temporibus, alios non eſſe. hoc poſterius genus vocat ἀόριστον ἀρχὴν, quem ad verbum Cicero etiam infinitum vocat. In tertio lib. de Legibus: Quod quidem genus legationis ego conſul, quanquam ad commodum Senatus pertinere videbatur, tamen approbante ſenatu frequentiſsimo, niſi mihi Leuinus tribunus plebis interceßiſſet, ſuſtuliſſem: minui tamen tempus, & quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet, diuturnitate ſublata.

Nonnullis enim nec populus eſt, nec ſenatus legitimus, ſed inductus, ἐνίαις γὰρ οὐκ ἔστι δῆμος, οὐδ' ἐκκλησίαν νομίζουσιν, ἀλλὰ συγκλήτους.) Intelligitur nomen Rebuſp. ἐκκλησία propriè concio eſt, & βουλὴ conſilium, & γερουσία ſenatus: de quibus omnibus in lib. de Magiſtratibus idoneus erit diſputandi locus. Nunc hoc tantum dicam, aliam concionem legitimam eſſe, id eſt νόμιμον: aliam indictam. quod eodem modo de ſenatu iudicandum eſt. Legitima dicitur ea, quæ ſtatis certiſque temporibus conuocatur, quæ etiam κυρία, id eſt rata vocatur. νομίζειν enim præter alia quæ declarat, etiam ratum aliquid ſolenne & legitimum facere ſignificat. vt hoc in loco Ariſtoteles ait. νομίζειν ἐκκλησίαν, id eſt, concionem legitimam facere, id eſt ſtatis temporibus & locis. σύγκλητος autem à συγκαλεῖν dicitur. Ea eſt, quæ nec ſtatis temporibus, nec locis habetur, ſed pro rerum quæ eueniunt varietate & neceßitate.

IN LIBRVM QVARTVM Obſeruationes. In II. Cap.

Regalis autem poteſtatis aut ſolum nomen manet, cum res nulla ſit: aut propter magnam præſtantiam extat eius poteſtas, qui vt rex imperat. τὴν δὲ βασιλείαν ἀναγκαῖον ἢ τοὔνομα μόνον ἔχειν οὐκ οὖσαν, ἢ διὰ πολλὴν ὑπεροχὴν εἶναι τὴν τοῦ βασιλεύοντος.) Hoc Cicero in tertio de Legibus obſcurè imitatus eſt: Sed quoniam regale ciuitatis genus probatum quondam poſtea non tam regni quàm regis vitiis repudiatum eſt, nomen tantum videbitur regis repudiatum, res manebit, ſi vnus reliquis magiſtratibus imperabit.

IN IIII. CAP.

Vt enim ſi animantium genera inſtitueremus intelligere, primùm id quod neceſſe eſt omne animal habere, divideremus, vt nonnullas partes in quibus ſiti ſunt ſenſus, & partem quæ conficit cibum, quæq; accipit, cuiuſmodi eſt os & ſtomachus, &c. ὥσπερ οὖν εἰ ζῴου προῃρούμεθα λαβεῖν εἴδη, πρῶτον μὲν ἀποδιορίζομεν ὅπερ ἀναγκαῖον πᾶν ἔχειν ζῷον. οἷον ἔνιά τε τῶν αἰσθητηρίων, καὶ τὸ τῆς τροφῆς ἐργαστικὸν, καὶ δεκτικὸν, οἷον στόμα καὶ κοιλίαν, &c.) ἐργάζεσθαι Cicero vertit conficere: & δέχεσθαι τροφὴν τὴν κοιλίαν ἢ στόμαχον, accipere. In ſecundo libro de Natura deorum: Nam cùm tribus rebus animãtium vita teneatur, cibo, potione ſpiritu, ad hæc omnia percipienda os eſt aptißimum, quod adiunctis naribus ſpiritu augetur. Dentibus autem in ore conſtructis manditur, atque ab his extenuatur & molitur cibus. Eorũ aduerſi acuti morſu diuidunt eſcas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur, quæ confectio etiam a lingua adiuuari videtur. Linguam autem ad radices eius hærens excipit ſtomachus, quo primum illabuntur ea quæ accepta ſunt, & oris vtraque ex parte tonſillas attingens palato extremo atque intimo terminatur. Atque is agitatione & motibus linguæ, cum depulſum & quaſi detruſum cibum accepit, depellit. Hæc omnia & quæ ſequuntur, ſunt apud Ariſt. in libris de Hiſtoria & de Partibus animalium, quæ idoneo loco omnia inter ſe coniungemus. Nunc his paucis contenti erimus. In tertio libro de Partibus animalium, ἔχει δὲ καὶ τὴν τοῦ στόματος φύσιν τὰ ζῷα, τούτων τε τῶν ἔργων ἕνεκεν, καὶ ἔτι τῆς ἀναπνοῆς, ὅσα ἀναπνεῖ τῶν ζῴων. Nam περὶ τῆς τροφῆς, & ὑγρῶν aut ποτῶν, paulo ſuprà diſſeruit. Sunt enim hæc munera quæ intelligit, & alia quædam. In eodem lib. & cap. primo: ὁ δ' ἄνθρωπος πρός τε τὴν κοιλίαν χρῆσιν καλῶς ἔχει πεφυκότας, τοὺς μὲν προσθίους ὀξεῖς, ἵνα διαιρῶσι, τοὺς δὲ γομφίους πλατεῖς, ἵνα λεαίνωσι. προσθίους ὀδόντας vo-

cat aduersos, quòd ea dicuntur aduersa quæ antè sunt, & auersa quæ poné. Hinc illud, & aduersus & auersus turpis es. In hoc autē loco λεαίνειν sic vertit, vt si esset ἐργάζεσθαι. Propriè enim λεαίνειν est, quod extenuare dixit Cicero. Quos intimos vocat & genuinos, eos Aristoteles tum γομφίους, tum κυνόδοντας, id est caninos appellat. Quod autē sequitur, paulò secus est apud Aristotelem in quarto de Historia animantium. ὁ δὲ στόμαχος ἤρτηται μὲν ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ στόματος ἐχόμενος τῆς ἀρτηρίας, συνεχὴς ὢν πρός τι τὴν ῥάχιν καὶ τὴν ἀρτηρίαν ὑμενώδεσι δεσμοῖς. *Nā Aristoteles hærere facit stomachum ad arteriam, Cicero autem ad linguæ radices. Quod autem Cicero ait, Linguam stomachus excipit, in libris de Historia animalium sæpe dicit* ἤρτηται, συνήρτηται, & ἐξήρτηται τῇ γλώττῃ, *aut alij parti aliud. Neque enim verbum excipit aliud significat in hoc loco, quàm hæret, adhærescit, continuatur, quod illa declarant. Nam excipere non est recipere in se aliquid, sed ei annexum esse. Nec mihi* ἐκδέχεσθαι *idem valere videtur, in hac duntaxat significatione. Quod autem in eo quem tractamus loco Aristoteles vocat* κοιλίαν, *id dico stomachum, quoniam stomachus est quò, vt ait Cicero, primùm illabuntur ea quæ accepta sunt: & Aristoteles tria genera facit τῆς* κοιλίας, *quod verbum Cicero aluum transtulit.*

Itaque in Politia splendida est, non satis accurata de hac re oratio. ait enim Socrates, ex quatuor necessariis constare ciuitatem, quos vocat textorem, aratorem, sutorem, & architectum &c. Διόπερ ἐν τῇ πολιτείᾳ κομψῶς μὲν, οὐχ ἱκανῶς δὲ εἴρηται. φησὶ γὰρ ὁ Σωκράτης ἐκ τεττάρων τῶν ἀναγκαιοτάτων πόλιν συγκεῖσθαι. λέγει δὲ τούτους, ὑφάντην, καὶ γεωργὸν, σκυτοτόμον, καὶ οἰκοδόμον, &c.) *Hic locus pluribus explicatus est apud Platonem in 2. lib. de Repub. Ea autem solùm afferemus, quæ non longa erunt:* Ἀλλὰ μὴν πρώτη γε καὶ μεγίστη τῶν χρειῶν ἡ τῆς τροφῆς παρασκευὴ τοῦ εἶναί τε καὶ ζῆν ἕνεκα παντάπασί γε. δευτέρα δὲ οἰκήσεως, τρίτη ἐσθῆτος, καὶ τῶν τοιούτων. ἔστι ταῦτα. φέρε δή, ἦν δ' ἐγώ, πῶς ἡ πόλις ἀρκέσει ἐπὶ τοσαύτην παρασκευήν; ἄλλο τι γεωργὸς μὲν εἷς, ὁ δὲ οἰκοδόμος, ἄλλος δέ τις ὑφάντης, ἢ καὶ σκυτοτόμον αὐτόσε προσθήσομεν, ἤ τιν' ἄλλον τῶν περὶ τὸ σῶμα θεραπευτήν. πάνυ γε. εἴη δ' ἂν ἥ γε ἀναγκαιοτάτη πόλις ἐκ τεττάρων ἢ πέντε ἀνδρῶν. φαίνεται. *Longa deinceps oratione fabrum ærarium, pecuarium, mercatorē, cauponemq́; adiungit superioribus. Qui Platonis sententiam contra Aristotelem volet defendere, Platonem in his naturam ducem secutum esse confirmabit. Id enim verba eius indicant. Natura enim insitum est, vt homines primùm sint, deinde res ad viuendum necessarias habeāt, tum instituantur bonis & artibus & moribus.*

Patriciorum autē genera faciunt opes, &c. τῶν δὲ γνωρίμων πλοῦτος, &c.) γνωρίμους, & γνναίους *Aristoteles* ἀπὸ τοῦ πλήθους *distinguit. Et quoniam eodem modo Romani populum in duas etiam partes diuidunt, eorum verbis vsus sum. Illos patricios voco, interdum nobiles, vt Cicero: hos plebeios. Sed de his plura in lib. de Magistratibus.*

IN VII. CAP.

REmpublicam enim vocant, sed quia rarò existit, non est ei cognita, qui numerum Rerumpublicarum tradere conantur, cum quatuor tantūmodo vtantur, vt facit Plato in Politia. Πολιτείαν γὰρ καλοῦσιν, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ πολλάκις γίγνεσθαι, λανθάνει τοὺς πειρωμένους ἀριθμεῖν τὰ τῶν πολιτειῶν εἴδη, καὶ χρῶνται ταῖς τέτταρσι μόνον, ὥσπερ Πλάτων ἐν ταῖς πολιτείαις.) *Plato in octauo lib. de Repub. quatuor tantùm genera Reipublicæ constituit his verbis,* ἆρ' οὖν ὥσπερ ἠρξάμεθα ἐν ταῖς πολιτείαις, πρότερον σκοπεῖν τὰ ἤθη ἢ ἐν τοῖς ἰδιώταις, ὡς ἐναργέστερον ὄν, καὶ νῦν οὕτω πρῶτον μὲν τὴν φιλότιμον σκεπτέον πολιτείαν. ὄνομα γὰρ οὐκ ἔχω λεγόμενον ἄλλο, ἢ τιμοκρατίαν, ἢ τιμαρχίαν αὐτὴν κλητέον. πρὸς δὲ ταύτην τὸν τοιοῦτον ἄνδρα σκεψόμεθα. ἔπειτα ὀλιγαρχίαν, καὶ ἄνδρα ὀλιγαρχικόν. αὖθις δὲ δημοκρατίαν ἀποβλέψαντες, θεασόμεθα ἄνδρα δημοκρατικόν. τὸ δὲ τέταρτον εἰς τυραννουμένην πόλιν ἐλθόντες, καὶ ἰδόντες πάλιν εἰς τυραννικὴν ψυχὴν βλέποντες πειρασόμεθα, περὶ ὧν προὐθέμεθα ἱκανοὶ κριταὶ γίγνεσθαι. *id est, An igitur vt prius magistratuum mores & instituta spectauimus quam priuatorum, quod id euidentius esset: sic hoc tempore primùm Respub. ea proponenda est nobis, quæ cupiditate gloriæ & honoris ducitur? Nomine enim non possum alio eam appellare, quam census potestatis. tum virum eius Reipub. considerabimus. Deinde paucorum potestatem, & virum ei Reipub. idoneum. tum in-*

specto populari ciuitatis genere, virum popularem spectabimus. Postremò ad ciuitatem quæ tyranni dominatu tenetur veniemus: eaq; cognita, rursus tyrannum considerabimus. Ita dabimus operam vt idonei simus earum rerum iudices, de quibus instituimus dicere. Hæc sunt quatuor Reip. genera, quas in Politia à Platone enumerari Aristoteles asserit. Sed tamen paulò infrà mentionem facit eius Reip. quæ est in potestate optimorum. Idemq; aliis in libris quinque genera facit, in aliis septem. Hoc autem verè ait Aristoteles, Platonem nullum verbum facere de eo ciuitatis genere, quod communi omnium nomine appellatur Respub.

IN XI. CAP.

Nisi ex causa quis iudicet. Dico autem ex causa, quòd etsi alia Respub. anteponenda sit, nihil tamen prohibeat Rempub. illam nonnullorum rebus rationibúsque magis conducere, ἂν μὴ πρὸς ὑπόθεσιν κρίνῃ τις. λέγω δὲ πρὸς ὑπόθεσιν, ὅτι πολλάκις οὔσης ἄλλης πολιτείας αἱρετωτέρας, ἐνίοις οὐθὲν κωλύσει συμφέρειν ἑτέραν μᾶλλον εἶναι πολιτείαν. *In Obseruationibus nostris quas in libros octo Aristotelis de Inuentione edidimus, fuse docuimus,* ὑπόθεσιν *causam à Cicerone transferri, &* θέσιν *consultationem. Hoc loco hæc duo tractat Aristoteles. Nã cùm thesi, id est consultatione, aliquid remotis personis, locis ac temporibus exquiri soleat, & in* ὑποθέσει, *id est causa, eorum omnium habeatur ratio, eam confirmat Rempub. quam hîc constituit, si per se spectetur, optimam esse omnium, quod est propriũ consultationis, id est* θέσεως: *vt si quæratur quæ optima Resp. omnium? respondeamus, Aristotelis sententiam defendentes, eam in qua omnium rerum sint mediocres copiæ. Sin quæratur, quæ his vel illis talibus hominibus sit optima Resp. non iam respondebimus illam, sed alteram, quæ illorum magis rebus rationibúsque conducat.* κρίνειν *ergo* πρὸς ὑπόθεσιν, *dico, ex causa iudicare: & dico ex causa, non ad causam, aut in causa, quoniam ita loquuntur Latini, vt Terentius, Atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet. Quod eodem modo de reliquis verbis eiusdem generis, & iis quæ ad cognitionem pertinẽt, est iudicandum. Hinc illud Ciceronis in Sallustium, Desine vnumquẽque ex tuis moribus æstimare. Legendum est enim æstimare, non existimare.* ὑπόθεσιν *dico interdum his in libris fictionem, cum Quintiliano, qui argumentum* καθ' ὑπόθεσιν *vocat à fictione. Nam fingere, vt ait in lib. 5. hoc loco est proponere aliquid, quod si verum sit, an soluat quæstionem, aut adiuuet. Itaq; sic tacitæ huic fictioni, Quid si sint ciues huius vel illius modi, num tua illis erit optima Respublica? Aristoteles respondet, non esse. Interdum* ὑπόθεσιν *fundamentum dico. Alia etiam multa hoc verbum significat.*

IN XIIII. CAP.

In iis autem Rebuspub. quæ à paucis reguntur, aut aliquos è plebe antè deligi vtile est, aut magistratibus creatis cuiusmodi sunt in quibusdam Rebuspub. quos Coss. vocant & nomophylacas, de iis agi, quæ illi antè facienda decreuerint. ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις ἢ προαιρεῖσθαί τινας ἐκ τοῦ πλήθους, ἢ κατασκευάσαντας ἀρχεῖον, οἷον ἐνίαις πολιτείαις ἐστὶν οὓς καλοῦσι προβούλους καὶ νομοφύλακας, περὶ τούτων χρηματίζειν, περὶ ὧν ἂν οὗτοι προβουλεύσωσι.) προβούλους *dico consules, Plutarchi secutus auctoritatem: qui cùm vim nominis Latini vult explicare, hoc Græco vtitur. quod in libris de magistratibus ostendam. Et nimirum hoc verba Aristotelis indicant.* χρηματίζειν *enim est agere cum populo: quod Consules Romæ solebant facere. cùm ipsi patrum consilium de quaque re expetiuissent. consulebant enim patres: tum quæ illi recensuerent, plebi exponebant: quæ vel approbabat, vel improbabat.*

IN XVI. CAP.

Quartum genus est, in quo ea aguntur quæ reis cædis in reditu ab exilio obiiciuntur. cuiusmodi decuria etiam Athenis ἐν Φρεάττοι *dicitur,* τέταρτον δὲ ὅσα τοῖς φεύγουσι φόνου ἐπὶ καθόδῳ ἐπιφέρεται, οἷον Ἀθήνησι λέγεται καὶ τὸ ἐν Φρεάττοι δικαστήριον.) *Antequam exponam quæ esset hæc Athenis iudicum decuria, vel tribunal, de eo dicam nomine quo appel-*

latur. Apud Demosthenem inuenio in oratione Aristocratea hoc verbum duplici τῇ scriptum, & in extremis literis οι, hoc modo, ἐν τῷ φρεαττοῖ. Eodem modo scriptum est in his libris Aristotelis. Apud Iulium Pollucem scriptum est vno τ, cum his extremis literis ει. Alij aliter scribunt. Mihi quid in tanta varietate scribendi sentiendũ sit, ignoro: nisi quòd si ἀπὸ τοῦ φρέατος, id est à puteo dicitur, in dandi casu cum extremis literis & syllaba τι, quoniam φρέαρ quintæ est inflexionis, ponendum esse censeo. Demosthenes quidem locum vult esse sic appellatum. cuius verba subieci: τί οὖν ἐποίησεν; ἤγαγε τοὺς δικάζοντας ἐκεῖσε, οἷ προσελθεῖν οἷόν τε ἦν, ἐκείνῳ τῆς χώρας ἀποδείξας τόπον τινὰ ἐν φρεαττοῖ καλούμενον ἐπιθαλάττιον, id est, Quid ergo fecit? Egit iudices illuc, quò possunt accedere: illi, id est reo, locum quendam in finibus imperij, qui ἐν φρεαττοῖ vocatur, éstque maritimus, indicauerunt. ἐκείνῳ enim legendum est in dandi casu, non in neutro genere ἐκεῖνο. loquitur enim de eo qui cædis accusatus est. Si ita scribatur vt est apud Demosthenem, non est dubium quin sit nomen contractum, vt αἰδώς. De quo quoniam nihil possum affirmare, præsertim cùm Demosthenes proprium loci nomen faciat, per me licebit cuique vt volet scribere. Nunc venio ad explicandum quod genus erat decuriæ. quanquam pauca quædam sumpta de Demosthenis oratione diximus. κάθοδος reditus dicitur. Nam qui inuitus aut incõsulto cædem fecisset, is in decuria quæ ἐν τῷ παλλαδίῳ Athenis vocabatur, in exilium ad certum tempus mittebatur iudicum sententiis, dum aliquis de gente aut genere illius commiseratus esset. Tum pœnas dabat non quaslibet, sed sacrificiis scelus expiabat. Quòd si antequam reuocatus esset misericordia eorum qui illum eiecissent, altera ei cædes, sed voluntaria obiiceretur: tum in naui causa ei dicenda erat, eo in loco maritimo, quem ἐν τῷ φρεαττοῖ vocat Demosthenes. Atque hæc sunt quæ ait Aristoteles hoc loco. ὅσα τοῖς φεύγουσι φόνου ἐπὶ καθόδῳ ἐπιφέρεται. Quæ adhuc commemoraui, sumpta sunt de eadem oratione Aristocrat. τί οὖν νόμος κελεύει; τὸν ἁλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ, ἔν τισιν ὡρισμένοις χρόνοις ἀπελθεῖν ταχτὴν ὁδὸν, καὶ φεύγειν, ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος. τηνικαῦτα δίκην δεδωκέναι ἐστὶν ὃν τρόπον; οὐχ ὃν ἂν τύχῃ, ἀλλὰ καὶ θῦσαι καὶ καθαρθῆναι. id est, Quid ergo lex iubet? Eum qui cæde non voluntaria teneatur, conuictúsque sit, ad certum tempus abstinere certa via, & exulare, dum aliquem de gente illius pudor aut misericordia capiat. Tum quo tandem pacto pœnas ei dare licet? Non quouis, sed hostiis & piaculis. Hæc mihi ad hunc explicandum locum satis multa videntur esse. Siquis plura de iudiciorum ratione velit intelligere, orationem quam nominaui, Demosthenis legat, & nonum Pollucis librum, & Pausaniæ Attica. in Atticis quidem scriptum est φρεαττοῦς.

IN LIBRVM QVINTVM

Obseruationes. In cap. I.

IN Heliæam verò magistratus ij etiam qui Rempub. gerunt ire coguntur, tum cùm suffragiis magistratus aliquis creatur. εἰς δὲ τὴν ἡλιαίαν ἐπάναγκές ἐστιν, ἔτι ὄντων ἐν τῷ πολιτεύματι, βαδίζειν τὰς ἀρχὰς, ὅταν ἐπιψηφίζηται ἀρχή τις.) ὄντων legendum est, non τῶν. est enim Græca locutio ὄντες ἐν τῷ πολιτεύματι, id est qui gerunt Rempublicam. Heliæa autem, vt Pausanias ait in Atticis, est tribunal omnium celeberrimum & amplissimum, & quò maximus hominum fit concursus. Eius verba sunt, τὸ δὲ μέγιστον, καὶ ἐς ὃ πλεῖστοι συνίασιν, ἡλιαίαν καλοῦσι. nihil præterea. Pollux tantùm dicit notam esse decuriam: & paulo infrà, esse quingentorum iudicum. quòd si opus esset mille, tum duas decurias solitas esse coniungi. Suidas ἡλιαίαν modò à sole, qui decuriam illustraret, appellatam dicit, modo loci proprium nomen dicit. Interpres orationis Timocrateæ Demosthenis, Suidæ hæc duo affert, eo non nominato: aut Suidas ab eo mutuatus est, aut vterque ab eodem. Vlpianus quidem præterea addit, ἡλιαίαν vocatam nonnullorum sententia, παρὰ τῷ ἁλίζεσθαι καὶ ἀθροίζεσθαι ἐκεῖσε τὸ πλῆθος. id est, quòd eò frequentes iudices conuenirent. τὸ δὲ α, vt ait, εἰς τὸ η μεταβέβληται, ὡς καὶ πολλαχοῦ. id est, mutatum est enim α in η, vt etiam multis in verbis. De verbi origine

hæc inueni. de more autem eo quem hîc Aristoteles cõmemorat, nihil inueni. Demosthenes quidem in oratione Timocratea ait, legem iubere τοὺς νομοθέτας εἶναι ἐκ τῶν ὀμωμοκότων τὸν ἡλιαστικὸν ὅρκον: id est, scriptores legum esse ex iis qui iurati essent in Heliæa. quod idem valet, vt ait Vlpianus interpres, vt si dixisset, ex iis qui iam fuissent iudices. quod haud scio an ad magistratus pertineret: vt intelligamus, eò cogi ire magistratus, quòd illic iurare cogerentur.

IN III. CAP.

PRæstantia autem eos in seditionem impellit, cùm vnus aliquis plus potest, aut multi ciuitatis concessu, adiuncta etiam Reipublicæ auctoritate. δι' ὑπεροχὴν δὲ ὅταν τις ἢ τῇ δυνάμει μείζων ἢ εἷς, ἢ πλείους κατὰ τὴν πόλιν καὶ τὴν δύναμιν τοῦ πολιτεύματος.) ὑπεροχὴ excellentia est & præstantia, quoniam ὑπερέχειν excellere & præstare dicitur. διαφορὰ etiam idem valet certis locis. Paulò suprà ὑπεροχὴν dixi principatum, quod referendum est ad excellentiam vel opum, vel virtutis, vel potius potentiæ. id enim valet quod ait hoc loco δυνάμει μείζων, id est cuius est maior potẽtia, vel potestas, vel auctoritas. Illud κατὰ πόλιν, dixi ciuitatis cõcessu, vt id ad priuatum habitum pertineat: & quod sequitur, καὶ κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ πολιτεύματος, ad magistratum referatur. κατὰ πόλιν concessu ciuitatis, id est, permissu dixi, ea forma dicendi, qua dicimus κατὰ σὲ ἢ καθ' ἡμᾶς, id est per hunc & per nos, id est huius ratione & sententia, nostra sententia: de quibus formulis dixi in libro de Optimo genere interpretãdi. κατὰ πόλιν etiam in ciuitate dici potest, & κατὰ δύναμιν τοῦ πολιτεύματος in Reipub. rectione. πολίτευμα enim rectio Reipub. dicitur à Cicerone, quo modo etiam quibusdam locis transtuli.

Metu autem ad seditiones inducendas aggrediuntur & ij qui iniuriam fecerunt, ne dent pœnas: & quibus inferenda iniuria est, vt iniuriam propulsent prius, quàm ipsi aliquo afficiantur incommodo. διὰ δὲ φόβον στασιάζουσιν οἵ τε ἠδικηκότες, δεδιότες μὴ δῶσι δίκην, καὶ οἱ μέλλοντες ἀδικεῖσθαι βουλόμενοι φθάσαι πρὶν ἀδικηθῆναι.) Hæc verba expressit Cicero in primo lib. de Officiis: Atque illæ quidem iniuriæ quæ nocendi causa de industria inferuntur, sæpe à metu proficiscuntur, cùm is qui alteri nocere cogitat, timet ne nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incõmodo. βουλόμενος ἀδικεῖν τινα disertè dixit, is qui alteri nocere cogitat. δεδιὼς μὴ δῷ δίκην, timens ne ipse aliquo afficiatur incommodò. Elegantissimè autem illud dixit, διὰ φόβον ἀδικεῖν, iniurias à metu proficisci. Illud autem φθάσαι dixi propulsare iniuriam, quod eodem loco paulò suprà dixit: Sed iniustitiæ duo genera sunt, vnum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab iis quibus infertur, si possint, nõ propulsant iniuriam. alioqui φθάναι est occupare, anteuertere, quod vulgo præuenire dicitur.

IN IIII. CAP.

QVocirca hæc cauenda sunt iis qui parent, odiaq; ac dissidia principum & potẽtium dissoluenda sunt. Cùm enim à principio error nascatur, principiúmque dicatur dimidium esse totius, certè leue peccatũ in quod quisque initiò impellitur, in reliquas etiam partes infunditur. Omnmóque nobilium seditiones in totam etiam ciuitatem malum infundunt. διόπερ ἀρχομένων εὐλαβεῖσθαι δεῖ τῶν τοιούτων, καὶ διαλύειν τὰς τῶν ἡγεμόνων καὶ δυναμένων στάσεις. ἐν ἀρχῇ γὰρ γίνεται τὸ ἁμάρτημα. ἡ δ' ἀρχὴ λέγεται ἥμισυ εἶναι τοῦ παντός, ὥστε καὶ τὸ ἐν αὐτῇ μικρὸν ἁμάρτημα, ἀνάλογόν ἐστι πρὸς τὰς ἐν ἄλλοις μέρεσιν. ὅλως δὲ αἱ τῶν γνωρίμων στάσεις συναπολαύειν ποιοῦσι καὶ τὴν ὅλην πόλιν.) Hunc locum imitatus est Cicero in tertio libro de Legibus: Ego autem nobilium vita victúque mutato, mores mutari ciuitatum puto. Quo perniciosius de Republica merentur vitio principes, quòd non solùm vitia concipiunt ipsi sed ea infundunt in ciuitatem: neque solùm obsunt, quod illi ipsi corrumpũtur, sed etiam quod corrumpunt, plúsque exemplo quàm peccato nocent. Atque hæc lex dilatata in ordinem cunctum coangustari etiam potest. Pauci enim admodum, pauci honore & gloria amplificati, vel corrumpere mores ciuitatis, vel corrigere possunt. Disertè dixit, αἱ τῶν γνωρίμων καὶ ἡγεμόνων στάσεις συναπολαύειν ποιοῦσι καὶ τὴν ὅλην πόλιν. Vt addamus etiam ἁμαρτήματα, Vitiosi principes vitia infundunt in ciuitatem. Sic autem verti initium huius loci, vt si esset ἀρχομένους, id est eos

qui parent. Aptius ἀρχομένων ad nascentia mala referretur. Itaque hoc modo etiam verti licet. Quocirca initiò hac mala cauenda sunt, &c.

IN V. CAP.

Euersa est etiam popularis potestas Heracleæ, vt primùm colonia deducta est, idq; tribunorū plebis iniquitate. κατελύθη δὲ καὶ ἐν ἡρακλείᾳ ὁ δῆμος, μετὰ τὸν ἀποικισμὸν εὐθὺς διὰ τοὺς δημαγωγούς.) Vsurpat δημαγωγῶν verbum persæpe his in libris Aristoteles, quod multis modis soleo vertere, modo populares, id est δημοτικούς, vt Cicero in Oratione secunda contra Rullum de lege agraria, se fatetur consulem popularem factum. modò eos qui captant auram popularem & consectantur: vt idem facit multis in locis. interdum patronos plebis, interdum assentatores plebis, aliàs tribunos plebis. Et quanquan hoc postremum Græcè est δήμαρχος, tamen quoniam hoc verbum δημαγωγὸς, verbum è verbo ductor, vel dux plebis dicitur, & dux plebis apud Latinos est tribunus plebis, hoc pro illo vsurpaui.

IN VIII. CAP.

IN iis verò Rebuspublicis quæ à populo tenentur, locupletibus ita parcendū est, vt non solùm eorum possessiones ne diuidantur æqualiter, sed ne fructus quidem. δεῖ δὲ ἐν μὲν ταῖς δημοκρατίαις τῶν εὐπόρων, μὴ μόνον τὰς κτήσεις μὴ ποιεῖν ἀναδάστους, ἀλλὰ μηδὲ τοὺς καρπούς. κτῆσις ad solum & prædium refertur, καρπὸς ad id quod quisque quotannis ex prædio percipit. πρόσοδος etiam his libris καρπὸς dicitur, prouentusque à nonnullis vocatur. Cicero πρόσοδον vectigal, & καρπὸν fructum dicit. In Paradoxis: Capit ille ex suis prædiis sexcenta sestertia, ego centena ex meis: illi aurata tecta, in illis & sola marmorea facienti, & signa, tabulas, supellectilem, & vestem infinitè concupiscenti, non modo ad fructum ille sumptus est, sed etiam ad fœnus exiguus: ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit.

Cuiusmodi sunt ædilitates, lampadūmque in ludis exhibitiones, cæteraque generis eiusdem. οἷον χορηγίας, καὶ λαμπαδαρχίας, καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται.) χορηγίας ædilitates Latinorum more dico, quo res facilius intelligatur. χορηγοὶ enim erant, qui ludos exhibebāt suis sumptibus, quibus Romæ similes erant ædiles: quanquam ædilium verbum à tuendis ædibus nomen habuerit. Vitruuius choragos etiam vocat. Quod autem ad λαμπαδαρχίας attinet, Atheniēsium morem significat, quod, vt ait Suidas, Τρεῖς ἄγουσιν ἑορτὰς λαμπάδος, παναθηναίοις, ἡφαιστείοις, καὶ προμηθείοις. id est tria sacra solennia & certamina agunt ad lumen lampadis, Mineruæ, Vulcani, Promethei.

IN IX. CAP.

IVS enim æquabile videtur esse. τὸ μὲν γὰρ δίκαιον ἴσον δοκεῖ εἶναι.) δίκαιον ἴσον, Cicero dicit ius æquabile. In secundo lib. de Officiis: Ius enim semper quæsitum est æquabile, nec enim aliter esset ius.

Libertas autem & æquitas in eo posita est, vt quod quisque velit faciat. Ex quo efficitur, vt in populari genere ciuitatis eiusmodi, sic quisque viuat, vt velit. ἐλεύθερον δὲ καὶ ἴσον, τὸ ὅτι ἂν βούληται τις ποιεῖν, ὥστε ζῇ ἐν ταῖς τοιαύταις δημοκρατίαις ἕκαστος ὡς βούλεται.) Cicero in primo libro de Officiis hunc locum expressit. Loquens enim de philosophis: His, inquit, idem propositum fuit quod & regibus, ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate vterentur, cuius propriū est sic viuere, vt velis.

IN X. CAP.

TYrannus autem à populo & multitudine contra patricios constitutus est, vt plebem iniuria prohiberet. quod exitus indicat. Tyranni enim ferè ex iis qui plebis auram aucupabantur, extiterunt, cum ad eorum fidē inops multitudo confugisset, quod ab iis qui maiores opes

habebant, premeretur. ὁ δὲ τύραννος, ἐκ τοῦ δήμου καὶ τοῦ πλήθους ἐπὶ τοὺς γνωρίμους, ὅπως ὁ δῆμος ἀδικῆται μηθὲν ὑπ' αὐτῶν. φανερὸν δ' ἐκ τῶν συμβεβηκότων. σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν τυράννων γεγόνασι ἐκ δημαγωγῶν, ὡς εἰπεῖν πιστευθέντες ἐκ τοῦ διαβάλλειν τοὺς γνωρίμους. αἱ μὲν γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον κατέστασαν τῶν τυραννίδων.) *Cicero in secundo libro de Officiis hunc locum planè expreßit, nisi quòd ad reges hæc transfert omnia: Mihi quidem non apud Medos solùm, vt ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros iustitiæ seruandæ causa videntur olim bene morati reges cõstituti. Nam cùm premeretur inops multitudo ab iis qui maiores opes habebant, ad vnũ aliquem confugiebat virtute præstantem: qui cùm prohiberet iniuria tenuiores æquitate constituenda, summos cum infimis pari iure retinebat. Eadémque constituendarum legum fuit causa, quæ regum. Ius enim semper quæsitum est æquabile, nec enim aliter esset ius. Id si ab vno iusto & bono viro consequebantur, eo erant contenti. Cùm id minus contingeret, leges sunt inuentæ, quæ cum omnibus semper vna atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis. Aristotelis eòdem pertinent verba, quæ sunt adiuncta superioribus:* ἡ μὲν γὰρ βασιλεία πρὸς βοήθειαν τὴν ἀπὸ τοῦ δήμου τοῖς ἐπιεικέσι γέγονε, καὶ καθίσταται βασιλεὺς ἐκ τῶν ἐπιεικῶν καθ' ὑπεροχὴν ἀρετῆς, ἢ πράξεων τῶν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, ἢ καθ' ὑπεροχὴν τοιούτου γένους. *id est, Regia enim potestas eò comparata est, vt in populo bonis præsidium esset constitutum: & reges ex bonis propter virtutis præstantiam constituti sunt, aut propter virtutis actiones, aut certè pro huius generis præstantia & dignitate. Reges constituti sunt, dixit,* βασιλεῖς καθίστανται. πιστευθέντες ἐκ τοῦ διαβάλλειν τοὺς γνωρίμους, *dicit, in numero singulari, & in patiendi significatione, Cùm premeretur inops multitudo ab iis qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebat: vt intelligatur* τὸ πλῆθος ἄπορον. *Nam* διαβάλλειν τοὺς γνωρίμους, *sic interpretor, vt si dictũ quod grammatici vocant, ad appellatum transferamus, ita dicam,* ὅτι οἱ γνώριμοι διαβάλλουσι. *Quanquam hãc actionẽ ad tyrãnos referre licet: vt intelligamus, ob eam causam tyrannos olim constitutos, quòd plebs ad eos confugisset, cùm eos à locupletibus & nobilitatibus dißidere, & cum eis bellum gerere intelligeret. Sed tum mihi* πρὸς *præpositio addenda videretur,* διαβάλλειν πρὸς τοὺς γνωρίμους. *Itaque mihi magis placet superior sententia. Quod ait Cicero, Cùm prohiberet iniuria tenuiores, hoc Aristoteles dicit,* ὅταν ὁ δῆμος ἀδικῆται μηθὲν ὑπὸ τῶν γνωρίμων. *Herodoti autem de regibus sententia quam affert Cicero, est in primo libro explicata. Et quoniam Cicero eum locũ expreßit, libet eius de Deioce expositionem attexere.* Ἀνὴρ ἐν τοῖσι Μήδοισι σοφός, τῷ οὔνομα ἦν δηιόκης, παῖς δ' ἦν φραόρτεω. οὗτος ὁ δηιόκης ἐρασθεὶς τυραννίδος, ἐποίεε τοιάδε. κατοικημένων τῶν Μήδων κατὰ κώμας, ἐν τῇ ἑωυτοῦ ἐὼν καὶ πρότερον δόκιμος, καὶ μᾶλλόν τι καὶ προθυμότερον δικαιοσύνην ἐπιθέμενος ἤσκεε. καὶ ταῦτα μέντοι ἐούσης ἀνομίας πολλῆς ἀνὰ πᾶσαν τὴν μηδικὴν ἐποίεε, ἐπιστάμενος ὅτι τῷ δικαίῳ τὸ ἄδικον πολέμιόν ἐστι. οἱ δ' ἐκ τῆς αὐτῆς κώμης μῆδοι ὁρῶντες αὐτοῦ τοὺς τρόπους, δικαστήν μιν ἑωυτῶν αἱρέοντο. ὁ δὲ δὴ οἷα μνεώμενος ἀρχήν, ἰθύς τε καὶ δίκαιος ἦν, ποιέων τε ταῦτα, ἔπαινον εἶχε οὐκ ὀλίγον πρὸς τῶν πολιτέων οὕτω, ὥστε πυνθανόμενοι ἐν τῇσι ἄλλῃσι κώμῃσι, ὡς δηιόκης εἴη ἀνὴρ μοῦνος κατὰ τὸ ὀρθὸν δικάζων, πρότερον περιπίπτοντες ἀδίκοισι γνώμῃσι, τότε ἐπείτε ἤκουσαν, ἄσμενοι ἐφοίτεον παρὰ τὸν δηιόκεα, καὶ αὐτοὶ δικασόμενοι. τέλος δὲ οὐδενὶ ἄλλῳ ἐπετράποντο, &c. *Tum adducti Medi eius iustitia et æquitate, eum regem constituerunt. Quod ergo ait Cicero, Mihi quidem non solùm apud Medos, ita est,* ὡς δ' ἐγὼ δοκέω, κάλλιστα ἔλεγον οἱ τοῦ δηιόκεω φίλοι. οὐ γὰρ δὴ τρόπῳ τῷ παρεόντι χρεώμενοι δυνατοὶ μὲν οἰκέειν τὴν χώρην, φέρε στήσωμεν ἡμέων αὐτῶν βασιλέα, καὶ οὕτω ἥ τε χώρη εὐνομήσεται, καὶ αὐτοὶ πρὸς ἔργα τρεψόμεθα, οὐδὲ ὑπ' ἀνομίης ἀνάστατοι ἐσόμεθα. ταῦτά κῃ λέγοντες, πείθουσι ἑωυτοὺς βασιλεύεσθαι. αὐτίκα δὲ προβαλλομένων ὅντινα στήσονται βασιλέα, ὁ δηιόκης ἦν πολλὸς ὑπὸ παντὸς ἀνδρὸς καὶ προβαλλόμενος, καὶ αἰνεόμενος, ἐς ὃ τοῦτον καταινέουσι βασιλέα σφίσι εἶναι.) *Hæc mihi studiosorũ causa vertenda censui. Vir erat apud Medos sapiens, cui nomen erat Deioces, Phraortei filius. Hic Deioces cũ tyrannidẽ affectaret, hæc gerebat. Cũ Medi in vicis habitarent, apud suos cùm anteà in honore erat, tum studiose iustitiam æquitatémque excolebat, eáque faciebat cùm magnæ iniuriæ in agro Medorũ, magnáque vis oriretur, quod sciret ius iniustitiæ repugnare. Medi autem qui eandem viciniam incolebãt, perspecta Deiocis sapientia & iustitia, ad eum de iure referebant. Is autem qui imperium affectaret, æquum se præbuit, ex quo ab omnibus ciuibus magnam est laudem consecutus, vt in aliis vicis cùm De-*

iocem intelligerent vnum esse qui æquitatem in iudicando seruaret, ij qui prius iniquis sententiis condemnarentur, vltrò ad eum de controuersiis suis & causis referrent, postremò eo vno erant contenti, &c. Mihi quidem videntur Deiocis amici præclarissima vsi oratione: Si hoc vitæ genus, viri Medi, semper sequamur, in hoc agro nostro diutius habitare non possumus. Itaque rex constituendus est nobis. Sic enim & ager æquitate constituetur, & ipsi nos ad opera conferemus, nec iniuriis premenur. Medis vt regi se subiiciant, hac persuadet oratione. Cumq; statim deliberarent, quem tandem regem constituerent, Deioces cùm ab omnibus laudatus & propositus esset, rex est constitutus. Alia etiam Aristoteles paulò infrà hoc capite de Regibus disserit, quæ ad hunc locum pertinent.

IN XII. CAP.

FErunt etiam Pisistratum, cùm in ius ad Ariopagum vocatus esset, passum esse iudiciũ. φασὶ δὲ καὶ Πεισίστρατον ὑπομεῖναί ποτε προσκληθέντα δίκην εἰς ἄρειον πάγον.) ὑπομένειν δίκην, *Cicero pati iudicium dicit. In oratione Quintiana: Hîc te, inquit, teneo. non est istud iudicium pati, neque iudicio defendere, cùm auxilium à tribunis petas. Si quis velit ea omnia quæ ex historiis affert Aristoteles, percurrere, is Herodotum, & Thucydidem legat. Neque enim ea possum scribere, quin penè in immensum & infinitum opus hæ crescant Obseruationes.*

N LIBRVM SEXTVM Obseruationes. In cap. VIII.

NAM & sine magistratibus, quibus opus est, esse ciuitas non potest. Τῶν μὲν γὰρ ἀναγκαίων ἀρχῶν χωρὶς ἀδύνατον εἶναι πόλιν.) *Cicero initio tertij libri de Legibus, hunc locum expressit: Magistratibus igitur opus est, sine quorum prudentia ac diligentia esse ciuitas non potest: quorum descriptione omnis Reipublicæ moderatio continetur. Hoc mihi membrum posterius Ciceronis, illud Aristotelis, quod superiori adiunctum est, exprimere videtur,* τῶν δὲ πρὸς εὐταξίαν καὶ κόσμον, ἀδύνατον οἰκεῖσθαι καλῶς.

Primùm quidem in necessariis est curatio quæ in foro tota occupata est. πρῶτον μὲν οὖν ἐπιμέλεια τῶν ἀναγκαίων, ἡ περὶ τὴν ἀγοράν.) *Quoniam librum de Magistratibus Græcorum & Romanorum non ita multò post, iuuante Deo, sum editurus, diutius hoc in capite, quo Aristoteles singillatim magistratus enumerat, eorumq; potestatem describit, mihi commorandum non censui. Tãtùm ea dicam quæ vel obscuritatis aliquid, vel dubitationis afferre videbuntur.* ἀγορανόμους *appello præfectos mercatus, vt est Lutetiæ vnus qui hoc appellatur nomine, quod rebus omnibus emendis vendendísve præest.* ἀστυνόμους *voco præfectos vrbis: vt distinguantur ab* ἀγρονόμοις, *quos præfectos peregrinos dico. Quod si accommodatè ad Remp. Romanorum velim loqui,* ἀγορανόμους *vocabo præfectos vrbis potius: quoniam, vt ait Fenestella, cura etiam rei macellariæ omnis, vt iusto precio veneat, ad officiũ præfecti vrbis pertinet. & ideo forum boarium, suarium, piscarium, & olitorium ad eundem præfectum pertinet, in quibus omnibus* ἀγορανομίαν *versari vult Aristoteles & Plato.* ἀστυνόμους *autem vocabo ædiles. Ædiles enim vocati sunt à curanda vrbe. Lex enim duodecim tabularum vult eos esse curatores vrbis, quanquam censoribus mandata videtur eadem cura, cui Aristoteles* ἀστυνόμους *præficit. Vult enim eos ædes & vias tueri, quarum vias leges duodecim tabularum cẽsoribus assignant, ædes, imò vero totam vrbem ædilibus. Ita cùm diuisa sint munera ab Aristotele, difficile est nomen aptum inuenire, quo hi magistratus vocentur. Si enim* ἀστυνόμους *voces censores, non videbitur aptum vocabulum, propterea quòd à censendis moribus & facultatibus nomen duxerint apud Romanos, quod* ἀστυνόμοι *non curãt. Ædiles autem si appelles, aptè illud quidem: sed quod censores munus aliquod illorum exequebantur, non satis dixisse videbere.* ἀγρονόμους *appello, vt dixi, præfectos peregrinorum: quod erit clarius si dicam, rerum quæ in agro eueniunt. Vocaui autem peregrinos præfectos*

ea forma, qua cùm esset Romæ prætor qui vrbanus dicebatur, postea extitit alter qui prætor peregrinus diceretur, quod inter peregrinos & eos qui extra vrbem in agris viuebãt, ius diceret. ὑπομνήμονας commentarienses, μνήμονας actuarios, vt Budæus noster facit. Hi nostra lingua præsentatores vocãtur, à sistendo: quòd sistere se in iudicio, est præsentare Gallorũ lingua. Apud hos enim causæ & lites perscribuntur. In nonnullis verba Romanæ Reip. adhibui, vt ἱππαρχίαν præfecturam equitum: & quæ ei subiecta est λοχαρχίαν decuriam. vt ταξιαρχίαν peditatus præfecturam: & quæ ei subest φυλαρχίαν præfecturam peditum. quanquam hæc à rebus ad personas transferam, vt præfectum equitum, & peditum, decurionem & centurionem dicam. λόχον autem, auctore Suida, alij ex militibus 7. alij ex 12. alij ex sexdecim constare dicunt. quãquam multi maiore multitudine eum definiãt, vt qui cohortem nominent. Ego turmam voco, cui præerat decurio. Constat autem ex 32. equitibus. φυλαρχίαν, verbum è verbo tribunatum dicere possumus. ταξίαρχον Suidas centurionem dicit sua ætate appellatum. Alicubi verò hūc quoque in multas partes tribuunt, sed earum omnium eadem est auctoritas. ἐνιαχοῦ μὲν οὖν μερίζουσι καὶ ταύτην εἰς πλείους. ἔστι δὲ μία κυρία τούτων πάντων.) κυρίαν hic voco τὴν δύναμιν τῆς ἀρχῆς, id est magistratus potestatem, vt ipse Aristoteles lib. 4. appellat. λέγω δὲ δύναμιν ἀρχῆς, οἷον τὴν κυρίαν τῶν προσόδων, καὶ τὴν κυρίαν τῆς φυλακῆς. id est, Voco autem magistratus potestatem, qualis est vectigalium auctoritas, & stationis auctoritas. Atque haud scio, an κυρία hoc loco sit adiectiuum nomen. vt sit sententia, harum omnium vna est quæ præest cæteris. Nam & articulus adiectus est, & fere horum trium magistratuum par est potestas.

Eos vocant tum censores, tum logistas, tum quæstores. καλοῦσι δὲ τούτους οἱ μὲν εὐθύνους, οἱ δὲ λογιστὰς, οἱ δὲ ἐξεταστάς.) εὐθύνους dixi censores, Ciceronis auctoritatem secutus, qui in extremo tertio libro de legibus curam obseruandi facta hominum dari vult censoribus. Græci hoc diligentius, apud quos Nomophylaces creantur, nec ij solùm literas (nam id quidem etiam apud maiores nostros erat) sed etiam facta hominum obseruabant, ad legésque reuocabãt. Hæc detur cura censoribus, quãdoquidem eos in Repub. semper volumus esse: apud eosdem qui magistratu abierint, edant & exponant quid in magistratu gesserint, deque iis censores præiudicent. ἐξεταστὰς autem quæstores voco, non vt nomen hoc ad eos qui pecunias tractãt, sed ad eos qui de moribus hominũ quærunt, pertineat. ἐξετάζειν enim est de factis hominum quærere, eaq; obseruare & scrutari.

Præsunt ergo magistratus ij qui necessarij sunt, vt rem in pauca conferam, rebus diuinis & bellicis, pecunias publicas tractant, annonæ præfecti sunt, &c. αἱ μὲν οὖν ἀναγκαῖαι ἐπιμέλειαί εἰσι περὶ τούτων, ὡς εἰπεῖν συγκεφαλαιωσαμένους, περί τε τὰ δαιμόνια καὶ τὰ πολεμικὰ, καὶ περὶ τὰς προσόδους, καὶ περὶ τὰ ἀναλισκόμενα, &c.) Est hæc omnium magistratuum quædam repetitio. ἀρχὴν τῆς περὶ τὰ ἀναλισκόμενα, verti præfectum annonæ: fortasse hoc non ad annonam pertinet, sed ad sumptus publicos sustinendos, vt τὰς προσόδους ad vectigalia cogenda referamus. Budæus hunc locum vertit in posterioribus Annotationibus, vbi τὰς ἀναγραφὰς professiones dicit, & πράξεις exactiones. professiones quidem eodem modo conuerti. pro quo ἐγγραφὰς Aristoteles hoc capite posuit: sed cum nescirem de qua professione diceret, virorum & puerorum nomen explicandæ rei gratia addidi. An de ciuibus id potius intelligendum sit, nescio: alij viderint. Sunt enim pleraque eorum quæ de magistratibus Aristoteles disserit, obscurissima. Verbum certè professionis non legi dici nisi in pueris vel ciuibus, cum nomen suum curant ascribēdum inter viros atque ciues. πράξεις autem non dico, vt ille, exactiones, sed ad verbum puniēdi aut exequendi transfero: quoniam Arist. duo quædam munera vult esse, alterum eorum qui sententia sua aliquid statuunt, & vt vulgo dicunt, definiunt: alterum eorum qui quod ab illis statutum sit, exequantur & perficiant, quod vulgo dicunt mandare executioni. illud Aristoteles καταδικάζειν vocat, hoc πράττεσθαι, ex quo πρᾶξις. Quod eum puto velle non ad res capitales solùm, sed ad ciuiles etiam pertinere. vt sunt in Senatu Parisiensi, & in prætura vrbana iudices, qui homines pro eo ac debent vel pecunia, vel morte mulctant. alij autem mandatum eorum curant, cuiusmodi sunt in re capitali lictores, in aliis vel præcones, vel apparitores. πράξεις ergo in hoc genere id significat, quod vno nomine non possumus dicere. Nam verbum Exequi Latinum est, vt oculus munus suum exequitur: executio autem non est. λαμβάνειν τέλος τὸ πρᾶγμα, quo genere in iis explicandis magistratibus vtitur, verbum è verbo dici Latinè non potest, Gallice potest. Capere finem, & Sortiri effectum rem dicimus: ego exposui, ad finem perduci.

MAris autem nauigatio vtrum ciuitatibus quæ bonis legibus vtãtur, proſit, ánne obſit, multi ſunt qui ambigant. nam peregrinorum & exterorum quorundam qui in aliis legibus educati ſunt, aduentum & communionem nocere aiunt & bonis legibus, & loci frequentiæ. vſu enim maris fieri, vt mittendo & recipiendo, mercatorum multitudo exoriatur, quod præclare Reipublicæ adminiſtrationi repugnet. περὶ δὲ τῆς πρὸς τὴν θάλατταν κοινωνίας, πότερον ὠφέλιμος ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν ἢ βλαβερά, πολλὰ τυγχάνουσιν ἀμφισβητοῦντες. τό τε γὰρ ἐπιξενοῦσθαί τινας ἐν ἄλλοις τεθραμμένους νόμοις, ἀσύμφορον εἶναί φασι πρὸς τὴν εὐνομίαν καὶ τὴν πολυανθρωπίαν. γίγνεσθαι μὲν τ' ἐκ τοῦ χρῆσθαι τῇ θαλάσσῃ, διαπέμποντας καὶ δεχομένους ἐμπόρων πλῆθος. ὑπεναντίον δ' εἶναι πρὸς τὸ πολιτεύεσθαι καλῶς.) *Hæc ſententia eſt Platonis, in libro de Legibus.*

IN VII. CAP.

QVod enim aiunt quidam, cuſtodes aduerſus notos amicè, aduerſus ignotos acerbè & immaniter ſe gerere oportere, &c. ὅπερ γάρ φασί τινες δεῖν ὑπάρχειν τοῖς φύλαξι, τὸ φιλητικοὺς μὲν εἶναι τῶν γνωρίμων, πρὸς δὲ τοὺς ἀγνῶτας ἀγρίους, &c.) *Hoc ait Plato in ſecundo libro de Repub.* ὃν μὲν ἂν ἴδῃ ἀγνῶτα, χαλεπαίνει, οὐδὲ δὴ κακὸν προπεπονθώς. ὃν δ' ἂν γνώριμον, ἀσπάζεται, κἂν μηδὲν πώποτε ὑπ' αὐτοῦ ἀγαθὸν πεπόνθοι.

IN IX. CAP.

VIres ſunt florentis ætatis, prudentia ſenectutis. ἡ μὲν δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις ἐστί.) *Verba ſunt Ciceronis in lib. de Senectute.*

De muris autem, quos adimunt quidam vrbibus iis quæ virtuti dant operam, nimium veterem opinionem repetunt, &c περὶ δὲ τειχῶν, οἱ μὴ φάσκοντες δεῖν ἔχειν τὰς τῆς ἀρετῆς ἀντιποιουμένας πόλεις, λίαν ἀρχαίως ὑπολαμβάνουσι, &c.) *Et paulò infra: Nihil enim intereſt, vtrum muros vrbibus circundari nolint, an agrum opportunum iniuriis aggredientium quærant, an locos montanos tollant: ſimilitérque faciunt, vt ſi priuatis domibus muros & parietes non circundarent, tanquam incolæ ignaui eſſent futuri.* ὅμοιον γὰρ τὸ τείχη περιβάλλειν ταῖς πόλεσιν ἀξιοῦν, καὶ τὸ τὴν χώραν εὐέμβολον ζητεῖν, καὶ περιαιρεῖν τοὺς ὀρεινοὺς τόπους, ὁμοίως δὲ καὶ ταῖς οἰκήσεσι ταῖς ἰδίαις μὴ περιβάλλειν τείχους, ὡς ἀνάνδρων ἐσομένων τῶν κατοικούντων.) *Ariſtoteles cum Platonis ſententiam reprehendit, eum interdum nominat, interdum non* [illegible] *at. in quo quid ſecutus ſit, neſcio. In iis hic locus eſt, qui eſt in ſexto de Legib.* περὶ δὲ τειχῶν, ὦ Μέγιλλε, ἔγωγ' ἂν τῇ Σπάρτῃ ξυμφεροίμην τὸ καθεύδειν ἐᾶν ἐν τῇ γῇ κατακείμενα τὰ τείχη, καὶ μὴ ἐπανιστάναι τῶνδε εἵνεκα. καλῶς μὲν καὶ ὁ ποιητικὸς ὑπὲρ αὐτῶν λόγος ὑμνεῖται, τὸ χαλκᾶ καὶ σιδηρᾶ δεῖν εἶναι τὰ τείχη μᾶλλον ἢ γήϊνα. *id eſt: De muris autem Megille, Spartiatis aſſentio, eos dormire in terra relinquendos eſſe qui ædificãtur, ob eámque cauſam non erigendos. præclaráque eſt illa poëtæ de his oratio, Æneos & ferreos eos potius, quàm terraceos eſſe oportere. Ex his intelligimus, cur veterem nimium opinionem Ariſtoteles à Platone repeti confirmauit, nimirum Lacedæmoniorum, aut Lycurgi potius. Paulo infrà muros ait ſolere pertinere* πρός τινα μαλθακὴν ἕξιν τῶν ἐνοικούντων. *Et eos qui murorum & portarum præſidia excogitent ſalutis cauſa, ſic facere, vt ſi* τὸ μὴ πονεῖν ἂν ἐγίγνοντο. *Locum totum qui volet, legat. Ibi etiam eſt quod Ariſtoteles non expreſſo nomine, hoc capite de formis ædificiorum refellit. Vult enim Plato ſic priuatas ædes ab initio extrui, vt ſit vnus murus ciuitatis,* ὁμαλότητί τε καὶ ὁμοιότησιν εἰς τὰς ὁδοὺς πασῶν τῶν οἰκήσεων ἐχουσῶν τὴν εὐερκίαν, &c. *Locum prætermiſi Platonis, de mutationibus Rerumpub. quem in quarto libro refellit Ariſtoteles. is eſt expoſitus in octauo libro de Republica.*

IN XII. CAP.

NAm pro cuiusque ætate hoc Reipub. ornamentum distinguendum est, vt & in rebus quas adolescentes gerent, magistratus quidam intersint, & frequentes sint senes cum magistratibus. Magistratuum enim præsentia vero pudore afficit maximè, metúmque libero dignum homine incutit. πρέπει γὰρ διῃρῆσθαι κατὰ τὰς ἡλικίας καὶ τοῦτον τὸν κόσμον, καὶ παρὰ μὲν τοῖς νεωτέροις ἄρχοντάς τινας διατρίβειν, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους παρὰ τοῖς ἄρχουσιν. ἡ γὰρ ἐν ὀφθαλμοῖς τῶν ἀρχόντων παρουσία, μάλιστα ἐμποιεῖ τὴν ἀληθινὴν αἰδῶ καὶ τὸν τῶν ἐλευθέρων φόβον. Cicero in I. lib. de Offic. hunc locum videtur adumbrasse. Differens enim de adolescentum ludis, sicut hoc loco Aristoteles, scribit his verbis: Atque etiam cum relaxare animos, & dare se iucunditati volent, caueant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, si [illegible] eiusmodi quoque rebus maiores natu veint interesse. Locos multos sciens prætermitto, quos de his Aristotelis libris Cicero sumpsit, ne sim longior, & quòd ij facilè inueniri possunt. Multa etiam sunt quæ in hoc libro & proximo Aristoteles tacito Platonis nomine vel refellit, vel etiam imitatur, quæ sunt in libris de Legibus.

IN LIBRVM OCTAVVM Obseruationes. In cap. I.

SI enim vtroque opus est, magis certè expetendum est ocium, non quidem in lusionibus, sic enim ad ludum & iocum generati essemus, &c. εἰ γὰρ ἄμφω μὲν δεῖ, μᾶλλον δὲ αἱρετὸν τὸ σχολάζειν. οὐ γὰρ δὴ παίζοντας, τέλος γὰρ ἂν ἀναγκαῖον εἴη τοῦ βίου τὴν παιδείαν ἡμῖν.) Cicero primo de Officiis: Neq; enim ita generati, vt ad ludum & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem potius, & ad quædam studia grauiora atque maiora.

Nunc hoc tantum nobis ad patefaciendam viam valere visum est, &c. νῦν δὲ τοσοῦτον ἡμῖν ἔστω πρὸ ὁδοῦ γέγονεν, &c.) Non potui hoc genus dicendi frequens apud Ciceronem prætermittere. Hoc tantum dicam, &c. Tãtum ergo in hoc genere non μόνον valet apud Græcos, sed τοσοῦτον. Exemplo vno Ciceronis contentus ero, ne sim longior. In tertia extrema Verrinarum: De quo iudicio si velim dicere omnia, multi appellandi lædendíque sunt, quod mihi non est necesse. tantum dicam, paucos homines arrogantes hoc adiutore, &c.

IN VI. CAP.

NEque enim infantes possunt conquiescere. οὐ γὰρ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν.) Cicero hoc vertit in quinto libro de Finibus: Videmus igitur vt conquiescere ne infantes quidem possint, &c.

IN VII. CAP.

SOcrates autem in politia non rectè Phrygium cum Dorio reliquit, &c. ὁ δ' ἐν τῇ πολι[illegible] Σωκράτης, οὐ καλῶς τὴν φρυγιστὶ μόνην καταλείπει μετὰ τῆς δωριστὶ, &c.) Hoc [illegible] in tertio libro de Repub. in quo etiam ea sunt quæ ad instrumenta musicæ [illegible] hoc libro Aristoteles, & illic Socrates vel probat, vel improbat.

Ego cum has nostras Obseruationes dilatare etiam possem, his tamen contentus fui, ne vel multitudine, vel prolixitate satietatem viderer afferre, præsertim cum & in aliis quas [illegible] tas edidimus, eadem, aut similia tradiderim, & in libro de Magistratibus [illegible] de Repub. & de magistratibus locum pertinent, non ita multò post sim tra[illegible]rus.

OBSERVATIONVM IN LIBROS Aristotelis de Republica finis.

quæ non satis custoditis fuit auribus, dum locum dedit diabolo & suggestioni ipsius, qui noxius extitit abusus, quoniã audire malum quid faciat boni? vnde & Sapiens dixit, Sæpi aures tuas spinis, & linguam nequã noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Vbi primum fœminæ aut virgines cœperint ex præsumptione ad omnia auscultare, bonã amiserunt pudicitiæ partẽ: ita enim Euæ etiam cõtigit, quæ non prius periit quàm serpẽtẽ audisset. Sic Paulus ait, Corrumpũt bonos mores colloquia praua. Ad hæc, oculis esse parum præmunitis, fatuas quoque efficit virgines, quomodo, & in Eua factum est, quæ cũ vidisset, quod bonum esset ad vescendum & pulchrum oculis aspectuque delectabile: tulit de fructu illius, & comedit. Neque dissimili exemplo etiam accidit Dinæ filię Iacob, ea enim cum temeraria quadam præsumptione exiisset visura mulieres regionis illius, rapta à Sichem & vitiata est. plerunq; etiam spectatum (vt ille ait) veniunt, spectentur vt ipsæ, quod in ruinam eis cedit. quamobrẽ Dauid admonens, ait, Auerte oculos tuos ne videant vanitatem. Expertus hoc ille dixit: notat enim quomodo visus nõ custodit⁹ fatuas reddat virgines, quando viderat ipse Bethsabee lauantem se, vnde & adulterium cum ea, & homicidium consequutum est Vrię. Quo etiam respiciẽs, dominus præmonuit nos dicẽs: Quicunq; viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Sic infatuati sunt Sara vxorem Abrahã, & Pharao & Abimelech. sic vxor Putipharis, lasciuos & impudicos oculos suos petulanter cõiecit in Ioseph, petiitq; ab eo adulterium, quod cum abnueret ille, mẽdacio impudentissimo ipsa cum detulit ad dominum suum, quasi ipse vim pudicitiæ suæ inferre voluisset, quo mendacio quid quæso vt fucatius, ita & iniquius & turpius! Sic filij Israël cum viderent filias Moabitarum & Medianitarum, precepit dominus principes populi in cruces suffugi aduersus solem, plenáque est istiusmodi exemplis vniuersa scriptura, quæ volens hic prætereo. Quòd si autem quilibet homo ipsum Iob imitaretur, sane in albũ prudentium virginũ referretur. sic enim Iob ait, Pepigi fœdus cũ oculis meis, vt ne cogitarem quidẽ de virgine. Ad hæc tertio quoq; sensu odoratutus infatuantur virgines, quoniam & in ipso voluptatem conquirere, abusus magnus simul

Eccl. 28. — *1. Cor. 15.* — *Genes. 3.* — *Gene. 34.* — *Psal. 118.* — *1. Re. 11.* — *Mat. 5.* — *Gen. 12.* — *Gen. 20.* — *Gen. 39.* — *Num. 25.* — *Iob. 31.*

& euidẽs eſt laſciuię ſignum: ſicuti grauiter minatur domi-
Eſa. 3. nus filiabus Ieruſalem, eo quod ambularẽt extenſo collo,
& nutibus oculorum irent, plauderẽt inſuper, & compoſi-
to gradu incederent. ideo inquit Propheta, Decaluabit do-
minus verticem earum, & crinem earum nudabit. Deinde
ex omni mundo mulieri & inter ornamẽta vniuerſa ait ſe
eis etiam ablaturum olfactoriola, & huiuſmodi quidẽ vir-
Sap. 2. gines fatuæ erant, de quibus Sapiens dixit, Venite & frua-
mur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuen-
tute celeriter. Vino precioſo & vnguentis nos impleamus,
& non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis
antequam marceſcant, Iſtiuſmodi fatua & illa fuit mulier
Proue. 7. laſciua ac petulans, quæ allicere & decipere volens adole-
ſcentẽ dixit, Intextui funibus lectulum meum, ſtraui tape-
tibꝰ pictis ex Aegypto, aſperſi cubile meum myrrha, aloë
& cinnamomo. In iis nanque ſuperfluitatẽ quærere & abu-
ſum ad peccandum, res longè inquiſiſsima eſt.
¶ Fatuæ inſuper redduntur virgines guſtu & tactu impu-
dico, qui omnem corrũpit mũditiẽ cordis, oleúmq; gratiæ
Proue. 6. diuinę effundit, iuxta illud Sapientis. Turpitudinẽ & igno-
Oſeæ 7. miniam congregat ſibi, & opprobrium illius nõ delebitur.
Prou. 20. & iſtud item Oſeæ, Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus.
Ephe. 5. Nimius etiam in cibo, & potu exceſſus, peccandi pronita-
Vinum. tem inducit, quoniam luxurioſa res vinum eſt, quo Paulus
quoque nos admonet inebriari non debere. ſiquidẽ in eo
luxuria eſt. Eodem pertinet illum Hieronymi, Si experto
Hierony. creditur, hoc primum moneo, hoc obteſtor, vt ſpõſo Chri-
ſti vinum fugiat pro veneno. Hæc aduerſus adoleſcentiam
prima arma ſunt dæmonum. Vinum & adoleſcẽtia duplex
incẽdium voluptatis. vbi primum mulier aut virgo temu-
lentiæ aſſueuerit pudor omnis periit: diſciplina quoque &
honeſtas vitæ vniuerſa: quoniam ebrius ſcelerum omnium
eſt vile mancipium, nec vitium aliquod eſt quod vincere
poſsit, qui hoc crimine eſt detẽtus, tota enim hîc emoritur
ſapientia, totúſque homo è ſapiente ſtultus, ex ſtulto inſa-
nus redditur, mores omnes corruunt, & homo in porcum
Gen. 19. verſus videtur. ſiquidem ille tunc linguæ ſuæ magiſter non
eſt, & quicunque non celat arcanum, nihil loquitur hone-
Oſeæ 4. ſtum Lot ſi inebriatus non fuiſſet, proprias filias ſuas duas
nec vitiaſſet, nec impregnaſſet. Veréque adeò dictum à
propheta

propheta. Vinum & ebrietas auferunt cor. Sed de iis aliàs copiosius. Sicut autem pro fatuo habetur, qui sensibus abutitur exterioribus, ita non paulo etiam stultior est qui interioribus male vtitur, puta quia turpia imaginatur, qui obscœna vanáque cõcupiscit & in iisdem exæstuat, siue id fiat ad luxuriam, siue gulam, siue superbiam, siue ad auaritiam, aut iram, inuidiam & odium, quicquid id genus est malorum affectare & imaginari turpissimum est, sicut dominus dixit mulieri impudicæ, Fecisti tibi imagines masculinas. *Ezec. 16.* possent hæc omnia ad longum per singula membra extendi, sed hîc iam finis & modus esto. Vos communibus votis orate dominum deum, &c.

DE SANCTA BARBARA.

BArbara Dioscori filia, in ciuitate Nicomedia virgo fuit sapientissima, oleumq; charitatis diuinæ secũ sumpsit in lãpade animę suę. Eius pater infidelis, in turri munitissima ipsam concludi curauit, in qua fenestras tres parari iusserat, quoniã tres essent qui mundum hunc illuminarent vniuersum, deus pater, filius & spiritussanctus. In eadẽ turri illuminata illa fuit diuinitus, & à S. Ioanne baptizata, suoq; digito crucem impressit in lapidem. Pater autem cùm nullo modo à fide Christi auertere eam posset, præfecto ipsam obtulit, qui eam verberibus primùm cædi iussit & viscera, vulnera quoque recentia cilicio confricari, verùm illa sicut in fide ab angelo iam ante informata, ita nunc quoque ab eodem sanata est, vnde in furorem versus tyrannus, pedib⁹ eam suspendi fecit, mammillasque ei præscindi, latera etiã facibus vri, nudámque per vrbem duci, vbi tamen ab angelo contecta est. Ad extremum parenti illum restituit, qui eductam eam decollauit, ibique ipsa pro omnibus qui memoriam sui habituri essent, orauit ad dominum. pater autem in itinere iam reuertens domũ, igne cælitus dimisso, misere periit. Virgo hæc sanctissima cultores suos absque venerabili sacramento mortem obire non sinit, idque multis exemplis comprobatum est: posset per longum probari. Dolórque hîc ei fuit longe acerbissimus, quod eũdem habuit & parẽtem & persequutorem atque adeò carnificem. Caput ipsius deinceps Constantinopolim translatum est,

& illud imperator quidam Venetis donauit, qui ipſum Venetias deportauerunt in templum ſuum, vnde per eoſdem clam delatum eſt in Pruſiam. Fuerunt quoque eius nominis plures aliæ ſanctæ virgines, quæ propter fidem Chriſti immaniter trucidatæ ſunt, vt non procul à Roma in regno Neapolitano & alibi, cuius caput Coloniæ apud minores in magna reuerentia ſeruatur. Eas omnes implorate ſedulo, vt pro vobis intercedant ad dominum.

¶ Reliquam Euangelij huius partem require infra in feſto S. Agnetis.

¶ IN SOLENNI DIE S. PONTIFICIS NICOLAI EVANGELIVM.

Lucæ 19.

Mat. 25. Mar. 31. *IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc, Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere ſibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem ſeruis ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos. Negociamini dum venio. Ciues autem eius oderant eum, & miſerunt legationem poſt illum, dicentes, Nolumus hunc regnare ſuper nos. Et factum eſt vt rediret accepto regno, & iuſſit vocari ſeruos, quibus dedit pecuniam, vt ſciret quantum quiſque negociatus eſſet. Venit autem primus, dicens, Domine, mna tua decem mnas acquiſiuit. Et ait illi, Euge bone ſerue, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſupra decem ciuitates. Et alter venit dicens, Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait, Et tu eſto ſuper quinque ciuitates. Et alter venit dicẽs, Domine, ecce mna tua, quã habui repoſitam in ſudario. Timui enim te, quia homo auſterus es, tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti. Dixit ei, De ore tuo iudico te ſerue nequam. Sciebas quod ego homo auſterus ſum, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminaui. Et quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens, cum vſuris vtique exegiſſem illud? Et aſtãtibus dixit, Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei, Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, quod habet auferetur ab eo.*

Marginal notes: Mat. 25. (beside "mine, mna tua decem mnas"); Mat. 13. Mar. 4. Sap. 4. (beside "ferte ab illo mnam")

HOMILIA


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm